
NAZIONALE
8
27 — A
6
VITT. EMANUELE
ROMA

HERMANNI HVGONIS
E SOCIETATE IESV

DE

VERA FIDE CAPESSENDA

AD

NEOEVANGELICAM SYNODVM
DORDRACENAM


Apologetici Libri tres

ADVERSVS

BALTHASAREM MEISNERVM Lutheranum
& HENRICVM BRANDIVM Caluiniſtam

PRO

CONSVLTATIONE
R. P. LEONARDI LESSII
Societatis IESV Theologi.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthaſarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.
M. DC. XX.

ILLVSTRISSIMO
FORTISSIMOQ. HEROI
IOANNI
COMITI NASSAVIÆ,
VIANÆ, DIESTHEMII,
ET CATZENELLEBOGE,
DOMINO DE BILSTEIN, &c.
TER MILLE GERMANORVM
CHILIARCHO.

PROCVL quidem à nobis, Bohemos oppugnatum iuiſti, COMES ILLVSTRISSIME; ſed non ita ab oculis mihi procul, quin te ſemper eminùs obſerua-

uerim, quaſi oculis obuerſantem,

Acrem atque indomitum, quò ſpes, quoq; ira vocaſſet,
Ferre manum, & numquam temerando parcere ferro.

Ergo dum iſthic Tu gladio Imperium & Fidem fortiſſimè propugnaſti,

Hoſtibus, haud tergo, ſed forti pectore notus;

ego hîc exemplo tuo, Religionem calamo, imò tuum ſimul in eâ nuper amplectendâ conſilium, aſſerere ſum conatus, tranquilliore in puluere miles.

Nimirum rabulæ duo, alter ex Ienenſibus Lutheri ſubſelliis, alter è Caluini pulpito Zirizæano; germaniſſimi mendaciorum ambo propolæ, auſi ſunt obſtrepere eruditiſ-

ditiſſimæ firmiſſimæque illi Conſultationi, quam ab hinc annis aliquot Leonardus Leſſius, magnus omnino Societatis noſtrę Theologus, De fide capeſſendâ extruſerat in lucem; cuius Tu Rationibus, COMES ILLVSTRISS. (cùm fidei adhuc ambiguus Scyllam inter & Charybdim natares) plurimum, vt audio, fidei habuiſti. Horum verò, vtpote obſcurorum nominum, chartæ, diu etiam antè aut ambulauêre ignotæ, aut latuêre contemptæ, quàm in noſtrûm cuiuſpiam peruenirent manus; donec tandem, neſcio an ab aliquo Euclionis gallinaceo alicunde ex charteo puluere exſculptæ, nonnullis apparuerunt. Ex his porrò, niſi vehementer mea me fallit opi-

nio, decerpta fuêre argumenta plurima (an ſtuppea titiuillitia) quæ recèns Tibi à quibuſdam conſanguineis tuis (aduerſus eam quam complexus es Religionem) tranſmiſſa, Tu deinde miſiſti cuidam è Patribus noſtris in Collegium noſtrum Bruxellenſe, excutienda: quæ ego, quàm ſtatim vidi (vt veterani venatores ceruum ex impreſſo veſtigio) quo ex agello decerpti eſſent floſculi, haud difficulter internoui.

Igitur quòd ſcirem Te id temporis impeditum accingendo ad militiam ſago, iam verò etiam quotidianis ampliùs cum hoſte dimicationibus innexum, reſpondere id genus quæſtiunculis, nec in tempore propoſitis, noluiſſe; tuam

ego

ego vicem functus, tamquam hyperaspistes tuus illorum me opposui importunitati. Et en, hîc habes, HEROS BELLICOSISSIME, quibus illorum molestiam retundas, tuam etiam in susceptâ Religione constantiam magis magísque confirmes, libellos meos Apologeticos tres, non magnos. Si vacabit aliquando, dum à tubarum strepitu galeam ponis, dum mistum illum decoro pulueri sudorem tergis, leges arbitratu & gustu tuo. Si non vacabit, at legent saltem (quorum Tu saluti prodesse iam sæpè quàm maximè studuisti, quorumque ego gratiâ non inuitus laborem hunc suscepero) familiares & consanguinei tui. Vtroque autem fructu, seu tuo, seu illorum,

quia tui, magnum ſatis operæ meæ pretium exiſtimabo perſolutum.

Perge interim Tu vera Martis ſoboles, ſtirpis tuæ ſincera indoles, belli fulmen,

—— quo non alius belli tenet aptiùs artes,
Seu ſit opus, quadratum acies conſiſtat in agmen,
Seu libeat duplicem, ſeu iunctum cernere Martem.

Perge ——— *pietate inſignis & armis,*

parare tibi laureas multas, aureáſque coronas, poſt meritam nuper MVRALEM, cùm primus Tu

Celſior ô cunctis, vniq; æquande Camillo,

primus, inquam, Pechinenſis vrbis

bis muros victor conscendisti,

Duxq; simul, milesq; bonus. —

Ita pro Te vota facio. Bruxellæ XXVIII. Octobris, M.DC.XIX.

ILLVSTRISS. D. V.

addictissimus

Hermannus Hugo.



PRAEFATIO
AD
NEOEVANGELICAM
SYNODVM
DORDRACENAM.



IV *multumque mecum dubitaui, Neoeuangelici Patres ac Fratres, ad quod potissimùm tribunal ambularem, experturus in Iure cum duobus Lessij accusatoribus, altero Lutherano, altero Caluinistâ. Equidem verebar ad Puteal aliquod Cassianum, tamquam ad* reorum scopulum *adhærescere, & causâ, etsi æquissimâ, cadere apud iudices non æquos.*

At postquam mihi nuntiatum est, iuisse

vos

vos in Comitia, Dordracum, ſicut in Ἀμφικτυονικὸν συνέδριον, *viros omnes vultuoſâ grauitate venerabiles, barbatos vmbilico tenus, nouos Areopagitas, acturos de ſummâ Religionis aduerſus errores Arminianorum, non habui ſcilicet quod porrò ambigerem, ad quos alios, atque ad vos mihi eſſet adeundum.*

Fateor, retardarunt me huc vſque diſſipati variorum hominum rumuſculi, de integritate grauiſſimi Concilij veſtri. Etenim erant qui affirmarent πρὶν κε δύο ἐχῖνας εἰς φιλίαν ἐλευσομένους, ὁ μὲν ἐκ πελάγους, ὁ δὲ ἐκ χέρσου, priùs duos echinos in amicitiam coituros, marinum & terreſtrem, *quàm vos vmquam conſenſuros; quippe quibus videretur non magis poſſe inter Lutheranos & Caluiniſtas conuenire, quàm inter Ægithallos & Acanthyllides, quarum auium ſanguis ne mortuarum quidem poteſt commiſceri.*

Et

Et verò adferebantur exempla non ita vetera Colloquiorum, Marpurgensis inter Lutherum & Zvvinglium; Ratisponensis, VVormatiensis, Oxoniensis, inter Melanchthonem, Bucerum, Martyrem & Papistas; Heidelbergensis, Mulbrunnensis, Mompelgartensis, inter Euangelicos habitorum: quorum omnium tam tranquillus fuit exitus, vt hac Lutheri sympofiacâ benedictione videantur fuisse aspersa: Si concordia fieri debet, fiat in nomine omnium diabolorum.

Erant alij qui iactabant iudicium vestrum fore Eremodicium, vt loquitur Iustinianus, in quo nempe ad sopiendas longas vitilitigationes, inauditis Arminianis, lis daretur secundùm Gommaristas. Quod, vt sine intercessionibus tribunitiis fieret, Lutheranos omnes, discordesque Caluinistas, Concilio exclusum iri; solos concordes Caluinistas ius habituros suffragij, ab ijsque

que vt ab Atheniensibus Ephetis, aut Romanis Centumuiris nullam datum iri prouocationem. Ac mihi quidem, Neoeuangelici Patres ac Fratres, hoc consilium visum est non adeò abhorrere ab ingeniis vestris, qui vel solâ victoriæ famâ soletis esse contenti, etiamsi neque cum hostium vestrorum vmbris sitis præliati.

Alij tamen hanc vestrûm solorum Caluinistarum παναρμονίαν, *meram fore* διαφωνίαν *augurabantur, exemplo Harmoniæ Geneuensis & Consensus Sendomiriensis, in quibus Conuentibus (vt in Troiano equo) intus bellum, foris pax iurabatur, quod erudito libro demonstrauit Andreas Iurgievvicius Canonicus Vilnensis. Et quidem non vanam fuisse horum diuinatorum augurationem, probasse videbatur vxorum vestrarum interuentus, quæ Sabinarum instar, suis singulæ ex vrbibus excitæ, vestris sese (quas præsentiebant) Euangelicis di-*

digladiationibus interposuerunt: hæ flentes quidem suorum maritorum casus, aliæ gratulatorio Dauidis carmine suorum victoriam concinentes, Percussit Saul mille, *&c. Nam quod opinabantur argutè nonnulli, Matres hasce Viragines, in nouum Senatulum Heliogabalicum Dordraci conscribendas; aut certè cum Agrippinâ ad audienda saltem Comitiorum arcana, velo tantùm interposito admittendas esse; indignum fide videbatur, apud Hippolytos illos, qui femineam molliciem barbæ truculentiâ se profitentur exosos.*

Prudentior sanè habebatur illa quorumdam Louaniensium Theologorum coniectura, hasce nempe matresfamilias aut ad forum conuenisse empturientes; aut ad torum nupturientes; aut ad Chorum, acturientes pro recuperando vetere iure Presbyterarum. Sed vtcumque ea res fuerit, ego sus deque habui, posteaquam

in-

intellexi, Synodum vestram non modò summâ cum consentientium pace, verùm etiam incredibili compotantium hilaritudine celebrari: quam tam insignem animorum συμμαχίαν, si præuidisset Adamus noster Contzen, non ita, credo, quasi de desperatâ Euangelicorum Synodo scripturus erat, in Outopiâ Medeniorum nobilissimâ vrbe eam posse celebrari; *non ita salsè exclamasset:*

Iungentur iam gryphes equis, annoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Vos enim Neoeuangelici Patres ac Fratres, tantâ malaciâ huius vestri conuentus Euripum primi enauigastis, vt ne vnius quidem Arminiani gemitus totâ Synodo fuerit exauditus, quando illos omnes eâdem auctoritate damnastis, quâ vos illi vicissim poterunt condemnare; tantâ sententiarum con-

consensione reos hos peregistis, vt non magis cuculus cuculo concinere potuisse videatur, quàm omnium vestrûm tamquam concolorum auium voces conspirarunt.

Ad vestrum igitur Dicasterion, vt in τὴν κερκώπων ἀγορὰν, *traxi aduersarios meos; Caluinistam ad Caluinistas; Lutheranum ad eos qui perpetuò clamant Lutheranorum se esse fraterculos, planè vt caussa nulla sit cur iudices tales velint eiurare.*

Iam caussa etiam maximè ad vos spectat de capessendâ Lutheranâ aut Caluinisticâ Religione. Illud enim etiamnum præcipuè quærimus, ecquam demum Caluinisticam Religionem ex omnibus Caluinistarum lycéis capessendam esse suaserit Brandius; quam Lutheranam Meisnerus? cùm id nec illi indicarint, nec vlli hucusque Conuentus definierint. Equidem existimo hanc rem maiori indigere examine, quàm egebat Brandiano Examine Consultatio Lessiana.

Quæ-

Quærimus ergo, quam deinceps Caluinisticam fidem capessemus? An ipsius Caluini? At illud etiam quærimus, quæ fuerit fides Caluini, qui toties secum ipse pugnauit; eadem nunc fidei dogmata affirmans, nunc negans, vt à plerisque est adnotatum.

An eorum fidem qui ὁλοκλήρως *Puritanismo sunt addicti? An Brunistarum, Hugonottarum, Vorstianorum, Arminianorum, an Gommaristarum? Tot enim genera speciesque sunt (parcant verbo Grammatici Caluinistæ) Fiderum Caluinisticarum.*

Denuò, si Lutheranam fidem amplecti expedit, quærimus iterùm, ecquam ex tot Lutheranicis sectifodinis?

An Lutheri fidem? At quæ illa fides Lutheri, qui de singulis propè grauissimis Religionis articulis ita scripsit inconstanter, vt septena pugnantia capita in quoli-

bet articulo ei appinxerit Cochlæus in Septicipite Luthero?

An fidem Confeſſionis Auguſtanæ? At Philippus Melanchthon duodecies Confeſſionem hanc refabricauit indignante Luthero, teſtante Andreâ Muſculo apud Hertzbergenſes; & quidem in grauiſſimis fidei capitibus, vt fatentur ibidem Selneckerus & Smidelinus, Saxoniciq́ue Theologi in Colloq. Altenburgenſi.

Quam ergo denique Lutheranicam fidem? An Antinomorum, Oſiandrinorum, Stanckarianorum, Maioriſtarum, Amsdorfianorum, Synergitarum, Flaccianorum, Adiaphoriſtarum, Subſtantiariorum, Accidentariorum, Pfeffingerorum, Muſculanorum, Vbiquetariorum, aliorúmve monſtrorum, quæ plurima huic Hydræ capita ſuccreuerunt?

En, Patres & Fratres, quanta Synodo veſtræ lis iudicanda relicta eſt, tot

iam

iam in exedris agitata, nusquam definita. Quare, ne vt ceteri omnes conuentus, nihil etiam vos agatis, & risu soluantur tabulæ, operæpretium duxi, illius vobis decreti paradigma recitare, quo Nicodemus Frischlinus apud Contzenium nostrum basilicè dissentientium Patrum animos conciliauit extemplò. Decretum, *inquit*, hoc constituo, atque à Synodo κυρωθῆναι authenticumque reddi vehementer velim: Fides iustificans, fides non iustificans; fides habitus, fides non habitus; fides actus, fides non actus; fides τὸ credere, fides non τὸ credere; fides propriè dicta, fides non propriè dicta; fides meritum Christi, fides non meritum Christi; fides correlatiuum fidei, fides non correlatiuum fidei; iustitia essentialis Dei, iustitia non essentialis Dei; iustitia

perfectæ impletionis Legis vicaria, iustitia non perfectæ impletionis Legis vicaria; iustitia quâ adulteri & homicidæ sunt sancti, non sancti; iustitia quâ iniustus est iustus, quâ non est iustus; fides quâ dubitans de Deo, Scripturâ & Christo, est certus salutis, quâ non est certus; fides nixa Baptismo, non nixa Baptismo; fides certa ex motibus pijs, non certa ex motibus pijs; fides dubia ex tentatione, fides certa ex incerto argumento; fides non fides; fides iustorum, fides diabolorum; fides Christianorum, non Christianorum; est delebilis, non delebilis; amitti potest, & non potest amitti; amissa potest indubiè recuperari, indubiè non potest; fides Lutherocalui-nosiandrobertiosibrandoparęana est
ἀσυ-

ἀσύςατος, non est ἀσύςατος.

Nisi hoc ipso aut simili quopiam decreto secundùm vtrasque partes litem detis, & iisdem simul abiudicetis, non video, Neoeuangelici Patres ac Fratres, quem sitis litis exitum reperturi.

Profectò etiam, quando ambigua aduersariorum meorum argumenta audituri estis contra Lessianam Consultationem De capessendâ Catholicâ Religione, videbitis rem totam multò liquere minùs. Hi enim quotiescumque omnem sibi aliam respondendi viam vident interclusam, vno scilicet eodemque Scripturæ quasi postico, præclarè se euadere arbitrantur. Igitur quotiescumque alia se deficere sentiunt argumenta, in singulis veræ Ecclesiæ notis oppugnandis, Scripturam tamquam postremum perfugium occupant, nihilo magis illius asylo contecti, quàm bonasus dum abdito solo capite in arbusta,

reliquum venatori prædandum relinquit corpus.

Ita agit Meisnerus, ita Brandius agit. Accipite hîc breue specimen, ne vos morer posteà iudicando occupatiores.

Meisnerus pag. 17. Modum Lessij non esse diuinum & Apostolicum argumento gemino probatum damus. Primò, Quia modus ille nullibi in Sacris literis præscriptus est.

Pag. 19. Modus ille Iesuiticus in nullo Euangelio, in nullâ Epistolâ Apostolicâ docetur.

Pag. 26. Modus Lessij est fallibilis & incertus, quia Consultatio eius non est fundata in Sacris literis.

Pag. 27. Fluctuatio numquam tollitur, nisi animus ab illis externis considerat iunculis ad solam Scripturam reducatur.

Con-

Contra primam veræ Religionis Notam, Studium perfectionis, Meisnerus pag. 71. Vbi legitur [*in Scripturis*] quòd Christus suis fidelibus suaserit paupertatem, ieiunia, cælibatum, vitam monasticam, *&c.*

Pag. 74. Vera sanctitas est quæ soli Scripturæ consonat.

Ibidem. Vt Religio Religioni præferatur, non tantùm considerandum est, an ea ad vitæ sanctitatem inducat, sed an veram doctrinam adferat.

Pag. 78. Omnis illa sanctitas Papicolarum nullibi est pręcepta, ideóque Deo non placet.

Contra secundam Notam, quæ est Excludere peccandi licentiam, Brandius paginâ 30. Doctrina de Pœnitentiâ & Satisfactione, vt proponitur à Lessio, quoniam sacris Scripturis

non nititur, est humanum commentum.

Meisnerus pag. 161. Satisfactiones destituuntur diuinis & præceptis & promissis.

Pag. 163. Purgatorium à Pontificiis confictum est, quia Scriptura de illo planè tacet.

Contra tertiam Notam, quæ est Cultorum sanctitas, Meisnerus pag. 191. Non fuit eorum sanctitas vera, sed potiùs superstitiosa, quoniam in electitiis cultibus fundata.

Contra quartam Notam, quæ est Miraculorum splendor, Meisnerus pag. 201. Cùm primùm propaganda esset inter Gentiles fides, Christus miraculorum dono ornabat ministros suos, *&c.* post fidem propagatam nullibi legimus.

Contra sextam Notam, quæ est Esse &

& vocari Catholicam, Meiſnerus paginâ 249. Vocabulum eſt non ἔγγραφον, ſeu in Scripturis propoſitum, ſed ἄγραφον.

Contra ſeptimam Notam, quæ eſt Succeſſio, Meiſnerus paginâ 259. Succeſſio Apoſtolica eſt duplex; altera localis, altera doctrinalis. Hanc ſi intelligit Leſſius, facilè conſentimus. *Si nempe ſucceſſio eſt in docendâ Scripturâ.*

Brandius pag. 63. Succeſſionem aio eſſe trium generum, aliam cathedræ, aliam doctrinæ, aliam vtriuſque ſimul.

Pag. 65. Papiſtæ fidem Petri non habent, vnde non ſuccedunt in doctrinâ Scripturæ.

De Notis hæreſeos; quarum prima, Defectus Antiquitatis, Meiſnerus paginâ 363. Si nuda tantùm temporis

Antiquitas ſpectetur, ſine conuenientiâ cum antiquis ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, *&c.* Antiquitas ficulneum falſitatis perizoma eſt, *&c.*

Pag. 365. Duo Antiquitatis infallibilia ſunt τεκμήρια: primum eſt, conuenientia cum Scripturis, *&c.*

Pag. 395. Noſtra Religio fuit ante annum 1517. quia in Scripturâ continetur.

Brandius pag. 97. Ex ſacrâ Scripturâ, non ex Doctoribus doctrinæ vetuſtas diſcenda eſt.

Alia hæreſeos Nota, Defectus miraculorum. Meiſnerus pag. 430. Non ſunt nunc neceſſaria miracula, quia veritas doctrinæ æſtimatur ex Scripturis.

Alia hæreſeos Nota, Defectus miſſionis. Meiſnerus pag. 282. Caluinus in quan-

quantum ex Sacris literis Papales idolomanias demonſtrauit, eatenus Dei Miniſtrum eum fuiſſe non negamus.

*Pag.*425. Exhibuit Lutherus patentiſſimas magni Iehouah literas Biblico codice comprehenſas.

*Alia hæreſeos Nota, Defectus Regulæ credendi. Brandius pag.*162. Certè nullam aliam credendi Regulam quàm ſacram Scripturam iam antè audiuimus.

*Alia hæreſeos Nota, Quòd Lutherana compoſita ſit ex antiquis hæreſibus. Meiſnerus p.*394. Eamdem omnium capitum fidei noſtræ complexionem in Scripturâ propoſuerũt SS. Apoſtoli.

Itaque ſola Scriptura Meiſnero & Brandio omnes explet Eccleſiæ Notas, omnes eluit hæreſeos Notas. Scriptura illis omnem doctrinæ complexionem facit, credendi

dendi Regulam facit, legitimam missionem facit, defectum miraculorum supplet, miracula facit, Antiquitatem facit, successionem facit, Catholicos eos facit, Sanctos facit, peccati licentiam excludere facit, denique vtramque eis paginam facit: vt frustrà omnino ab vtroque hoc homine prolixiores libri aduersus Lessium scripti sint, quando poterant paucissimi hi versus recitati, perfectæ refutationis esse loco. Vos igitur, Neoeuangelici Patres ac Fratres, pro æquitate vestrâ Areopagiticâ, quamuis in caussâ obscurâ & perplexâ, dum sancti Spiritus lumen vobis affulget affatim, clarum explicatumq́ue ius dicite postulanti; vt vestrâ etiam sententiâ appareat, Meisnerum meliùs facturum fuisse, si (quod ipse suâ in Præfatione profitetur) alteri alicui Theologo magis exercitato hanc disputandi prouinciam reliquisset. Valete.

Facultas R. P. Præpositi Prouincialis Prouinciæ Flandro-Belgicæ.

CAROLVS SCRIBANI Societatis IESV in Prouinciâ Flandro-Belgicâ Præpositus Prouincialis, poteſtate ad id mihi factâ à R. admodum P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, concedo Balthaſari Moreto Typographo Antuerpienſi facultatem typis mandandi HERMANNI HVGONIS è Societate IESV Apologeticos libros tres de verâ fide capeſſendâ, ad Synodum Dordracenam, pro Conſultatione R. P. Leonardi Leſſij Societatis IESV Theologi, aduerſus Balthaſarum Meiſnerum Lutheranum, & Henricum Brandium Caluiniſtam, à Theologis aliquot eiuſdem Societatis lectos & approbatos. In quorum fidem has litteras manu meâ ſubſignaui, & officij mei ſigillo muniui. Antuerpiæ VIII. Aprilis, M.DC.XIX.

Carolus Scribani.

APPROBATIO.

APOLOGETICI hi Libri tres veri antesignani sunt, qui puerilem vanitatem, & Cimmeriam præsumptionem cæcutientium Patrum Neoeuangelicæ Dordracenæ Synodi toti orbi commonstrent, adeoque meritò lucem adspicient, & typis diuulgabuntur. Datum Bruxellæ Idibus Aprilis, M. DC. XIX.

Henricus Smeyers, S.Th Licent. Scholasticus Bruxell. Librorum Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Archiducum Austriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum est; nequis *Hermanni Hugonis è Societate* IESV *De verâ Fide capessendâ ad Neoeuangelicam Synodum Dordracenam Apologeticos Libros tres aduersus Balthasarem Meisnerum Lutheranum & Henricum Brandium Caluinistam pro Consulatione R.P. Leonardi Lessij Societatis* IESV *Theologi*, præter Balthasaris Moreti voluntatem vllo modo intra sexennium imprimat, aut alibi terrarum impressos in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, IV. Maij, M.DC.XIX.

Signat.

I. Cools.

Tertullianus De Præſcript. aduerſus hæreticos, c. 41.

PACEM *quoque paßim* [hære-tici] *cum omnibus miſcent: nihil enim intereſt illis, licet diuerſa tractantibus, dum ad vnius Veritatis expugnationem conſpirent. Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur. Antè ſunt perfecti catechumeni, quàm edocti.*

HER-

HERMANNI HVGONIS
E SOCIETATE IESV

DE VERA FIDE CAPESSENDA

LIBER PRIMVS:

Quo asseritur legitima ratio inuestigandi veram Ecclesiam per octo NOTAS *à R. P.* LEONARDO LESSIO *allatas.*

QVOD pro certo indubitatoque futurum, Lessius prudenter existimare poterat; vt nempe suarum Notarum certitudo, apud neminem etiam hæreticorum, in dubium vocaretur; Balthasar Meisnerus fecit, vt putaremus, neque pro certo exploratoque duci posse; neque etiam deinceps meridiem mero medio die, certò dici posse lucere. Octo clarissimas Notas, pro certissimis Ecclesiæ veræ sigillis, in fidei deliberationem adhibendas produxerat Les-

 sius;

ſius; eaſdem omnino, quas Chriſtus, quas Apoſtoli, quas antiqui Patres, ad demonſtrandam Eccleſiam olim vſurparunt: atque hunc certiſſimum internoſcendæ Eccleſiæ modum eſſe ratus, eumdem vulgo propoſuit, ad conſultationem de capeſſendâ verâ fide ritè inſtituendam.

Meiſnero aliter viſum eſt, qui (vt noctuæ ſolent cęcutire ad ſolem) ſcribit pag. 18. *Operæ pretium erit pauliſper diſpicere, num modus iſte probatorius à Leſsio præſcriptus, ſit verus, legitimus, & accuratus.*

Eſt autem Leſſij modus inſtitutus per haſce octo Notas: 1. *Studium perfectionis.* 2. *Excluſionem licentiæ peccandi.* 3. *Sanctitatem cultorum.* 4. *Miracula cultorum.* 5. *Conuerſionem Gentium.* 6. *Nomen Catholicæ.* 7. *Succeſsionem.* 8. *Conſenſum Doctorum.*

Meiſnerus ibidem, *Negamus nos*, inquit, *& expreſsè dicimus; Primò, Modum eum eſſe merè humanum. Secundò, Fallibilem, & incertum. Tertiò, Nimis laborioſum. Quartò, Phariſaicum. Quintò, Diuinis vaticiniis reiectum. Sextò, Vel hypotheſibus Papiſticis contrarium, vel ex merâ ſimulatione & hypocriſi propoſitum.* Hic ordo eſt Meiſneri in refutandis Leſſianis Notis, quem velut manu ductus in vicem reſpondendo ſequar, vt Retiarium Secutor.

CA-

CAPVT I.

Ineptè à Meisnero probari, Modum quo Lessius inuestigat Ecclesiam, nec Apostolicum esse, nec Diuinum.

MEISNERVS pag. 17. *Non esse Diuinum & Apostolicum, argumento gemino probatum damus. Primò, Quia modus ille nullibi in Sacris litteris præscriptus est aut commendatus. Secundò, Quia non fuit olim à sanctis viris Dei obseruatus.*

Refutatio primi Argumenti.

Scuticâ aut ferulâ dignum argumentum, ita malè factum & fabricatum est.

Nam Primò, Argumentum est ab auctoritate negatâ.

Secundò, Si quid valeret, etiam aduersus Meisnerum valeret illud: *Nusquam in Sacris litteris præscriptum est, illum modum inuestigandæ Ecclesiæ, esse Diuinum & Apostolicum, qui in Sacris litteris præscriptus sit aut commendatus. Ergo neque modus ille erit Apostolicus & Diuinus, qui in Sacris litteris erit præscriptus aut commendatus.*

Tertiò, Falsum est, modum eum nullibi esse in Scripturis præscriptum.

Quartò, Nihil etiam valent allatæ firmando argumento probationes: omnes enim sunt vel à negatâ auctoritate argumenta, vel certè manifesta mendacia. Adeoque nulla in iis auctoritas est, quâ ampliùs quidquam probari possit, quàm vnde

discendum sit, quæ res sint fide credendæ: nulla quâ ostendi queat, vnde colligendum, quæ sit vera Ecclesia; quæ tota est Lessij in consultando cura. Planè, vt nullâ re magis potuerit se propinare ridendum Meisnerus, quàm relinquendo statum quæstionis, vt Lessium oppugnaret.

Probationes à negatâ auctoritate, sunt istæ:

Prima, fol. 18. vers. 7. à fine: *Verbum Domini animas conuertere legimus: non legimus illud de Notis Leßij.*

Secunda, ibid. v. 3. à fine: *In veteri Testamento primò ablegabantur homines ad Legem, & ad testimonium, non ad Notas Leßij.*

Tertia, fol. 19. vers. 15. *Scripturam nos de verâ fide informare docet Ioannes. In hac Timotheum suum permanere iubet Gentium Doctor, non in Notis Leßij.*

Fol. 2. vers. 9. à fine: *Sit igitur certißimum, modum de fide consultandi Leßianum, non esse Diuinum aut Apostolicum.*

Dignam tanto sopho conclusionem! Ac si dicas: Grammatica pueros litteras docet; ergo ex Grammaticâ scies, vbi omnes pueri analphabeti habitent. *Pulchrè, bellè, lepidè, lautè, nihil melius!* Mendacia sunt omnino duodecim, ad vnam asserendam propositionem. Lubet vnum alterúmve adferre, tantùm ad lepôrem & voluptatem.

Fol. 18. vers. vltimo: *In veteri Testamento non remittebantur ad considerationem succeßionis, aliorúmque similium signorum, sed ad Legem & testimonium,* ait Meisnerus. Fol. 19. vers. 2. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite, clamat Isaias cap.* 34. Si hoc loco Isaias populum remittit *ad cognoscendas Ecclesiæ notas ex libro Domini*; erunt igitur hæ Eccle-

siæ

ſiæ notæ: *Vrticæ & ſpina, cubile draconum, & paſcua ſtruthionum, occurſus dæmoniorum, clamores onocrotali & piloſi, terrores lemurum & lamiarum*, aliæque id genus plagæ, ad quas, an euenerint, examinandas, eò loci remittit Iſaias. Et quis iam non exclamet de tali tam formoſâ Eccleſiâ Lutheranorum; *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te!*

Fol. 19. verſ. 5. *Vbi ſcriptum, vbi præceptum eſt, quòd ſi veritas cognoſcenda eſt, ante omnia ſcrutari debeamus, & perpendere, illas extrinſecas ratiunculas? Diues Epulo ſimile quid petebat pro conuerſione fratrum ſuorum: Luc. 16.*

O rem ridiculam, Cato, & iocoſam!

Petebat, credo, diues Epulo vt quiſpiam ab inferis redux renuntiaret fratribus ſuis, quàm iſthic omnes arderent ſtudio perfectionis; quàm ſedulò niterentur excludere omnem peccandi licentiam; quanta eorum eſſet iſthic ſanctitas, ob quam æternis ignibus addicuntur; quàm multa in dies perpetrarent miracula, ad ipſos dæmones conuertendos. O zelum admirabilem Epulonis, qui ſimiles petebat fratribus ſuis notas indicari, quales Leſſius petit ad Eccleſiam deſignandam!

Secundum Meiſneri argumentum eſt pag. 21. verſ. 6. à fine: *Quia hic modus non fuit olim à ſanctis viris Dei obſeruatus.* Vnde inferendum illi erat, Ergo modus Leſſij nec Diuinus nec Apoſtolicus eſt, ſed merè humanus.

Refutatio ſecundi Argumenti.

Primò, Iuxta placita Lutheranicæ ſcholæ (quæ omnem Patrum ſanctorum auctoritatem con-

temnit, omniaque eorum dicta vt humanas fallibilesque sententias æstimat) planè erat contradictoria propositio sumenda; adeoque sic fuisset rectissimè Meisnero ratiocinandum, ex Antecedente contradictorio suæ propositionis: *Modus Lessianus olim obseruatus est à viris sanctis; igitur modus Lessianus est merè humanus.*

Secundò, Falsum omnino est, Lessianum modum in Ecclesiâ vestigandâ, non fuisse olim à sanctis Dei viris obseruatum, vt demonstrabitur posteà.

Tertiò, Omnes omnino probationes, quibus demonstrare nititur fol. 21. v. 5. à fine, semper cùm in veteri tum in nouo Testamēto, omne iudicium de verâ Religione, & recto Dei cultu, institutum fuisse iuxta Legem, quæ sola tamquam infallibilis norma commendetur in Scripturis; apertissima sunt mendacia. Quale verbi gratiâ illud est, vbi citatur lib. 1. Paralip. cap. 34. qui liber tantùm habet capita 29. Imò nonnullæ sacræ Scripturæ auctoritates allatę, ipsi Meisnero repugnant. Illa inprimis ex veteri Testamento 4. Reg. cap. 22. vers. 13. vbi Iosias non remittit suos ad consulendā Legem (vt Meisnerus ait) sed vt consulant *Prophetidem Holdam vxorē Sellum, filij Thecuc, de ipsis verbis Legis.* ex quo sequitur contra Meisnerum, Reges non semper remisisse ad Legem, sed subinde ad Prophetas, vt Iosias ad Prophetidem Holdam. Iterùm illa Nehemiæ 8. cap. vbi dicitur quidem Esdras legisse populo Legem, sed mox additur: *Et in die secundo congregati sunt Principes familiarum vniuersi populi, Sacerdotes, & Leuitæ ad Esdram scribā, vt interpretaretur eis verba Legis.* Ex quo sequitur, non

semper

ſemper ad Legem, ſed ſubinde ad interpretem, vt hîc ad Eſdram, eſſe itum. Ex nouo Teſtamento iſta Actorum 17. v. 11. de Berœenſibus. Berœenſes enim non erant id temporis viri ſancti Dei, de quibus ſumpſit in ſuo Antecedente Meiſnerus, ſed increduli, & catechumeni. Denique Conſtantini Cæſaris exemplum, qui quidem in Nicæno Concilio affirmauit, conſulendam Scripturam eſſe ad refutandos Arrij de Trinitate errores, non autem ad internoſcendam Eccleſiam. Et verò, ſi is credebat ſolam Scripturam eſſe infallibilem normam, cur Scripturæ explicandæ adhibuit vniuerſum Concilium Nicænum?

CAPVT II.

Modum Leſſij eſſe omnino conſentaneum rationi, neque poſſe inueniri alium meliorem.

POTERANT Meiſnero ſufficere reſponſa Capitis ſuperioris, vtpote paria numero cum obiectionibus illius; & (quæ mea fuit gratia) numero etiam ſuperiora. Ne tamen queratur, obliuione præteritum eſſe abs ſe præcipuum aliquod argumentum A ratione, quam pluris faciunt Lutherani omnes & Caluiniſtæ, atque ipſos Apoſtolos & ſanctos Patres, meapte ſponte decreui illi occurrere, illudque etiam oſtendere, non eſſe nos ita Papaſmos (vt videbatur ſibi eleganter loqui Lutherus) qui hominum auctoritate, Pythagoreorum inſtar, vt capiſtro abducamur, veriti

vel contrahiſcere, vel ſemel reluctari; verùm vel maximè ſequi nos rationem, quando ea non eſt captiuanda in obſequium fidei: quam ego columbinam ſimplicitatem numquam verecundabor profiteri etiam inter arcuata ſupercilia Lutheranorum, qui tamen inter hæreticos omnes maximè ſunt obeſi & pingues, vtcumque ſibi videantur arguti.

Igitur oſtendam Primò, Singulas Leſſij rationes eſſe huiuſmodi, vt quiuis prudens, etiam hæreticus, ex earum qualibet meritò iudicare debeat, illam eſſe veram Eccleſiam, in quâ eæ relucent.

Primum Argumentum.

Illa inueſtigatio Eccleſiæ eſt rationi maximè conſentanea, quæ inſtituitur per ſigna clariſſima, quæ neceſſariò ſoli veræ Eccleſiæ ſciuntur debere cõuenire. Sed talis eſt inueſtigatio Leſſij. Ergò, &c.

Maior propoſitio eſt clara & certa.

Minorem, quòd nempe inueſtigatio Leſſij inſtituta ſit per ſigna clariſſima quæ ſciuntur ſoli Eccleſiæ neceſſariò debere conuenire, probo inductione factâ per ſingulas Leſſij Notas.

Prima Leſſij Nota eſt, Studium perfectionis.
Secunda, Excluſio licentiæ peccandi.
Tertia, Sanctitas cultorum.

Pro his tribus Notis ita argumentor: Hæ tres Leſſij Notæ ſunt neceſſaria & efficacia media ad aſſequendum finem Eccleſiæ, qui eſt vita æterna. Atqui impoſſibile eſt extra Eccleſiam inueniri poſſe vlla media neceſſaria & efficacia ad aſſequen-

dum

dum Ecclesiæ finem. Igitur tres illæ primæ Notæ non possunt extra Ecclesiam inueniri: sunt autem clarissimæ omnibus & euidentissimæ; sunt igitur signa clarissima veræ Ecclesiæ.

Maior probatur, quia passim Christus, & Scripturæ sanctæ, ad vitam æternam assequendam suadent nobis fugam peccatorum, studium perfectionis, & sanctitatem morum: adeoque hæc facientibus & obseruantibus promittunt vitã æternam, negligentibus pœnas minantur æternas. Igitur hæc tria, studium perfectionis, exclusio licentiæ peccandi, & sanctitas, sunt media necessaria, & simul efficacia ad assequendum Ecclesiæ finem, qui est vita æterna.

Minor propositio est euidens, ipsisque Lutheranis & Meisnero probata; nam si extra Ecclesiam veram inueniri possent media efficacia ad vitam æternam, possent homines extra Ecclesiam veram saluari, quod falsissimum est.

Quarta Lessij Nota est, Gloria miraculorum.

Pro hac ita argumentor: Vt persuadeatur hominibus supernaturalis doctrina Ecclesiæ veræ, non solùm est rationi consentaneum, sed omnino necessarium, fieri aliquando clara aliqua miracula. Atqui impossibile est hæc Deum operari ad confirmandam doctrinam falsam, & Ecclesiam falsam. Igitur miracula sunt clarissima signa quæ sciuntur necessariò soli Ecclesiæ veræ debere conuenire.

Maior probatur, Primò, Quia aliàs nemo teneretur credere tali doctrinę, quæ sine miraculorum velut sigillis, nullam apud homines obtinere pos-

ſet auctoritatem. Id quod Melanchthon quoque affirmat in caput tertium Matthæi his verbis: *Et ſemper addit Deus miracula, vt certò ſciamus eſſe à Deo miſſos.* Et Lutherus ipſe ſic ſcribens de ſeruo arbitrio: *Nobis mandatum eſt prorſus nullum dogma admittere ſignis diuinis non antè probatum*: *Deut.* 18.

Secundò, Quia Deus ita ſe facturum promiſit Moyſi, Exod. 4. cap. dicenti, *Non credent mihi*, &c. *Vt credant quia apparuerit tibi Dominus*; verſa eſt virga in colubrum, & de colubro in virgam. Vbi oſtendit id fuiſſe neceſſarium, vt crederent; aliàs meritò non credituri.

Tertiò, Ita Chriſtus confirmauit reipsâ Eccleſiam Marci vltimo: *Illi verò profecti, prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* & ad Heb. 2. cap. *Conteſtante Deo ſignis & virtutibus.*

Minor probatur, Quia impoſſibile eſt Deum atteſtari rem falſam, eoque teſtimonio inducere homines in errorem. Sic enim implanaret & deciperet is, de quo dixit Eccleſiaſticus cap. 15. *Non dicas, Ille me implanauit*, &c. *Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.*

Quinta Leſſij Nota eſt, Gentium conuerſio. Sexta, Nomen Catholicæ.

Vtraque hæc promiſſa eſt Eccleſiæ ſuæ à Chriſto quaſi in dotem. Sed Chriſtus non promiſit dotem vlli alteri concubinæ (vt loquitur Auguſtinus) ſed ſoli ſponſæ ſuæ. Igitur Gentium conuerſio, & Nomen Catholicæ, eſt clariſſimum ſignum, quod ſcitur neceſſariò debere conuenire Eccleſiæ ſoli quæ vera eſt Chriſti ſponſa.

Maior

Maior probatur his verbis Augustini, Tomo nono de Symb. lib. 4. cap. 13. *Totum possidet, quod à viro accepit in dotem. Lego tabulas matrimoniales eius; recitabo. Audite hæretici quid scriptum sit: Oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem per omnes Gentes. Omnes Gentes, totus mũdus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dotem.*

Minor probatur verbis eiusdem Doctoris eodem capite: *Quæcumque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est, non matrona*, &c. *Cognoscatur vna sancta & vera Regina Catholica, cui Christus regnum tale dedit.*

Septima Lessij Nota est, Successio perpetua.

Hanc affirmauit Christus se impetrasse Petro, Luc. 22. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Defecisset enim, si aliquando fuisset secta hæc successionis catena. Hanc Gamaliel Apostolorum Iudicibus pro signo manifestissimo dedit Actor. 5. *Si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere eos.* Atqui hæc ita soli Ecclesiæ Catholicæ propria est, vt ob eam se fateatur in Ecclesiâ Catholicâ retentum sanctus Augustinus, lib. contra Epist. fund. c. 4. Ita verò clara, vt dicat de eâ Epiphan. hæres. 27. *Per hæc* (nomina nempe perpetuorũ successorum) *semper claritas ostenditur.* Igitur *successio* est clarissimum signum solius veræ Ecclesiæ.

Octaua Lessij Nota est, Consensus doctrinæ.

Hanc fuisse clarissimã, testatur Lucas Actor. 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima*

ma vna. & fatetur Lutherus cum Mansfeldensibus Heidelbergensibusque hæreticis, citatus apud Coccium. Igitur ex confessione Lutheri & Lutheranorum, *Consensus* est clarissimum Ecclesię veræ signum.

Secundum Argumentum.

Omnis ille modus explorandi veritatem Ecclesiæ, est maximè cōsentaneus rationi, qui talia signa proponit, quæ quiuis prudens & cordatus iudicat debere in verâ Ecclesiâ reperiri. Sed talis est modus Lessianus. Ergo.

Maior est clara: Alioqui stultis & insanis credendum esset magis de Ecclesiâ, quàm sapientibus & probis. Minor probatur, Quia nec ipsi Lutherani negabunt, nec vlli omnino hæretici, quin putent illam esse veram Ecclesiam, in quâ viget *studium perfectionis*, in quâ *excluduntur occasiones peccatorum*, in quâ semper fuere *sancti viri*, in quâ fuere cultores *miraculis* clari, ad quam *gentes conuersæ*, quæ nomine & re *Catholica* est, quæ *perpetuam successionem* habuit, quæ *vnum* semper habuit doctrinæ *consensum*; quæ omnia signa sunt Lessij. Sed dicit Meisnerus hæc se non habere pro signis. Quæro igitur, an Meisnerus iudicet illam esse Ecclesiam veram potiùs, in quâ nullum est perfectionis studium; nulla sanctitas morum aut cultorum; omnis licentia quorumuis facinorum; nulla miraculorum gloria; nulla successionis antiquitas; nulla consideratio doctrinæ? Aut hoc enim iudicare debet, aut alterum. Et verò, quis prudens hoc iudicabit cum Meisnero? Certum est igitur

iudicio

iudicio cuiusuis cordati & prudentis viri, Lessij modum esse rationi valdè consentaneum.

Tertium Argumentum.

Probandi Religionem modus hic est optimus & tutissimus, ait ipse Meisnerus pag. 16. *vt eam cum Scripturis conferamus; & si cum illis consentiat, recipiamus; si dissentiat, reijciamus.* pag. verò 23. *Si Scripturæ scrutinium præmitteretur, nemo ex nostris iret inficias, adiungi etiam posse quasdam rationes, vel considerationes alias; quod ipsum quoque olim à sanctis Patribus factitatum scimus.* Sed modus Lessij confert Religionẽ cum Scripturis, vt patet ex singulis capitibus Considerationũ; & præmisso Scripturæ scrutinio, adiungit easdem Cõsiderationes, quas adhibuerunt olim sancti Patres. Igitur modus Lessij optimus & tutissimus est etiam ex sententiâ Meisneri.

Quartum Argumentum.

Omnis ille modus à quouis prudenti & cordato viro haberi & credi debet rationi maximè fuisse consentaneus, quo vsi sunt ad Ecclesiam demonstrandam, ipsemet Christus summa sapientia Patris, & tot prudentissimi iuxtà ac sanctissimi Doctores. Sed modus Lessij idem est atque is quo vsi sunt Christus, & omnes Doctores, & Patres, vt ostensum. Ergo modus Lessij cuiuis viro cordato & prudenti debet videri maximè esse rationi consentaneus.

CAPVT III.

Modus probandi veram Religionem non debuit à Lessio sumi ex solâ Scripturâ.

ADMIRANDVM triumphum sibi canit Meisnerus ob neglectam, vt ait, à Lessio Scripturam; planè sicut Horatianus ille Vertumnus:

Qui se credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo lætus sessor plausórque theatro.

Quia, inquit pag. 15. v. 11. *in ipso etiam examine crebrò aberratur, idcircò profuerit certum & infallibilem discere & obseruare modum, iuxta quem pretiosum à vili, verum à falso rectè & indubitanter distingui queat. Quemadmodum enim lapis habetur (Lydium vel Heraclium vocat Plinius) ad quem probantur metalla; sic mensura quædam necessaria est iuxta quam examinentur dogmata. Illam nos statuimus esse sacrosanctam Scripturam, libris Propheticis & Apostolicis comprehensam. Quidquid enim cum hac concordat, veritas est: quidquid ab illâ discrepat, error & hæresis est. Modus autem ille Iesuiticus*[pag. 19. v. 4. à fine]*in nullo Euangelio, in nullâ Epistolâ Apostolicâ docetur aut præscribitur.*

Refutatio.

Respondeo Primò: Nusquam habetur in totâ Scripturâ, quòd sola Scriptura sit mensura cognoscendæ veræ Ecclesiæ. Atqui ex sententiâ Meisneri nihil potest esse Ecclesiæ veræ mensura, nisi quod est in Scripturâ. Ergò sola Scriptura non potest esse mensura cognoscendæ veræ Ecclesiæ.

Respon-

Respondeo Secundò: Omnis regula seu mensura ita firma esse debet vt distorta fieri nequeat. vnde regula Isidoro quasi rectula; siue, quòd distorta regat, corrigatque, dicta est lib. 6. cap. 16. aliàs certè esset *Regula Lesbia* prouerbio ob prauitatem iactata apud Aristot. lib. 5. Ethic. cap. 10. Atqui Scriptura sola facillimè ab hæreticis omnibus (vt probatur exemplo omnium omnino Sectarum, sese mutuò damnantium ex amussi Scripturæ) distorquetur in omnes partes & sensus instar Lesbiæ regulæ factæ è plumbo. Igitur sola Scriptura non potest esse certa regula seu mensura cognoscendæ veræ Ecclesiæ.

Respõdeo Tertiò: Quidquid est Ecclesiæ mensura aut nota, debet esse perpetuum & constans in Ecclesiâ, aliàs enim falli omnes possemus in eâ eligendâ. & fatetur ipse Meisnerus fol. 30. dicens, *omnem normam debere esse perpetuam*. Atqui nulla fuit conscripta Scriptura per bis mille quingentos octuaginta annos, ab Abel vsque ad Moysen, cùm tamen intereà fuerit manifesta & benè nota Ecclesia. Igitur Scriptura sola non potest esse Ecclesiæ norma aut nota.

Respondeo Quartò: Ab ipso Luthero Scripturam non fuisse pro Ecclesiæ normâ admissam, sed impudentissimè contemptam. Nam licet Lutherus quidem in Assertion. ad Leonem X. furiosi & fanatici instar clamauerit: *Ego aduersus dicta Patrum, hominum, Angelorum, dæmonum, pono non antiquum vsum, non multitudinem hominum, sed vnius Maiestatis æternæ verbum, Euangelium*, &c. *Hic sto, hic sedeo, hic maneo, hic glorior, hic triumpho, hic insulto Papistis, Thomistis,*

mistis, Henricistis, Sophistis, &c. *Ego clamo, Euangelium, Euangelium; Christus, Christus: ipsi respondent, Patres, Patres; vsus, vsus; statuta, statuta.* Hæc, inquam, etsi tam insolenti petulantiâ effutierit, quasi laudaturus Scripturas; omnia tamen hæc encomia resorbuit Tom.1.Germ.Witt.Comm.in cap.3. ad Galatas, ita scribens contra Scripturam: *Tametsi Papistæ ingentem cumulum locorum Scripturæ adferant, in quibus bona opera præcipiuntur; ego tamen nihil curo omnia dicta Scripturæ, si etiam ijs adhuc plura adferrentur. Tu Papista valdè quidem fastidis & ferocem te facis cum Scripturâ, quæ tamen Christo vt Domino subest. Itaq; nihil eâ re moueor. Age sanè. famulo nitere quantum voles: at ego nitor Christo vero Magistro Domino & Imperatore Scripturæ*, &c. *Illi honorem habere & credere malo, quàm vt omnibus dictis Scripturæ vel vnguem latum à sententiâ me patiar dimoueri.*

Respondeo Quintò, Probationes omnes Meisneri, quibus hanc suam regulam nititur stabilire, plenas esse mendaciis & antilogiis.

Primum mendacium, pag.15.v.3.à fine: *Scriptura*, inquit, *est firmus ille sermo, cui [soli] debemus attendere. 2. Petri 1.v.19.* At diuus Petrus nec ibi nec alibi habet verbum *soli*, sed ita: *Cui benefacitis attendentes.* Idem mēdacium repetit pag.19. vers.19. à fine: *Huic* (Scripturæ) *soli nos attendere suadet diuus Petrus.*

Secundum. Ibidem adfert verba Auctoris Operis imperfecti ex Homil.49. (quibus affirmat ille, temporibus Antichristi ad solam Scripturam fore recurrendum) ad probandum solam Scripturam fuisse semper, adeoque etiamnum esse regulam,

lam cognoscendæ veræ Ecclesiæ, cùm tamen idem ille Auctor postquam dixisset, *In hoc tempore* (Antichristi) *nullum refugium esse posse Christianorum volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scripturæ diuinæ*; versu proximo adnectat: *Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ Gentilitas*. En vt canis hic festinans cæcos pariat catulos. Mentitur igitur Meisnerus, Auctorem Operis imperfecti docere, tantùm esse vnum modum cognoscendæ Ecclesiæ per solam Scripturam, qui docuit fuisse multos modos, quibus ostendebatur, quæ esset Ecclesia, quæ Gentilitas.

Tertium, pag. 18. v. 3. à fine: *In veteri Testamento*, inquit, *primò ablegabantur homines ad Legem & ad testimonium, Isa. 8. vers. 20. non ad considerationem successionis, antiquitatis, aliorumque similium signorum*. Simile nihil hîc dicitur ab Isaiâ.

Quartum, pag. 9. *Diues Epulo simile quid petebat pro conuersione fratrum suorum, Luc. 6. sed pater Abraham respondebat: Habent Moysen & Prophetas*. Primò, Diues Epulo nihil simile petebat, vt Lessius, ad cognoscendam Ecclesiam, sed oculatos testes tormentorum, qui nuntiarent ea fratribus. Secundò, Nec Abraham remittit eos ad Moysen & Prophetas pro cognitione veræ Ecclesiæ, sed pro cognitione ęternorum illorum suppliciorum. An hæc fortè Ecclesia Meisneri?

Quintum, pag. 19. vers. 15. *Sic Apostoli nullam aliam præscribunt probandi regulam normámve quàm Scripturam*. Non id probant hæc straminea argumenta Meisneri: *Hanc* (Scripturam) *nos de verâ fide informare docet Ioannes cap. 20. In hac permanere*

B

manere Timotheum suum docet Gentium Doctor. Qui nouit Deum, audit nos, &c. *In hoc cognoscimus spiritum erroris, ait Apost. Ioan.* 1. *Epist.* 4. *v.*6. Non enim hinc sequitur: Igitur Apostoli nullam aliam regulam pręscribunt, quàm sanctam Scripturam. Imò contrà Ioannes cap. 20. vers. 8. fidem non ex Scripturâ, sed Scripturæ sensum ex visis signis in sepulcro Christi se ait accepisse. Item Epist. 1. cap. 4. v. 6. docet, fideles ab infidelibus internosci, non ex Scripturâ, sed ex obedientiâ, quam Prælatis suis præstant fideles.

Sextum, ibidem: *Nullibi remittimur ad Successionem Episcoporum, nullibi ad conditionem morum, nullibi ad nomẽ Catholicæ.* Vbi verò potuisset Christus ad mores remittere clariùs, quàm cùm dixit Matth. 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos?* Pinguis noster olitor Meisnerus fortasse putauit Christum loqui de fructibus arboris Mori, non morum. Vbi Apostoli clariùs ad successionem, & ad nomen Catholicę, quàm cùm in ipso Symbolo suo Ecclesiam vocarunt *Catholicam*? Et adhuc animi pendet Meisnerus pag. 21. *Quomodo certus reddetur in electione fidei, an hæc methodus optima, & à Deo profecta sit; si consideremus vbi edantur miracula? vbi sit consensus Patrum & Episcoporum?* Dubitat etiam Meisnerus, credo, an Christus ipse, qui dixit, *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur*; qui dixit, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; dederit modum, etiam merè humanum, fallibilem, Pharisaicum, hypocriticum, qualis est Lessianus, ad cognoscendam veram Ecclesiam.

Septimum, pag. 21. v. 19. *Deus in Scripturâ nihil aliud commendat nobis quàm Scripturam.* Traditio-

ditionem commendat Paulus 2. ad Thessalon. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.*

Octauum, pag. 23. *Scripturam penitus silentio inuoluere, illius lectionem prohibere*, &c. *omnem probandi rationem Iesuiticam meritò suspectam reddit.* Nusquam Iesuitæ prohibent lectionem sacræ Scripturæ: vulgo & ineruditis hominibus Ecclesia lectione Bibliorum vernaculorum interdixit; nemini abstulit, ne plebeio quidem vlli, vsum codicum Latinorum. Sed profectò etiam si declinarent Iesuitæ certamen Scripturarum cum hæreticis, sapienter id facerent de sententiâ Tertulliani, ita scribētis lib. De pręscript. cap. 15. *Hunc potissimùm gradum obstruimus, non admittendos eos ad vllam de Scripturis disputationem: si hæ sunt vires eorum, ánne eas habere possint, dispici debet, cui competat possessio Scripturarum; ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.*

CAPVT IV.

Modum Lessij non esse fallibilem & incertum: sed modum Lutheranorum esse incertissimum & Lunaticum.

TRIBVS argumentis, & adiectitio quodam figmento probat Meisnerus Lessij modum esse fallibilem & incertum.

Primum Argumentum Meisneri.

Fol. 26. *Consultatio Lessij non est fundata in Sacris litteris, ideóque nullam animi πληροφορίαν gignit.*

Probatio prima.

Verbum & Fides relata ſunt, ideoq́ue ſe inuicem ponunt & tollunt.

Refutatio.

Prima argumenti propoſitiò iam ſuprà refutata eſt. Probatio falſa eſt. nam in quâ Theologiâ Fides & Verbum ſunt relata? & quare ſublatâ Fide neceſſe eſſet tolli Verbum? Certè Beati iam in cælo Scripturam pro Scripturâ habent, neque tamen Fidem habent. Hæretici omnes Scripturam habent, Scripturâ ſe niti affirmant; Fidem tamen non habent. Et Fide tenendas eſſe traditiones æquè ac Verbum ſcriptum, dictum ſuprà ex Scripturâ 1. ad Corinth. 11. *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones*. Si igitur dixiſſet Meiſnerus, relata eſſe Fidem & Verbum Dei ſeu ſcriptum ſeu traditum, aliquid cum ratione dixiſſet.

Probatio ſecunda.

Pag. 27. *Fluctuatio numquam tollitur, niſi animus ab externis illis conſiderationibus ad ſolam ſacram Scripturam reducatur.*

Refutatio.

Quî fit igitur, tantas eſſe inter hæreticos omnes fluctuationes, qui omnes ſe appellunt ad Scripturas? certè nullus Euripus crebriores habet motus.

Secundum Argumentum Meiſneri.

Pag. 27. *Incertitudo modi Ieſuitici elucеſcit ex eo etiam, quòd pleraque illæ Cōſiderationes ita ſunt comparatæ,*

paratæ, vt quadrent etiam in religiones falsas, &c. *Græcanicæ tantùm Ecclesiæ conditio & religio attendatur : an non huic omnia ista externa σημεῖα rectè applicari possunt ? cùm tamen ab ipsis Pontificiis pro falsâ & Pseudo-catholicâ habeatur,*&c. Pag. 28. *Græcis adiungimus Synagogam Iudaicam, quæ ad palliandam infidelitatem suam non opus habebit alia conquirere perizomata, si obtineat Consultatio Lessiana.*

Refutatio.

Falsa est Assumptio, & vtraque eius probatio. Falsum est, Græcam Ecclesiam haberi à Pontificiis pro Pseudo-catholicâ. Olim initio dissensionis habita est tantùm pro schismaticâ; schisma autem non est infidelitatis peccatum, sed contra charitatem : nunc autem habetur etiam pro hæreticâ. Item falsum est, Græcanicæ Ecclesiæ olim schismaticæ, & nunc hæreticæ, conuenire omnia Lessij σημεῖα; cùm neque Catholica vocetur, neque vna sit, neque successionem habeat, neque miracula, &c. de quibus se olim iactare potuit quamdiu sub Romano Pontifice stetit viris sanctis florentissima; at postquam ab hoc capite discessit,

Cœpit spes Danaûm retrò sublapsa referri.

Falsum item est, omnes Lessij notas conuenire in modernam Synagogam, quæ Synagoga est satanæ; conuenerunt autem in veterem Synagogam vsque ad Christi tempora, quæ fuit vera Ecclesia. At post Christum Iudaica Synagoga, quæ, obsecro, habuit miracula, extinctâ piscinâ ? quam catenam successionis, translato in Petrum Pontificatu ? quos viros sanctos, præter fœnerato-



res ? quam conuersionem Gentium, cùm fuerit ipsa dispersa?

En quàm acutè ratiocinetur Meisnerus de Iudaicâ Synagogâ, & de Ecclesiâ Græcâ.

Tertium Argumentum Meisneri.

Fol. 30. *Omnis norma perpetua esse debet, ita vt ad illam semper commensurari queat mensuratum. Non autem omnes illæ Fidei Notæ sunt perpetuæ & vniuersales; præsertim quod concernit miracula, conuersionem Gentiũ, & successionem Episcoporum.*

Refutatio.

Respondeo Primò: Assumptio vera est, sed falsa Subsumptio.

Respondeo Secundò: Agnoscit hîc saltem Meisnerus Lessij perpetuas esse Notas omnes, exceptis tribus, Miraculis, Conuersione, Successione.

Respondeo Tertiò: Etiam hæ tres Notæ perpetuæ sunt atq; vniuersales. Miracula perpetua sunt, quia omnibus sæculis edita fuisse in omni ferè genere ostẽdit Cardinalis Bellarminus, & alij; neque vllus hæreticus verè refutauit. Conuersio Gentium perpetua fuit, vt ostẽsum à Bellarmino, vsque ad sæculum sextum post Christum; à sæculo sexto vsque ad Apostolos conuersiones factę recensentur à Chronographis aliis, & fatetur Parte secundâ, Considerat. de Gentium conuersione, ipse Meisnerns, omnes eos, qui ante sextum illud sæculum conuersi sunt, ad veram Ecclesiam fuisse conuersos. Successio perpetua, quia nusquam interrupta in Sede Romanâ, vt Parte secundâ probabitur, Consideratione de Successione.

Pro-

Probatio prima tertij Argumenti.

Pag. 30. *Conuersio, Successio, Miracula tunc solùm habent locum, quando Ecclesia in illustri statu constituta est.*

Refutatio.

Imò contrà, Miracula tum maximè habent locum, cùm Ecclesia delitescit in luctu, vt ipso miraculorum fulgore innotescat. Quàm enim illustri loco erat Ecclesia temporibus Apostolorum? nimirum, *Ibant gaudentes à conspectu Concilij, quia digni habiti erant pro nomine Iesu contumeliam pati; circuibant in melotis & in pellibus caprinis, in speluncis, & cauernis terræ, quibus dignus non erat mundus;* & tunc tamen *in omnem terram exiuit sonus eorum.* Tum Gentes plurimæ ad fidem adductæ; tum creberrima facta miracula, & quæ nec Meisnerus suspecta habere potest. & solùm hæc fiunt cùm Ecclesia illustri est loco? Imò cùm loco est obscuro, tunc fiunt hæc maximè; adeoque *sanguis Martyrum semen est Christianorum*, ait ad Scapulam Tertullianus. Et temporibus Antichristi, quando vix fides inuenietur in terris, illustrissima fient miracula ab Eliâ & Enoch, vt testatur in Apocalypsi Ioannes.

Probatio secunda.

Pag. 30. *Non enim semper patet* (Ecclesia) *sed quandoque latet.*

Refutatio.

Latere scilicet potest *ciuitas supra montem posita, quæ abscondi non potest*: Matth. 5. Ecquando

latet, quæso tecum, Meisnere? Tempore persecutionũ, ais, & hæreseon. At *oportet hæreses esse, vt qui probati sunt in vobis manifesti fiant*, ait Paulus 1. ad Corinth. cap. 11. Non ergo abscondunt Ecclesiam hæreses, sed manifestant eam.

Probatio tertia.

Pag. 30. *Sicut Christi (qui Ecclesiæ caput est) duo sunt status, alter ἐλαττώσεως seu exinanitionis, alter ὑπερυψώσεως seu exaltationis; ita & corpus Ecclesiæ suis vicissitudinariis mutationibus distinguitur, dum nonnumquam claret, & ad ipsam conuertuntur multi, &c. nonnumquam verò elanguet, tempore persecutionum & hæreseos, vbi visibilis tum Pastorum successio, tum Gentilium conuersio impeditur.*

Refutatio.

Contrà, Sicut Christus in statu exinanitionis suæ, exaltatus in cruce *traxit ad se omnia*, Ioannis 12. ita quoque proprium esse Ecclesiæ, *vt tunc vincat cùm læditur, vt tum intelligat cùm arguitur, tum obtineat cùm deseritur*; verissimè scripsit S. Hilarius lib. 7. de Trinitate, & post eum notauit Ambrosius lib. 9. cap 10. in Luc. comparans Ecclesiam vineæ, *quæ ligata erigitur, & recisa augetur.* Idemque affirmant Patres, Clemens Alexand. Stromat. lib. 6. sub finem, Origenes lib. 1. contra Celsum, Gregorius Magnus lib 9. Moral. cap. 7. Tertullianus Apologet. cap. 37.

Adiectitium figmentum Meisneri.

Pag. 31. *Reliquæ etiam rationes omnes Lessij ideò sunt fallibiles, quia quidquid in ijs obseruatur, & nos ad*

ad eligendam fidem mouere deberet, à falsis quoque Prophetis simulari potest.

Refutatio.

A nullis falsis Prophetis ita diu simulari potest apud omnes homines studium perfectionis, perpetratio miraculorum, antiquitas successionis, quantumuis *veniant* (vt Meisnerus loquitur) *sub ouinâ pelle*, quin aliquando fraudi persona detrahatur. Ouina fortè capita, aut Athenienses noctuæ aliquot, Meisnero similes, falli possunt huiusmodi laruis; non verò orbis vniuersus, qui hucusque nullam in hisce Ecclesiæ notis hypocrisim deprehendit, aut fraudem. Imò verò si permitteret Deus tot sæculis decipi homines sine culpâ suâ, iure se illi apud Deum tuerentur. Sed ne vel vnum Pharaonem magicis incantationibus mendaces arioli ludificarent, fecit Deus vt eorum colubri vorarētur à virgâ Moysaicâ; & proiectus in aërem puluis in sciniphes non verteretur. Ne personata Pharisæorum hypocrisis sanctimoniæ nomen inueniret, eorum sutelas & artificia Christus mundo ostendit. Quomodo igitur permisisset Deus mundum propè vniuersum tot sæculis ludificari, simulato perfectionis studio, & magicâ portentorum perpetratione?

Denique certitudinem modi Lessiani confirmo hoc argumento:

Ille modus probandi veritatem Ecclesiæ certus atque infallibilis est, qui adhibet notas in Sacris litteris fundatas, perpetuas, & ita Ecclesiæ proprias, vt in nullam aliam Religionem conueniant. Sed talis est modus Lessij, vt iam probatum est

 lucu-

luculentè. Eſt igitur modus Leſſij certus & infallibilis.

Incertitudo normæ & notarum Eccleſiæ Lutheranæ.

Supereſt, vt quàm incertus falláxque ſit modus Lutheranorum, oſtendam: id quod duplici ex capite videor poſſe facere manifeſtú. Primò, Ex inconſtantiá earum notarum, quas illi adferunt. Secundò, Ex earumdem obſcuritate. Ex quo ratiocinor in hunc modum:

Internoſcere illam perſonam, vel Eccleſiam, quæ nullas eaſdem notas conſtãter retinet, eaſque ita obſcuras habet, vt videri vix aut omnino non poſſint, eſt maximè fallibile & incertum. Sed Eccleſia Lutherana, nullas eaſdem notas conſtanter retinet; eæque, quas habet, ſunt ita obſcuræ, vt ferè aut omnino videri non poſſint. Ergo internoſcere Eccleſiam Lutheranam eſt maximè fallibile & incertum.

Maior propoſitio eſt clara; quia omnes res internoſcuntur tantùm diuerſitate notarum ſuarum. Vnde quæ omnino ſunt ſimiles, neque vllas habẽt diſtinctas notas, non poſſunt internoſci; minimè verò, ſi notæ ſint obſcuræ.

Minor propoſitio duas habet partes: primam de Inconſtantiá; ſecundam de Obſcuritate.

Probatur prima de Inconſtantiâ.

Inconſtantia in cenſendis Lutheranæ Eccleſiæ notis.

Lutherus Tom. 7. tractatu De Eccleſiæ notis, enumerat ſeptem. 1. *Verbum Dei.* 2. *Sacramentum Bapti-*

Baptismi. 3. Sacramentum Eucharistiæ. 4. Claues Ecclesiæ. 5. Ministerium verbi. 6. Orationes publicas. 7. Persecutiones & afflictiones pati, &c.

Centuriatores Magdeburgẽses quatuor. 1. *Verbum Dei in prædicatione. 2. Verbum Dei in confessione. 3. Legitimum vsum Sacramentorum. 4. Ministerium, & obedientiam verbi.*

Matthias Illyricus Comment. in Acta, ad has quatuor addit *Inuocationem & Charitatem.*

Victorinus Strigelius Commentar. in Psal. 109. demit de dicto senario *Charitatem.*

Interimistæ in Comitiis Augustan. anno 1548. intermittunt aut intermittunt *Charitatem*, & requirunt pro quartâ notâ, *Catholicum consensum.*

Melanchthon in Responsionibus ad Antil. Bauaricę Inquisitionis, reiecto *Consensu* illo, non agnoscit, nisi has tres. 1. *Doctrinam incorruptam. 2. Rectum vsum Sacramentorum. 3. Obedientiam ministerio debitã.* In Locis verò commun. & Repetit. Confess. Augustanæ tantùm priores duas.

Musculus in Locis communibus abiicit *Consensum Catholicum.*

VVittebergẽses & Helueticæ Ecclesiæ in Confessionibus suis adferunt tantũ notas duas. 1. *Doctrinam sanam. 2. Rectum vsum Sacramentorum.* Quis igitur in hoc Euripo non fluctuet? Quis in tantâ iactatione teneat veræ Ecclesiæ portum? Probatur secunda de Obscuritate.

Obscuritas in notis Lutheranorum.

Notam vocamus id, per quod res venit in notitiam; quare oportet eam ipsâ re notatâ esse euidentiorem. At profectò multò obscuriores sunt Luthe-

Lutheranorum notæ, atque ipsa Ecclesia, adeoque eam faciunt incognoscibilem.

Primò enim, Verbum Dei, seu Scripturam quis vel Lutheranorum neget esse admodum obscuram, cùm ipse Lutherus vnicam illam sententiam, *Hoc est corpus meum*, tricies & sexies diuersis modis explicarit? ideoque fassus sit alibi, totis se annis quinque conatum esse, locum illum explicare, si potuisset, per Tropum. Deinde cùm Ecclesia bis mille & quadringentis annis prior fuerit omni Scripturâ; ipsaque, quid Scriptura sit, quid non sit, iudicare debeat, Auctore August. lib. contra Epistolam fundam. cap. 5. & fatente Brentio in Confessione VVittenbergensi cap. De Scripturâ; certum est, illam hac debere esse notiorem. Denique cùm hucusque inter omnes omnino hæreticos contestata lis maneat de Scripturâ, neque vlli adiudicata eius explicandæ certa auctoritas; quis non videat Scripturam Ecclesiâ longè esse obscuriorem? *Non aliter*, ait Augustinus de Genes. ad liter. lib. 7. cap. 9. *sunt hæretici, nisi quòd Scripturas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserunt.* & Tertull. vt ostendat hæreticorum in explicandâ Scripturâ nauseam instar muliebris malaciæ, seu κίττης, lib. de Præsc. c. 17. *Ista*, inquit, *hæresis non recipit quasdam Scripturas: & si quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit; & si recipit, non recipit integras; & si aliquatenus integras præstat, nihilominùs diuersas expositiones commentata conuertit. Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.*

Secundò, Claues Ecclesiæ cùm sint potestas spiri-

piritualis, quis eas internoscet?
Tertiò, Vera & legitima prædicatio quę sit, pendet quoque ab Ecclesiæ iudicio: vnde oportet Ecclesiam eâ esse notiorem.
Quartò, Charitas cùm in animâ sit, neque ipse, qui eam habet, sciat *an odio an amore dignus sit*; quanto obscurius signum erit externis, qui corda non scrutantur aliorum?
Quintò, Cùm Lutherus Ecclesiæ suæ notas dicit esse septem; Centuriatores, quatuor; Melanchthon, tres; Musculus, duas; alij (qui inuisibilem faciunt) nullam; quis non videat, Ecclesiam hac notarum variatione, non minùs quàm Protheum quemaut Polypum, non posse deprehendi, imò ita fieri obscuram, vt internosci planè non possit? Nam dic, amabo te, Meisnere, si ego hanc sponsam, hanc inquam Ecclesiam tuam procari velim, quomodo eam de vultu cognoscam? quibus indiciis? quibus notis? an septem Lutheri? an tribus Melanchthonis? an duabus Musculi? an quatuor Centuriatorum? Periculum profectò hîc est in tot eius vultus mutationibus, in tantâ notarum incertitudine atque obscuritate, ne Iacob aliquis Liam arripiat pro Rachele. Et scire velim, Meisnere, quo tu indicio certus sis, Ecclesiam illam, in quâ tu es, esse Ecclesiam Lutheranam? non certè iudicio Lutheri, qui ait Ecclesiæ suæ notas esse septem; nam tu in Ecclesiâ es, quæ nosci potest solâ conformitate cum Scripturâ, vt ais pag. 15. Vide Meisnere, ne quis cuculus supposuerit oua curucæ.

CA-

CAPVT V.

Modum Leſſij non eſſe nimis laborioſum; ſed contrà difficillimum eſſe modum Lutheranorum.

TRES Leſſij Notæ, Sanctitas, Miracula, Conſenſus, vt ſeriò ſufficienterque expendantur, viſæ ſunt Meiſnero intolerabilem adferre laborem multarum peregrinationum, & immenſi ſtudij ac lectionis.

——— *Quantum hinnitum atque equitatum!*

Pag. 37. *Ad ſanctitatem inueſtigandam, hinc inde migrandum erit*, inquit, *vt appareat, quis cœtus altero ſit ſanctior & religioſior: id quod per ſe laborioſiſſimum eſt. Perlegenda ſunt omnia monumenta vetera, omnes hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & multi commentarij Monachales, vt conſtet tum de cultorum ſanctitate, tum de antiquitate & ſucceſſione, tum de miraculis, & Gentium conuerſione.*

Ad expendenda *Miracula* eamdem vtramque moleſtiam obtrudit pag. 33. *Quis enim*, ait, *faciet fidem, omnia ſic geſta eſſe, vt referunt Monachi?* &c. *Si porrò ex nouis miraculis probanda ſit fides, peregrinandum erit in Iaponiam*, &c.

Ad explorandum *Conſenſum* denique grauiſſimum laborem adfert legendorum Patrum omnium, vt ſcias an conſentiant, nec ne. *Si autem*, inquit, *euoluendi ſunt tantùm Tomi decem Auguſtini, magnum opus Thomæ de Aquino, Tomi Conciliorum, Tomi ſedecim Salmeronis, Tomi Bellarmini, Tomi Baro-*

Baronij,&c. cogites, quæso, quanta omnino longinquitas temporis requiratur. Vnde concludit pag. 34. sub finem: *Igitur opus erit, vt (si modò Lessiana methodus obseruanda) immensam Doctorum bibliothecam laici & linguarum imperiti ingrediantur, & per omnes vitæ dies libris adhæreant, atque ita, fides quæ sit capessenda, consultent: quod quàm laboriosum sit, quàm difficile, imò ipsis impossibile, quis est qui non intelligat?*

Pro Ecclesiæ Sanctitate noscendâ, non esse opus peregrinatione.

Primò, Quia ex historiis omnibus satis constare potest, quàm sancta fuerit Ecclesiæ doctrina; quàm sanctæ leges, quàm sancti mores. Sicut plerisque Catholicis & hæreticis, qui numquam sunt in Germaniâ peregrinati, satis constat, quàm proiecti fuerint mores Lutheri, quanta castitas, quanta temperantia, quanta cōstantia in docendo: nam qui vel per vnum Cochlei libellũ De septicipiti Luthero fuit peregrinatus, næ ! ille sat multa peregrina monstra viderit breui tempore, & viâ.

Secundò, Ex pastoribus suis, aliisque Doctoribus vulgus item audire potest, quæ per se ex libris discere non valet.

Tertiò, Quilibet idiota prudenter etiam iudicabit de toto Ecclesiæ corpore, ex suæ Ecclesiæ particularis sanctitate; maximè accedente communi famâ, & grauissimorum virorum auctoritate.

Quartò, Etiam à rudibus hominibus plurimi pro Sanctis habiti sunt, quos Ecclesia Sanctos æstimauit, vt Ambrosius, Augustinus, Bernardus, &c.

Nec

Nec item pro noſcendis Miraculis aut Conſenſu, opus eſſe peregrinatione.

Primò, Quia ſi opus eſt peregrinando omnia inſpexiſſe, vt fidei πληροφορίαν conſequaris, iam non *ex auditu erit fides*, ſed ex peregrinatione.

Secundò, Si opus eſſet peregrinatione ad has tres notas indagandas, erit ſanè etiam maiori peregrinatione opus, ad indagandas duas illas Lutheranorum à Meiſnero laudatas, Puram nempe verbi Dei prædicationem, & Legitimam Sacramentorum adminiſtrationẽ. Dicam verbis Meiſneri: *Veniunt hîc examinandi, imò audiendi* omnes Miniſtelliones prædicantes, An purum Dei verbum prædicent an falſum. Quis enim certò ſpondere poterit Prædicantes non errare, nec verbum Dei adulterare? præcipuè quando Lutherus lib. de Eccleſ. docet *veræ Eccleſiæ notam eſſe Verbum Dei, etiam minùs purè prædicatum.* & Meiſnerus ipſe pag. 6. *Verbo Dei nonnumquam ſtipulas admiſceri; & modò fundamentum illæſum maneat, tum ſaluos fieri poſſe etiam illos, qui errant in minùs principalibus.* Nec in vno loco manendum erit, ſed hinc inde migrandum in angulos omnes, & antra, in ipſum Democriti puteum, in quo tot ſæculis latuit Eccleſia Lutheranorum inuiſibilis. Et quantus labor, vt inueniant rem inuiſibilem? Nec medio meridie Cynicus ille inueniat cum ſuâ lucernulâ.

Tertiò, Non magis opus eſt peregrinatione ad credendum prudenter, veráne ſint, quæ de ſanctitate Catholicorum multorum ſcripta ſunt; atque ad credendum ea, quæ de libidine Imperatorum Romanorum, quæ de impietate Turcarum & Bar-

Barbarorum multorum sunt scripta. Sed sanè is meritò pro insano & deliro haberetur, qui horum omnium nihil omnino vel humanâ fide credere vellet, nisi peregrinatione ea omnia ipse explorasset: quamquam etiam tum quoque ea ibi non videret, quæ ante multa annorum spatia scripta sunt, esse facta. Igitur pro insano & deliro habendus est Meisnerus, qui peregrinatione vult esse opus ad fidei πληροφορίαν.

Pro noscendo Patrũ Consensu, aut Successione nihil opus esse infinitâ librorum lectione.

Primò, Quia sufficit horum tantùm necessariam partem legere: neque enim toti illi libri de Ecclesiæ & Fidei mysteriis conscripti sunt, vt si quid omittas, ibi fueris deprehensurus errorem.

Secundò, Quia soli Episcopi, & Pastores, Doctoresque obligantur hæc sanctorũ Patrum adyta scrutari, plebs verò ijs credere.

Tertiò, Quia iam plurimi libri maximâ fide conscripti sunt non ita magni, è quibus facilè constat de Patrum consensu, & Episcoporum successione.

Quartò, Quia ipsi hæretici, quidquid in vtraque hac notâ ambiguum esse poterat, non solùm scrupulosè, sed etiam ita fideliter scilicet copiosèque protulerunt, vt ne quid deesset ad Patrum dissensiones ostendendas, subinde ipsi eos fecerunt discordes, vbi vel maximè conueniebant, leoninæ pelli vulpinam attexentes. Cùm igitur ne tantis quidem hæreticorum tam diuturnis lucubrationibus potuerit Ecclesiæ vlla *dissensio* aut *interruptio* inueniri; quis non lubens supersedeat

tam improbis tot legendorum librorum laboribus, quibus ipsi nostrâ gratiâ videntur esse defuncti?

Quintò, Quia si opus est ex Lessij methodo tot libros legere, erit certè opus etiam ex sententiâ Meisneri (qui requirit *Scrutinium Scripturæ*, pag. 35.) totidem plaustra legere Bibliorum & Commentariorum. Nam festinanter percurrere, non est *scrutari*: neque sanè ad veram Ecclesiam noscendam (si ea ex solis Scripturis noscenda est) sufficere potest earum leuis inspectio, sed *scrutinium*, hoc est, seria, attenta, matura consideratio cum intellectu. Præterea oportebit ea ipsa Biblia & Commentarios multò quàm Catholicos libros maiori labore ac sollicitudine legere; quia nempe omnia suspecta sunt, & multa etiam de falsitate & antilogiâ comperta & conuicta.

Itaque opus erit, Primò, conferre Biblia Germanica Lutheri cum Latinis, cum Græcis, cum Hebræis; dispicere an nihil dempserit, addiderit, commutarit Lutherus. An ad cap. 3. Epistolæ ad Rom. apud Syros, Græcos, aut Latinos, addita sit vocula *solùm*. An à cap. 11. Marci desit versus ille vigesimus sextus: *Quòd si vos non dimiseritis*, &c. An à cap. 4. Epist. 1. ad Thessal. absit versus ille 3. *Vt abstineatis vos à fornicatione*. An nusquam Ioann. 1. c. 5. inueniatur ille versus 7. *Tres sunt qui testimonium dant.* Denique an in Epist. ad Galat. cap. 3. vers. 10. habeatur: *Qui opera legis exercent, sub maledicto sunt* (vt mutauit Lutherus;) an, *qui ex operibus legis sunt*, &c. vt habent Latina versio & Græca?

Secundò, Oportebit prætereà ipsa Lutheri Biblia vetera

vetera conferre cum nouis: recentiora enim omnibus illis locis dissentiunt cum antiquis à me citatis triplicis editionis.

Tertiò, Oportebit inspicere Cõmentarios omnes hæreticorum, saltem vt scias genuinum spiritum & sensum Scripturæ; id enim requiritur ad *scrutinium*. Quare debebis legere octuaginta diuersas interpretationes vel illius solius sententiæ, *Hoc est corpus meum*; quam tot modis ab hæreticis explicatam esse, demonstrant Claudius de Sanctes Rep. primâ, cap. 10. & Ioachimus VVestphalus Defensione contra calumnias cuiusdam Sacramentarij.

Quartò, Oportebit ipsa scripta Lutheri priora conferre cum posterioribus; vbi inuenies eum super vno articulo de Communione trigesies sexies sibi contradixisse, vt ostendit libello paruulo, quem viuo adhuc Luthero edidit, Gaspar Querhamerus: in aliis verò toties pugnare secum, vt sine mente scripsisse credatur, quemadmodum in Septicipite Luthero suo demonstrat Cochlæus. Et quis iam non videat, vt verbis Meisneri claudam pag. 34. *quanta, quanta omnino longinquitas temporis requiratur? Per totam vitam nihil agendum erit aliud, quàm continuè legendum; nec tamen ad finem peruenies, etiamsi multis annis superstes maneas. Quid autem intereà temporis statuendum de fide? num in perpetuâ dubitatione hærendum, vbi tot inuenias in explicandâ vnius Scripturæ sententiâ pugnas sententiarum?*

CAPVT VI.

Modum Leſſij non eſſe Phariſaicum.

POSTQVAM prolixè Meiſnerus depinxit Ieſuitas vt Phariſæos,(cui calumniæ reſpondere non lubet) profert tandem quas ob cauſſas Conſultatio Leſſij ſit mera concio Phariſaica, quâ eâdem veteres Phariſæi vti potuiſſent ad commendandam ſectam ſuam contra ipſam doctrinam Chriſti. Ego, ne faſtidiosè longus ſim repetendo ſingula, & demum refutando, paucula tantùm Meiſneri verba velut commentariolo illuſtrabo, vt oſtendam quanto iudicio atque acumine fecerit Phariſæos ea loqui contra doctrinam Chriſti, quæ Leſſius locutus eſt pro doctrinâ & Eccleſiâ Chriſti.

Pag 42. *Procul dubio* (inquit) *Phariſæi ad modum Leſſianum ſæpiùs ita declamarunt: Sola noſtra religio docet diuitias & honores contemnere.* Nota quàm probabiliter apud plebem de honorum contemptu declamare potuerint Phariſæi, qui, vt ſcribit ipſe Meiſnerus pag. 39. *claues Eccleſiæ iactitant, & gloriantur de πρωτοκαθεδρίᾳ.* & pag. 50. appellat *Phariſæorum ſuperbos primatus, & Cathedræ Moyſaicæ iactationes.* qui, vt Chriſtus ipſe dixit Matth. 23. *dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias, amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi:* hi nimirum concionati ſunt de honorum contemptu,

In tabulam vt Sylla dixerunt diſcipuli tres,

Pag. 44. *Poterant dicere Phariſæi: Ad noſtram fidem ſingulis*

singulis temporibus facta est quorumdam Gentilium conuersio, &c. *Quis hæc considerans dubitare queat, quin religio nostra Iudaica sit vnica vera religio?* Nota: Pharisæi volentes probare sectam suam Pharisaicam, commendassent religionem Iudaicam. Quantam mercedem Meisnero aduocato suo pacti fuissent Pharisæi pro tam insigni patrocinio!

Pag. 47. *Dicere poterant Pharisæi: Quare tutissimum est permanere in antiquâ, & per tot sæcula propagatâ religione Iudaicâ, quæ sibi semper similis, quæ à seipsâ indiuisa*, &c. Nota: Pharisæi fuêre in Lege Moysaicâ indiuisi, qui ipso Meisnero teste erãt inter Iudæos hæretici; qui sic dicti à Phares, hoc est diuisione & dissensione cum ceteris Iudæis; qui à Christo pro hæreticis reprehensi, Matth. 15. v. 4. & 5. & cap. 16. v. 11. & 12. quorum secta vocatur hæresis Actor. cap. 15. & 24. qui à Iosepho lib. 33. cap. 8. lib. 13. cap. 17. lib. 18. cap 2. Antiquitat. pro sectariis item recensentur: sicut & ab Epiphan. Panarij lib. 1. Sed Meisnerus vocat *Iudaicam Ecclesiam indiuisam.* Ita est. Fateri igitur debet; aut, quòd vt præuaricator Iudæos laudet, qui Pharisæos defendendos susceperat; aut quòd Pharisæi, vtpote noui homines inter Iudæos, non sic potuerint declamare. Deinde videat Meisnerus, quomodo hîc Iudaicam religionem vocet indiuisam, cùm ipsemet scribat, pag. 37. *In Iudaicâ Ecclesiâ primùm quidem puram religionem, verumque Dei cultum à Moyse traditum perstitisse, sed pòst sequentibus sæculis à puritate antiquâ deflexisse, donec tandem planè noua doctrinæ facies emergeret, quæ Pharisaicis superstitionibus & Traditionibus miserè erat conspurcata, ideoque reformatione & repurgatione quàm*

maximè erat opus, quæ ab ipso etiam Christo suscepta & peracta est. Non igitur potest Iudaica Ecclesia semper fuisse indiuisa, ex sententiâ Meisneri; præterquam quòd luculentum sit mendacium, *susceptam Iudaicæ religionis reformationem à Christo,* qui eam aboleuit, aliamque nouam planè induxit.

Eâdem pag. 47. *Dicere poterant Pharisæi: Nullũ dogma profitemur, de quo ostendi poßit esse ab aliquo de nouo introductum. Indicent quo sæculo, quâ ætate id factum, quo loco, quo auctore? quisnam se nouo nostra dogmati opposuerit.* Quomodo id poterant dicere Pharisæi, cùm Iosephi duo, senior nimirum & alter Ben gor, scribant, eos non multò ante Christi tempora natos. Quomodo poterant dicere, Quinam se nouo nostro dogmati opposuerunt, cùm à Christo illius dogmatis reformatio suscepta sit & peracta? cùm Discipuli Christi falsam ipsorum doctrinam potenter redarguerint? vt fatetur Meisnerus pag. 40. & certò constat ex Matth. cap. 15. v. 3. 4. & 5. Quem non misereat obliuionis Meisnerianæ?

Sed iam illud videamus obiter, quâ in re conuenisse omnino Pharisæos & Papicolas affirmet Meisnerus. An veriùs quadrent in Lutheranos, dicta factaque Pharisæorum & Sadducæorum.

Pag. 38. *Conueniunt in doctrinâ Iustificationis; quia operibus salutem vtrimque adscribunt Papicolæ & Pharisæi,* ait Meisnerus. *Conueniunt in loco de Peccato originis, quod extenuant; & Liberi arbitrij, quod extollunt. Conueniunt in articulo de Traditionibus, quas pari contentione & vehementiâ vrgent.*

Refu-

Refutatio.

Mirum si non iniquè ferat Meisnerus, se cum Pharisæis quoque conuenire in cõmuni hominum naturâ, communi necessitate vescendi & dormiendi! Ego certè haud grauatè concedam, multa esse in quibus conueniat inter Pharisæos & Catholicos; ea nempe omnia, in quibus conuenit eorum doctrinæ cum doctrinâ Christi, de quâ ipse dicit Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite.* At in reliquis, quibus à Lege diffidebant, conuenire numquam concedam.

Primò ergo, In hoc de Iustificatione conueniunt, quòd dicant, *bona opera saltem esse meritoria:* nam & hæc Christi est doctrina. Sed in hoc non conueniunt, quòd Pharisæi voluerint externa etiam Legis suæ opera per se, sine spiritu fidei, esse meritoria æternæ vitæ, & habere vim iustificandi, quod vtrumq; Catholici negant. vnde meritò Christus Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.*

Secundò, Conueniunt Pharisæi cum Catholicis de Originali peccato, non quòd illi extenuarint, vt mentitur Meisnerus (extollebant enim Pharisæi adeò peccatum originale, vt in animo & corpore id esse dicerent, quemadmodum à quibusdam scriptum esse in illa Pharisæorum verba Ioan. 9. *In peccatis natus es totus*, refert Maldonatus noster.) Sed in eo conueniunt, quòd transfusione contraheretur, non autem imitatione, vt commentus est Pelagius ante Erasmum.

 Tertiò,

Tertiò, Conueniunt in Libero arbitrio, libertatem eius verbis defendendo; dissentiunt verò, imponendo ei reuerà in omnibus fatum, quod de Pharisæis referunt Iosephus & Epiphanius. Vnde apparet mendacium Meisneri scribentis; *arbitrio plus nimio fuisse à Pharisæis attributum*, cùm contrà imposuerint ei fatum, atque ita reuerà ei detraxerint libertatem.

Quartò, Conueniunt in doctrinâ de Traditionibus, earum (etsi friuolas plerasque haberent) auctoritatem admittendo: dissentiunt, *irritum faciendo mandatum Dei propter traditionem*, quod de Pharisæis dixit Christus Matth. cap. 15. v. 6. At in his conuenire cum Pharisæis, nihil probri est, quando id est, non adeò cum illis conuenire, atque cum legitimâ doctrinâ, quam illi à Deo acceperunt. Verùm cum Pharisæis conuenire in doctrinâ erroneâ, & hypocrisi morum, quemadmodum conueniunt Lutherani & Caluinistæ, ea magna pudendaque infamia est.

Lutherani & Caluinistæ Pharisæis similes.

Primò, Sicut Pharisæi valdè exaggerabant peccatum originale, vt etiam in corpore id ponerent; ita Lutherani & Caluinistæ quoque dicunt, *illud per Baptismum non deleri, sed tantùm tegi & incrustari, semperque in animâ hærere, esseque actuale & perpetuum peccatum*. vide Bellarminum lib. 5. De amiss. gratiæ cap. 4. & 5.

Secundò, Sicut Pharisæi docebant, omnia fatali ordine versari gerique; ita Lutherani & Caluinistæ docent, *omnia ineuitabili necessitate fieri*: vt eorum verbis probabitur lib. 3.

Tertiò

Tertiò, Sicut Pharisæi quasdam Traditiones suas præponebant Scripturæ, ita Lutherani & Caluiuistæ Traditionem hanc suam, QVOD NIHIL CREDENDVM SIT, NISI QVOD EST IN SCRIPTVRA, (est enim hæc pura tantùm traditio, cùm id nusquam sit in Scripturâ) præponunt illi Scripturæ, quæ apud Apostolum est 1. ad Thessalon. 2. TENETE TRADITIONES.

Denique Lutheranis & Caluinistis Pharisæos olim fuisse simillimos, Iosephus omnino persuadet, scribens eos fuisse *superbos, seditiosos, principum gratiam captantes, & incredulos*. *Superbiam* enim suam egregiè produnt, cùm Patrum propè omnium venerandam canitiem arrogantissimis superciliis contemnunt, Conciliorumque grauissimorum sententias iudiciis suis postponunt. *Seditionum studia*, vbi tot vrbes, tot respublicas subuerterunt; * tot Principes, tot Magistratus per summam vim atque ignominiam bonis dignitatibusque exuerunt. *Adulationum artificia*, quando sæcularibus etiam Magistratibus summam Ecclesiæ gubernationem vltrò concedunt. & verò, qui qualesque hæretici sint, quàm Pharisæis similes, omnium clarissimè Ioannes Baptista ostendit Ioan. cap. 3. v. 7. vocando hos *progeniem viperarum*. Sunt enim hæretici meræ viperæ in calumniando & mordendo, quique pariendo quotidie hereses nouas, ipsos se sensim interimunt more parientium viperarum.

Sander. de schis. Angl. Riuius lib. de Scietiâ. Sarcerius lib. De ratione conseruandi veram Rel. Hadr. Sarauia lib. De diuers. grad. Ministrorũ Theatrum crudel. hæretica. Richeomus lib. 2. Idololatria Hugonotica, cap. 26. & seq.

CAPVT VII.

Modum Lessij non esse diuinis vaticiniis reiectum.

VATEM & augurem hîc agit Meisnerus, vt probet vaticiniis Scripturæ reiectas esse Lessij Notas. Æstima, Lector, an *& Saul inter Prophetas?* an non *spiritus mendax* sit in ore prophetæ huius?

Pag. 52. *Signa*, inquit, *diei vltimi conspiciuntur; imò totus mundus, omnesque creaturæ de fine sæculi iam instante concionantur.* Pag. 37. *Viuimus iam in extremo temporis, huiusque sæculi articulo; siquidem omnia signa aduentantis diei vltimæ apparent.* Quis augur hunc augurem videns non rideat? Mirum si iam non *arescant præ terrore homines!* & *qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo suâ; & qui in agro, non descendat tollere tunicam suam!* Aut potiùs non omnes genio indulgeant exemplo Caluinianorum illorum, qui à Ministellione suo persuasi vltimum imminere Iudicij diem, illicò se conferebant in cauponas, omnia mersuri in ventrem, ne quid igni superesset vorandum. Quam historiã Reuerendiss. Lindanus perscripsit lib. De fugiend. hæres. cap. 9. ex eoque in iucundissimum carmen transtulit Angelinus noster Gazæus. Erit hæc Meisneri prophetia, credo, qualis olim magistri sui Lutheri libello (qui inscribitur Germanicè *Fidelis admonitio*) edito anno 1522. *Per duos adhuc annos continuemus, & tum videbitis, vbi Papa, Episcopus, Cardinalis,* *Sacer-*

Sacerdos, Monachus, Monialis, campanæ, turres, Missæ, Vigiliæ, &c. *sicut fumus omnia euanescent.* Nimirum sicut fumus euanuit prophetia Lutheri, cetera stant iam centum ferè annis ab hoc vaticinij fumo. Relinquamus tamen in medio hanc prophetiam, & faciamus è tripode esse oraculum.

Hoc posito, ratiocinatur ad hunc modum Meisnerus, vt probet Lessianas Notas Scripturæ vaticiniis esse reiectas:

Primum Argumentum Meisneri.

Pag. 52. *Ita comparatum fore ante diem vltimum, legimus Luc.* 17. *v.* 19. *&* 18. *v.* 8. *vt vix sciri posit, vbi vera fides doceatur. Quòd si verò ex ieiuniis, & votis monasticis, aliisque electitiis cultibus infallibile queat fieri iudicium de verâ fide; quis tam stupidus esset, qui non perciperet, in Papatu illam vnicam quærendam esse? Quomodo autem tum compleretur Christi vaticinium, vix inuentum iri fidem postremo tempore?* Pag. 53. *Quæcumque igitur Religio per totum orbem diffusa est, & satis conspicua; ista, vi prædicationis diuinæ, non erit vera & Apostolica Religio.*

Refutatio.

Primò, Posito Meisneri vaticinio (quod merum deliriū est) sequetur, Lutheranā fidem (quam Meisnerus veram esse contendit) nunc hisce vltimis temporibus esse tam paruulam, fidelesque Lutheranos tam paucos, vt vbi ea vera fides doceatur, vbi Lutheranorum Ecclesiola sit, vix inueniri possit. Vltimis enim temporibus veræ fidei nota erit, non fidelium multitudo, sed paucitas & obscuritas, auctore Meisnero. At miror ego profectò,

fectò, si ita est, quòd hisce vltimis temporibus sperauerit Meisnerus, libello suo aliquos se attracturum esse ad veram Lutheranam fidem; quæ vbi nunc doceatur, vix sciri potest ob paucitatem. Vtinam ego saltē, Meisnere, scire possem vbi doceretur vera illa Apostolica Lutherana fides! Sed cur, oro te, non aliquo signo indicasti Ecclesiam tuam, vt ad eam Lectores tui possent conuerti? nam sanè, *si per Scripturæ scrutinium iam hisce vltimis temporibus facilis & expedita ratio probandi fidem à vestris est præscripta*, vt scribis pag. 35. quomodo tum compleretur Christi vaticinium, *vix inuentum iri fidem postremo tempore*, quod à nobis petis fol. 52?

Secundò, Neutro loco citato apud Lucam vaticinatur aut prædicit Christus, ante vltimum diem ita fore comparatum, vt vix sciri possit vbi vera fides doceatur, quod mentitus est Meisnerus: verba sunt, cap. 10. *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terrâ?* quæ D. Hieronymus Dialog. contra Luciferianos, & Augustinus lib. De vnitate Ecclesię, explicant non de fide simpliciter, sed de eximiâ fidę, quæ tum in paucis inuenietur. Et vt ea cum Theophylacto accipiamus de fide simpliciter, tum certè ex iis colligi tantùm potest, Primò, Quòd vltimo die, non autem ante vltimum diem, (quia ante hunc non veniet Filius hominis) in paucis Filius hominis inueniet fidem. Secundò, Quòd pauci quidem perseuerabunt in fide, non autem quòd difficile erit inuenire, vbi aut apud quos hæc vera fides sit. Nam sanè tempore Passionis, etsi paucissimi perstabant in fide; certè tamen manifestissimum omnibus esse poterat,

rat,

rat, apud quos fides illa esset: imò pauci Martyres sæpè multò notiorem fecêre fidem, atque magni Catholicorum cœtus; id quod vltimis quoque temporibus futurum est, cùm paucorum clarissima constantia, Ecclesiam multò faciet quàm anteà illustriorem.

Secundum Argumentum Meisneri.

Meisnerus, eâdem hypothesi sumptâ de supremo temporum fine, probat, ceteras quoque Lessij Notas, iam non veræ, sed falsæ Ecclesiæ esse Notas. Ac primò quoad Studium perfectionis, illo vaticinio Pauli 1. Timoth. 4. vers. 1. *In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad accipiendum. Vult Apostolus,* inquit pag. 54. *ex ieiuniis, & prohibitione ciborum, ac nuptiarum, agnosci doctrinam diaboli; Lessius contrà vult exinde probari Dei. Ita nimirum ex notis falsitatis, Iesuitæ constituunt normam veritatis.*

Refutatio.

Primò, Incertum est, an Paulus hæc futura vaticinatus sit de temporibus Antichristi; quia pro *nouissimis temporibus*, Græcè est, ὑστέροις καιροῖς, *posterioribus temporibus*. Atque ita hunc locum accipiendum esse de temporibus Manichæorum, Encratitarum, & Marcionistarum, docuerunt Ambrosius, Chrysostomus, & Oecumenius.

Secundò, Prohibere nuptias, & cibos à Deo creatos damnare, est nuptias quascumque execrari quasi impias, & detestari cibos aliquos quasi immundos, ac non à Deo creatos, vt explicant

cant sancti Patres, Hieronymus in c.4. Epist 1. ad Timoth. Augustinus lib. 30. contra Faust. cap.6. Fulgentius De fide ad Petr. c. 3. Bernard. Sermone 66 in Cant. Huius autem erroris insimulare Catholicos seu Pontificios, quod Meisnerus facit, manifestissimę impudentiæ est. Hi enim nuptias vt Sacramentum magnum honorant; & cibos omnes pro mundis ducunt, nec his nec illis abstinentes, nisi fructu maioris boni; sicut iis subinde abstinendum docent Medici, ad curandam sanitatem.

Tertiò, Vltimis temporibus signa impiorum & Præcursorum Antichristi erunt, virginitatem posteriorem ducere matrimonio; quæ fuit olim hæresis Basilidis, hodieque est Nouatorum: ieiunia omnia intemperantiæ libidine dissoluere, & carni habenas remittere, vt ex Apostolo constat 2. ad Thessal. cap. 2. qui *Antichristum appellat hominem peccati*; nimirum quia ipse non solùm erit maximus peccator, sed alios adducet ad peccandum, latissimam ad omnia vitia aperiens viam. *Quidquid enim Christus adstrinxit, laxabit Antichristus*, vt ait Lessius De Antichristi præcursoribus, Comparatione secũdâ. Vnde quoque rectè infert, Lutheranos, qui solius fidei suæ iactatione, bona opera omnia pessumdant, veros Antichristi esse præcursores & typos.

Tertium Argumentum Meisneri.

Meisnerus, eâdem positâ hypothesi, ostendit, miracula quoque non veræ, sed pseudo-propheticæ Ecclesiæ esse signa.

Pag. 54. *De miraculis*, inquit, *insigne habemus vaticinium Matth. 24. vers. 24. Surgent pseudo-Christi & pseu-*

& pseudo-prophetæ,& dabũt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiã electi. Ex quo inferimus, Miracula vltimis mundi temporibus fore notas & characteres falsorum dogmatum: quia fides Apostolica iam antè satis est confirmata, nec vllibi extat promissio de alijs signis nouis in fine mundi edendis.

Refutatio.

Primò, Miracula & prodigia Antichristi non erunt vera miracula, sed vt Apostolus loquitur 2. ad Thessal. 2. *secundùm operationem satanæ, in omni virtute, & signis,& prodigiis mendacibus*, &c. Et quidem mendacibus in omni genere caussæ: Finalis, Efficientis, Materiæ,& Formæ, vt egregiè docuit Cardinalis Bellarminus lib.3. de Pontifice cap. 15. *Finis* enim eorum erit, vt Antichristus credatur Deus, quod perniciosissimum mendacium est. *Efficiens* eorum erit diabolus *mendacij pater. Secundùm operationem satanæ*, ait Apostolus. Ratione *Materiæ*; quia plurima erũt præstigiæ, vt D. Cyril. Catechef. 15. Ratione *Formæ*, etsi vera ratione materiæ, illa nempe, quæ non superabunt naturæ vim; hæc enim non possunt formaliter dici miracula. At Catholicorum miracula vera esse, fateri debet Meisnerus, & omnes Lutherani; aut certè affirmare, quòd Apostolorum miracula omnia fuerunt diabolicæ præstigiæ; aut finis temporum fuerit ætate Apostolorum & Ecclesiæ primitiuæ, cùm nempe præcipua fiebant miracula, de quibus nunc præcipuè Catholici gloriantur.

Secundò, Si Catholicorum miracula, quæ iam fiunt, sunt illa quæ postremis Antichristi temporibus

ribus patranda fore prædicta sunt, ergo etiam deberent Lutherani plurimi (qui solam veram fidem iactant) ijs à Lutheranismo abduci. Nam prodigiis illis prędictum est Matth. 24 tot fideles peruersum iri, *vt in errorem inducantur, si fieri posset, etiam electi; vt Filius hominis vix fidem inueniat in terris.* At neque id fieri nunc videmus, neque sanè fieri etiam potest: quia credunt Meisnerus & Lutherani omnes, omnia Catholicorum miracula esse præstigias, & magica portenta, aut mendacia.

Tertiò, Scribit Meisnerus pag. 33. quòd in Germaniâ planè steriles sint Iesuitæ, & nulla signa vel prodigia edant. adeoque Lutherani omnes clamant, iam ab aliquot retrò sæculis nulla facta esse apud Catholicos miracula. Ergo non possunt Catholicorum miracula esse illa temporum vltimorum, quæ erunt signa magna & prodigia, quibus in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

Quartò, Miracula vltimorum temporum falsa, erunt huiusmodi; vt (quemadmodum docuit Lessius Demonstratione 10. de miraculis Antichristi) vel sint præstigiæ oculorum; vt, videri mori, & denuò resurgere: vel si aliquid solidi habeant, non superent naturalem vim caussarum creatarum; quale est ignem descendere de cælo, & imaginem bestiæ loqui, diabolo intus loquente. At Primò, Dicere, quòd noua miracula Virginis Matris, verbi gratiâ, quibus hodieq; gloriantur Catholici, sint præstigiæ diabolicæ, & quòd ipsa Dei Mater iam regnans in cælis, ministra sit Antichristi, venefica, & prestigiatrix; quis non videat quàm sit blasphemum in Spiritum sanctum? Secundò, Dicere quòd hæc

hæc miracula, aliaque post Apostolos similia, sint mendacia, est Historicos plerosque grauissimos insimulare mendacij, omnesque ætates asinini cuiusdam stuporis; quæ intoleranda superbia & calumnia est.

Quintò, Miracula huius temporis nulla similia sunt miraculis falsis, quæ fient temporibus nouissimis: neque iam ignem de cælo vocatum fuisse, bestiam locutam fuisse, etiam abhinc centum retrò annis, vspiam legitur inter miracula Catholicorum.

Sextò, Miracula nouissimi illius temporis fient à pseudo-prophetis, vt Antichristus ab hominibus pro Deo & Messiâ adoretur. At numquam facta leguntur miracula vlla hoc tempore, vt quispiam alius adoretur pro Deo.

Septimò, Apertissimũ est Meisneri mendacium, quòd nusquã extet promissio de aliis signis nouis in fine mundi edendis. Apocalypsis enim cap. 11. promittuntur signa noua edenda per duos Prophetas Christi, multò maiora, quàm illa quæ ediderunt Moyses & Aaron, vt tantò validiùs refutentur magica portenta Antichristi. *Et dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes. Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum: & si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælũ, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorũ: & potestatẽ habent super aquas conuertendi eas in sanguinẽ, & percutere terram omni plagâ quotiescumq; voluerint.* En quantum hi testes superabunt miraculis

Aaronem & Moysen: *Potestatem habebunt percutere terram omni plagâ quotiescumque voluerint.* Est autem communis ferè omnium Patrum Græcorum & Latinorũ sententia, testes illos fore Eliam & Enoch, qui ambo venient, auctore Arethâ, *vt protestentur ijs qui tunc erunt*, ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant. Vnde certissimè concludo, miracula esse clarissimam Ecclesiæ veræ notam, cùm ea tum maxima illustrissimaque Deus sit editurus ad illius apertam cognitionem, quando periculum esset, ne ipsa insolentioribus præstigiarum portentis superaretur: adeoque etiam si Bibliander & Chytræus negauerint, hos Prophetas duos fore Enoch & Eliam; numquam tamen negauerunt, vltimis illis temporibus præclarissima editum iri miracula à viris sanctis, quos Deus tempore Antichristi excitabit.

Quartum Argumentum Meisneri.

Pag. 54. *Tandem*, inquit, *consideratio successionis reijcitur istis Scripturæ vaticiniis, quibus magna Ecclesiæ persecutio, & Antichristi tyrannis in Dei templo sedentis insinuata est. Cùm enim de illo legatur, quòd Ecclesiam suis pastoribus sit spoliaturus, publicum ministerium impediturus*, &c. *ideò perpetua & non interrupta Episcoporum successio locum semper in Ecclesiâ inuenire nequit.*

Refutatio.

Quis hîc non requirat sapientiam Meisneri? Nam sanè illo ipso suo testimonio (etiãsi magnam partem falso) conuincitur perpetuam in Ecclesiâ successionẽ admittere debere. Argumentor enim

viciſſim hoc modo: Omnis illa Eccleſia habet perpetuam & non interruptam ſucceſſionē, quæ iam inde à primo ſui exordio ad finem vſque numquam habuit interruptam ſucceſſionem. Sed Eccleſia Catholica militans iam inde à primo ſui exordio vſque ad finem numquam habuit ſucceſſionem interruptam. Ergo, &c.

Maior eſt indubitatæ veritatis. Minorem probo: Quia fatetur Meiſnerus, Eccleſiam Catholicam ſuis paſtoribus ſpoliatum iri tantùm per Antichriſtum: quod etſi falſum ſit, ſatis tamen eſt ad conuincendum Meiſnerum. Atqui tunc erit finis Eccleſiæ militantis. Ergo tum ſucceſſio non interrumpetur, ſed omnino abrumpetur; quia poſt finem illum nulla erit Eccleſia militans. Igitur perpetua & non interrupta ſucceſſio ſemper erit in Eccleſiâ militante.

CAPVT VIII.

Modum Leſſij nec hypocriticum eſſe, nec Papiſticis hypotheſibus contrarium.

PAPISTICA, imò Apoſtolica hypotheſis eſt, non eſſe promiſcuè Catholicis permittendos aut legendos libros hæreticorum. Hinc concludit Meiſnerus, *non poſſe à Leſſio ſuaderi cordatè & ſeriò cuiquam, vt conſultet quæ Religio capeſſenda ſit, niſi huic hypotheſi occurrat; quia nempe id conſultari non poſſit, niſi hæreticorum librorum lectione permiſſâ: cùm bona nulla fiat electio, niſi diuerſorum conſiliorum exquiſitione.* Conſequēter, totam Leſſij Conſultationem eſſe hypocriticam, vtpote quâ videatur

deatur permittere & suadere id, quod permittere non potest, & verò etiam maximè dissuadet. Hæc summa est Argumenti: quod quia à Meisnero admodum dissolutè prolixeque diffusum est, non libuit describere ad verbum.

Refutatio.

Respondeo Primò, Etiam Lutheranorum hypothesis est, non esse permittendos suis hominibus Caluinianorum aliorumque hæreticorum libros. Caluinistarum quoque, qui suis interdicunt vsu librorum Lutheranisticorum. Igitur & Lutheranorũ & Caluinistarum quoque consultationes sunt hypocriticæ. De prohibendis inter Lutheranos Sacramentariorum & Anabaptistarum libris, extat libellus Gasparis Radeckeri Lutherani Ministri, excusus VVittenbergæ anno ∞.IↃ.LVI. Item Caluinistarum libros à Lutheranis prohiberi, testãtur Polanus Caluinista Comment. in c. 12. Daniel. & Hospinianus Caluinista in Opere suo de libro Concordiæ cap. 4. quem librũ ait priùs ferè à Lutheranis oppressum, quàm natum, eiusque Typographum Ernestum Vogelinum, bonis omnibus spoliatum, coactum Lipsiâ cedere, vixq; integrâ pelle è Saxoniâ euasisse. Cap. verò 9. scribit, Lutheranos in conuentu Lichtenbergensi à Saxoniæ Electore petiisse, vt suâ auctoritate supprimerẽtur Nouus Catechismus VVittenbergensium & Corpus doctrinę Philippi. Cap. denique 25. cautũ, ne hoc Corpus doctrinæ quisquam prælo subiiciat, sub pœnâ trium millium florenorum.

Respondeo Secundò, Lessius Consultationem suam

ſuam ſcripſit, vt ipſe teſtatur Pręfatione ad Reuerendiſſ. Epiſcopū Siluæducenſem, duplici ratione impulſus. Alterâ, *quòd plurimi in tantâ ſectarum varietate, nullo præuio examine, hanc vel illam amplectantur, quam fors obtulerit.* Alterâ, *quòd plurimi ſint hoc tempore, qui in negotio Religionis aſſiduè fluctuant*, &c. *Nihil amplius eſt reliquum, quòd menti poſſit ſatisfacere, vel quietem parere.* Vnde concludo, Leſſium non repugnare vlli hypotheſi Papiſticæ: nam nulla talis hypotheſis eſt apud Papiſtas, quâ prohibeant, aut etiam prohibere poſſint Turcis, atheis, infidelibus, libros cuiuſcumque ſectæ. *Nam quid mihi eſt de ijs qua foris ſunt iudicare?* ait Paulus 1. ad Cor. 5.

Opponit Meiſnerus pag. 57. *Non poteſt enim excipi, modum illum Leſſij præſcriptum non eſſe Papicolis, ſed ceteris Eccleſiæ Romanæ non adhærentibus: nam in Præfatione ad ſuos, quos falsò vocat Catholicos, ſimul coniungit, & in eorum quoque gratiam, ſi de fide dubitent, iſtum librum ſe edidiſſe fatetur.*

Reſpondeo, Id omnino excipi poſſe, & Leſſium totâ Præfatione ſuâ nuſquam dicere, *abs ſe editum eſſe librum ſuum in gratiam Catholicorum, vt conſultent*; adeoque id eſſe mendacium Meiſneri. Iam duplicem rationem Leſſij attuli, quæ vtraque infideles tangit, neutra Catholicos. Et quæ, obſecro, prudentia foret, illis de verâ Religione conſultationem offerre, qui iam elegerunt Religionem veram? Scribit Leſſius, *ſperare ſe hanc ſuam Conſultationem profuturam etiam Catholicis, & aliquid lucis allaturam, vt omnem ex animo fluctuationem & ambiguitatem depellere poſſint.* At multum intereſt, ſcribere vt conſultes, &, ſcribere vt ambigui-

biguitatem leuem depellas. Nam post deliberationem & electionem sæpenumerò sollicitudines dubitationesque nonnullæ recurrunt. Cetera ferè omnia Meisneri verba toto membro eius sexto improbissima mendacia sunt, indigna refutatione.

CAPVT IX.

Modum quo Lutherani iubent internosci Ecclesiam, esse Lunaticum.

EQVIDEM crediderim, Meisnerū cum Icaro-Menippo illo Lucianico, in Lunâ habitasse, qui nobis tam suauiter narrat, Ecclesiam similem esse lunæ, non plenæ illi, sed mediæ, maculosæ, & cornutæ. Verba eius sunt fol. 1. *Non minùs verè quàm scitè comparatur Ecclesia lunæ, quæ pro diuersâ ad solem habitudine φάσεις vel aspectus suos mutat, &c. Hinc non vnâ semper ac eâdem facie apparet, sed suis tum incrementis, tum decrementis, tum stationibus distinguitur, prout nimirum ratione fidei & doctrinæ propiùs ad sacrum solem accedit, vel longiùs ab eodem recedit.*

Itaque Ecclesia Lutherana longiùs aliquando à Christo, suo sole, recedit; quò verò longiùs, eò plus ab illo accipit luminis: ac tum habet lucis plurimum, cùm ab eo ratione fidei & doctrinæ discessit longissimè. Nam tum demum luna plena est ac lucentissima, cùm soli è regione opposita est, ab eoque maximè distat; adeoque, sicut hæc tum subinde terræ interiectu eclipsim patitur, sic Lutherana Ecclesia quandoque eclipsim fidei patitur, fitque omnino inuisibilis; maximè quando eo

eo loco est, quo antè splendore suo collustrabat omnia. En quàm verè, quàm scitè comparatur Ecclesia Lutherana lunæ! Quid, quòd neque semper vnâ eademque facie appareat? sed vt luna nunc laruata, nunc cornuta, nunc rotunda sit; nunc septem notas habeat, nunc quatuor, nunc tres, nunc duas, nunc nullam? Et verò qui sequatur in eâ noscendâ normam Meisneri per solam Scripturam, is facilè fiat ceritus aut lunaticus: quoniam, vt Tertullianus ait lib. de Præscript. cap. 17. *nihil proficit congressio Scripturarum, nisi planè vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut* CEREBRI. Lutherana denique Ecclesia tam similis est lunæ, vt quod facetè scripsit August. Tract. 1. in Epist. Ioannis, Tom. 9. quemadmodum *quando volunt homines videre lunam nouam, dicunt, Ecce luna, ecce ibi est: & si adsint qui non valeant intendere aciem, & dicant, Vbi? intenditur illis digitus vt videant: aliquando dum erubescunt, ne cæci videantur, dicunt se vidisse, quod non viderunt.* ita planè Meisnerus instar canis allatrantis lunam, quasi in lunâ alibi vidisset Lutheranam Ecclesiam, clamat se vidisse, quod nusquam vidit. Et quis non videat lunaticam esse hanc Ecclesiam, & lunaticum eius noscendi modum, per tam incertos aspectus & φάσεις, per defectus & incrementa, per notas non notas, numero tam inconstanti?

HERMANNI HVGONIS
E SOCIETATE IESV

DE
VERA FIDE
CAPESSENDA

LIBER SECVNDVS:

Quo asseruntur Considerationes à Reuerendo P. LEONARDO LESSIO *allatæ pro Capessendâ fide Catholicâ.*



RÆCA parœmia habet: Οὐδὲ Ἡρακλῆς πρὸς δύο. *Ne Hercules quidem contra duos.* At Ecclesia ita semper triumphatura est, vt nec portæ inferi vmquam prævalituræ sint aduersus eam, Matth. 16. Non modò contra duos, Lutherum & Caluinum, sed contra exercitus hæreticorum omnium vniuersos stetit hucusque inuicta. Nihil mihi metuendum video, qui non tam pro Ecclesiâ pugnare debeam, atque ab Ecclesiâ exspectare præsidium. Illius igitur erunt omnia, ex illius deprompta πανοπλία, quæ proferam: quamquam vix telis opus erit ad illas aranearum telas, & Siculas aduersariorum gerras dissipandas. Ipsi seipsos configunt, neque cum vllo magis

magis quàm ſecum ipſi pugnant. Quare non aliud hîc mihi agendum eſſe duxi, quàm errores horum Andabatarum plebi oſtendere hac ratione ac viâ, vt primùm adductis Leſſij verbis proponam mala amborum Argumenta mendacia, & contradictiones. Non decet aliter cum veſpis quàm fumo pugnare, aut caculas & ſeruitia quàm flagellis ſuis cædere. Certè enim nullum ferè adferunt Argumentum duo hi Miniſtelli, quod non ſublegerunt ex Bellarmino, ad cuius libros mihi, dum eos meliùs legerint, viſi ſunt tantùm relegandi.

Prima Leſsij Conſideratio, ex Studio perfectionis, ad quod Chriſti Religio inducit.

Ea Religio præferenda eſt, quæ fauet puritati & ſanctitati vitæ, quæ ab affectu terrenorum mentes auocat, & ad cæleſtium amorem traducit. At talis eſt ſola Religio Catholica. Hæc enim ſuadet abſtinere à voluptatibus carnis, & illecebris huius vitæ; hæc docet diuitias & honores contemnere, & ijs, cùm poßidentur, propter Chriſtum renuntiare. Hæc ſuadet ieiunia, cilicia, chameuniam, & alias corporis afflictiones, quibus caro dometur & ſpiritui ſubiiciatur. Ergo, &c.

Reſponſio Meiſneri.

Pag. 64. *Primariò & potiſſimùm loquitur Leſſius de ſanctitate ſponte electâ, vel religioſitate, vti vocant, conſiſtente in vitâ monaſticâ, & obſeruatione humanarum regularum. Quæritur ergo an omnis, vel ſola illa Religio ſit vera, quæ ſuadet Monaſticen, & peculiarem quamdam ſanctitatem à Deo non*

 præ-

præceptam? Affirmant Iesuitæ, nos negamus, ob Argumenta firmißima, quæ nunc ordine apponemus.

Refutatio.

Dolo malo Meisnerus mutat statum quæstionis. Lessius enim in Maiore suâ assumit absolutè: *Ea Religio præferenda est, quæ fauet puritati & sanctitati vitæ.* Meisnerus omnia inuertens, *Illud quæritur,* inquit, *an sola illa sit vera Religio, quæ suadet Monasticen.* Lessius totâ suâ Consideratione nec semel quidem adfert hæc verba, *Monachus, Monastice, Religiosus, claustrũ, monasterium, cœnobium;* neque vllum vllius Monachi aut Religiosi adfert exemplũ. Meisnerus, *Hinc Lessius,* ait, *desumit omnes suas probationes pro sanctitate Papicolarum.* Hoccine est seruare fidem disputationis? certè enim, etiamsi non immeritò dixerit Cardinalis Bellarminus Præfatione de Monachis, Tomo 1. *videri sibi inter notas Ecclesiæ Principem locum tenere approbationem vitæ monasticæ; vel prohterea maximè, quòd sanctus Alexandrinæ Ecclesiæ Præsul Petrus apud Theodoretum inde collegisset Lucium quemdam non fuisse Episcopum Catholicum, sed hæreticum, quia nulli monachi de more eum deduxissent ad solium Pontificale*: tamen non posuit Lessius pro Ecclesiæ veræ notâ *monachatum*, sed *studium perfectionis*; id quod etiamsi maximè in Ecclesiâ per Monachos floreat, non tamen per eorum exempla probauit. Nam sanè & Catharina, & Agnes, & Cæcilia, & Agatha, & Lucia, & Alexius, & Gallicanus Consul opes contempserunt, carnem afflixerunt, &c. quorum nulli tamen Monasticen coluerunt.

Pri-

Primum Argumentum Meisneri.

Si illa tantùm Religio diuina est, quæ docet contemptum opum, ieiunia, & carnis afflictiones, tum periclitabitur diuinitas antiqua Religionis Iudaicæ à Moyse viro Domini præscripta: nusquã enim legimus, ipsum vel præcepisse, vel suasisse, vt qui præ reliquis vellent sanctè viuere, facultates suas desererent, & monasteriis & claustris se includerent perpetuò ibi latitantes, &c.

Refutatio.

Primò, Malâ fide iterùm hypothesis illa à Meisnero in maiore propositione assumpta est: nusquam enim dicit Lessius, *illam solam esse veram Religionem, quæ docet contemptum opum, ieiunia, & chameunias*, &c. sed dicit expresè in primâ Consideratione, *illam solam esse veram Religionem, quæ fauet puritati & sanctitati vitæ, auocat ab amore terrenorum*, &c. Sub quâ Maiore si subsumpsisset Meisnerus: Sed antiqua Iudaica Religio etiã fauet puritati & sanctitati vitæ, rectè confecisset, antiquam Iudaicam quoque veram fuisse Religionem, nec verò periclitaturam fuisse eius diuinitatem.

Secundò, Simile argumentum valet omnino contra Religionem Lutheranam: Si illa tantùm vera Religio est, in quâ (vt Lutherus docuit) est Sacramentum Baptismi, Sacramentum Eucharistiæ, &c. Ergo periclitabitur diuinitas antiquæ Religionis Iudaicæ, in quâ neutrum horum fuit.

Tertiò, Etiamsi Lessius ita fuisset ratiocinatus: Illa sola est vera Religio, quæ suadet abstinere à voluptatibus carnis, & illecebris huius vitæ, quæ docet

docet contemptum opum, ieiunia, & carnis afflictiones, &c. non tamen periclitaretur eâ re diuinitas antiquæ Legis, imò confirmaretur magis, rectéque inferretur, eam etiam hoc nomine fuisse olim veram Religionem.

Hæc enim suadebat *abstinere à voluptatibus carnis, & illecebris huius vitæ*, Numerorum 6. vbi Nazaræos iubet abstinere à vino, & omni quod inebriare potest. Item Ieremiæ 35. vbi proponit exemplum Ionadab, qui filios suos, eorum vxores & liberos, iusserat perpetuò abstinere vino: non ædificare domos, sed habitare in tabernaculis, &c.

Docebat *contemptum opum*. Psal. 61. *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*. Eccl. 5. *Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas*. Contempsit autem Moyses, *malens affligi cum populo Dei quàm haberi filius Reginæ* [adoptiuus,] ad Hebr. 11.

Suadebat *ieiunia*. Ioël. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*. Tob. 12. *Bona est oratio cum ieiunio*. Ieiunauit autem Moyses diebus quadraginta & totidem noctibus Exodi 24. & Deuteron. 9. quod item imitatus est Elias, 3. Reg. 19.

Suadebat *afflictiones carnis*. 4. Reg. cap. 1. vbi proponit exemplum Eliæ, qui pilis indutus, & pelliceâ zonâ cinctus, incolebat Carmelum montem.

Nec valet quod Meisnerus excipit, *austeritates illas Nazaræorum & Rechabitarum permissas quidem in antiquâ Lege, nusquam verò commendatas aut suasas à Moyse*: sufficeret enim fuisse laudatas, easque vt laudabiles & Deo gratas, tum vsurpari solitas

ſolitas fuiſſe, cùm Deum ſibi vellent gratiſſimo aliquo obſequio propitiare. Quamquam & id falſum quoq; eſt, laudatâ ſolummodò fuiſſe auſteritatem, cùm Ioëlis 2. pręcipiatur: *Cõuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Iudic. verò 13. iubeatur Sampſon *quidquid ex vineâ naſcitur non comedere, vinum & ſiceram non bibere, nullo veſci immundo*, &c. Sed Meiſnero Brandioque id genus querimoniæ ſunt condonandæ, qui more Magiſtrorum ſuorum veterem Legem in cælum ſemper efferebant, ob terrenarum rerum promiſſiones, ipſi ſcilicet egregij veteratores, terreſtres, lumbrici, terrenis ſolummodò cupiditatibus immerſi. At Catholicos ad alia omnia adſpicere oportebat, quæ Chriſtus nempe in Euangelicâ lege commendauit.

Eſt & illud mendacium Meiſneri pag. 65. cùm inſinuat, *nullius Nazaræorum votum fuiſſe perpetuum*: nam Samuel & Sampſon Nazaræi vota habuere perpetua.

Illud item calumnioſum pag. 66. *Pontificij indiſcretè pueros & puellas in monaſteria intrudunt, parentibus etiam eripiunt, & ad vitam ſolitariam cogunt.* Pontificij enim docent, vota coactè edita, ſeu vel graui metu vel etiam reuerentiali extorta, eâ ipsâ re eſſe irrita. Et Concil. Trident. Seſſione 25. cap. 18. grauiſſimè in eos conſulit, qui puellam aliquam compulerint in Monaſticæ vitæ clauſtra.

Secundum Argumentum Meiſneri.

Pag. 66. *Si infallibile veritatis ſignum ſit, externa illa peculiaris ſanctitas, tum Eſſenorum & Phariſæorum doctrina improbari non potuiſſet*, &c.

Refu-

Refutatio.

Primò, Malâ iterùm fide ſupponit Meiſnerus, à Leſſio allatam eſſe externam ſanctitatem pro Eccleſiæ veræ notâ; id enim eſſet hypocriſim laudare pro ſigno veritatis. Leſſius expreſsè aſſumpſit pro Maiore primi ſui Argumenti hanc propoſitionē: *Ea Religio præferenda eſt, quæ ab affectu terrenorum mentem auocat, & ad cæleſtium amorem traducit.* vbi de internâ & ſincerâ ſanctitate eum loqui, eſt manifeſtum. Qui enim mentem habet ab omni terreno affectu auocatam, traductamque in amorem cæleſtium, is verè & ſincerè ſanctus eſt, non externâ tantùm hypocriſi perſonatus.

Sed occurrit Meiſnerus pag. 62. *Sanctitatem internam* πρώτως *intelligere nequit noſter monachus* (Leſſius) *partim quia inuiſibilis & occulta eſt, ideóque alijs de fide conſultantibus certò non innoteſcit; partim quia nulla eſt Religio, quæ eam non ſuadeat & requirat.*

Cōtrà, Omnino eam intelligere poteſt, vt nempe ſubſtat externis actibus ab internâ ſanctitate profectis: ſicut Lutherus pro ſecundâ notâ ponit *myſterium crucis*, hoc eſt *tribulationes interiores & exteriores, ita vt intus ſit mœſtitia, puſillanimitas, & terrores; foris verò paupertas & contemptus*, &c. & hac ratione Primò, Sanctitas viſibilis eſt, & ab ipſis ſanctis Patribus pro Eccleſiæ ſigno manifeſto allata in Symbolo Conſtantinopolitano *Sanctam Eccleſiam.* Secundò, Hac ratione vera ſanctitas ſoli veræ Eccleſiæ competit: niſi ex Meiſneri ſententiâ etiam Turcarum Religio ſuadeat ſanctitatem veram: *Quia nulla Religio eſt*, inquit, *quæ eam non*

non suadeat & requirat. Insignem Mahumetis encomiasten Meisnerum!

Tertium Meisneri Argumentum.

Pag. 69. *Si neque Christus neque Apostoli inculcauerunt vitam monasticam, opum desertionem, ieiunia,*&c. *tum ex ijs Christi Religio non debet æstimari.*

Pag. 70. *Sed externam illam religiositatem & opera monastica nusquam inculcarunt & docuerunt. Ergo*,&c.

Minorem dupliciter probat Meisnerus.

Primò, Pag. 71. his verbis: *Vbi legitur, quòd Christus suis fidelibus suaserit paupertatem, ieiunia, cælibatum, vitam monasticam?*&c. *Quòd enim Christi exemplum attinet, etiamsi nihil posséderit, profluxit tamen hoc ex parentum potiùs paupertate, quàm spontaneâ facultatum abiectione*, &c. *Nec corpus suum more Papistico macerauit & afflixit.*

Pag. 72. *Neque omnes Christi actiones imitari possumus aut debemus: vt primò, miraculosas; secundò, particulares quasdam, vt cælibem vitam ducere, paupertatem pati, Legem perfectè implere*, &c. *Sed tantùm morales: nam de his tantùm valet communis regula: Omnis Christi actio, nostra institutio.*

Probat Secundò eamdem Minorem pag. 73. *Si Christus & Apostoli docuerũt Legem à nullo hominum perfectè impleri posse, ideoque ex gratiâ, & non ex merito vitam æternam dari, tum Christus, & Apostoli non suaserunt studium perfectionis Papisticæ. Sed prius illud verum est, vt patet ex omnibus Euangelicis concionibus: vbique enim inculcatur, Legem à nobis impleri non posse. Ergo*,&c.

Refu-

Refutatio.

Falſa eſt Minor, adeoque omnes eius probationes craſſiſſimis mendaciis ſcatent & blaſphemiis. Quis enim illud ferat, *quòd Chriſtus magis fuerit pauper ex parentum neceſſitate, quàm ſpontaneâ facultatum abiectione*; cùm Apoſt. 2. ad Corinth. cap. 8. dicat: *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egens factus eſt cùm diues eſſet, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis.* Nam ſi neceſſitate & non ſpontaneâ electione factus eſt pauper; ergo neceſſitate & non electione in ſtabulo natus, in cruce nudus mortuus eſt. Quæ blaſphemia! Quòd more Papiſtico corpus non afflixerit, *qui ieiunauit* 40. *diebus*, qui mos Papiſticus eſt; & *ſæpè pernoctauit in oratione*, qui mos monaſticus eſt. Quòd *Chriſtus & Apoſtoli vbique docuerint & inculcarint Legem perfectè ſeruari non poſſe*; cùm dixerit Matth. 11. Chriſtus: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* & Ioannes cap. 5. *Mandata eius grauia non ſunt.* Quòd *paupertatem & cælibatum ſuis fidelibus non ſuaſerit*; cùm Matth. 19. dicat: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia*, &c. item: *Sunt eunuchi qui ſe caſtrauerunt propter Regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.* in quam ſententiam multa Apoſtolus 1. ad Cor. 7.

Reſponſiones Henrici Brandij ad Maiorem primæ Conſiderationis.

Primum Argumentum Leſſij eſt huiuſmodi: *Ea Religio præferenda eſt, quæ fauet puritati & ſan-*

ſanctitati vitæ. At talis eſt ſola Religio Catholica. Ergo præferenda.

Reſponſio prima Brandij.

Pag. 24. *Admitto Maiorem, ſi nihil* ἐθελοθρησκειῶν *& humanarum traditionum admittat: vera enim ſanctitas eſt quæ ſoli Scripturæ conſonat, cui nihil addendum, nihil demendum: Deuteron. 4. Papiſticam autem Religionem eiuſmodi puram ſanctitatem habere, pernego: nam vt dem, ieiunia, cilicia,* &c. *illic ſuaderi, eaque non aduerſari in ſe Scripturarum ſacrarum Canoni genuino; alia tamen eaque plurima ſuaderi aio, vt inuocationes Sanctorum, operum merita, peregrinationes, vota Monaſtica, Indulgentias, Purgatorium, Sacrificium Miſſæ, aliaſque meras* ἐθελοθρησκείας.

Refutatio.

Primò, Veram ſanctitatem non corrumpi per Traditionis legitimæ admixtionem, probat Bellarm. lib. 4. De verbo Dei non ſcripto, cap. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.

Secundò, Traditiones Catholicorum non eſſe ἐθελοθρησκείαν, docet lib. 2. de Imagin. Sanctorum, cap. 4. oſtendens ἐθελοθρησκείαν ab Apoſtolo 2. ad Coloſſ. vocari *cultum ſuperſtitioſum.* Omnis autem Catholicorum cultus eſt à Deo inſpiratus.

Tertiò, Deuteron. 4. non prohiberi Scripturæ quidquam addi aut demi, ſed tantùm, *verbo quod vobis loquor*, vt dicit Moyſes, docet eodem lib. cap. 4. in fine, & cap. 10. initio.

Quartò, Inuocationem Sanctorum, & peregrinationes non eſſe ἐθελοθρησκείας, docet lib. 3. de

Cultu Sanctorum: de Meritis operum, lib. de Iustificatione: de votis Monasticis, lib. de Monachis: de Indulgentiis, libro singulari: de Sacrificio Missæ, item de Purgatorio, libris diuersis & copiosis. Donec Brandius hæc refutauerit, nihil respondendum duco.

Responsio Brandij.

Pag.74. *Ut Religio Religioni præferatur, non tantùm considerandum est, an ea ad vitæ sanctitatem inducat, sed & an veram doctrinam adferat,* &c. *Itaque in Maiore seiunguntur, quæ coniungenda sunt, nempe doctrina & pietas: cui Maiori Minor Lessij si subiungatur, non quadrabit.*

Refutatio.

Quasi verò Religio vlla ad veram sanctitatem adducere possit sine veritate doctrinæ! Deinde cùm sanctitas per se sit Ecclesiæ nota, quid necesse fuit, hîc ei adiungere veritatem doctrinæ, quā pro singulari item notâ attulit Lessius Consideratione octauâ, & nonâ, Ratione sextâ? Rectiùs sanè Lessius singula singulis capitibus tractauit, quàm si vno permiscuisset vniuersa.

Responsio vtriusque ad Minorem primi Argumenti Lessiani.

Minor erat huiusmodi: *Sed Religio Catholica sola fauet puritati & sanctitati vitæ, sola auocat mentes ab affectu terrenorum, & ad cælestium amorem traducit.*

Brandius pag. 24. *Papisticam Religionem eiusmodi puram sanctitatem suadere, pernego; cùm præcipua eius pars humanis Traditionibus constet.*

Meis-

Meisnerus pag. 78. *Gloriantur Papicolæ falsò, quòd sua Religio inducat sanctitatem Deo placentem.*

Primò, *Quia omnis illa illorum sanctitas, consistens in cælibatu, ieiuniis,* &c. *nullibi est præcepta.*

S●undò, pag. 74. *Quia plerumque hypocritica est & simulata.*

Tertiò, pag 82. *Quia sæpè est stolida & ridicula.*

Quartò, pag. 84. *Quia sæpè coacta & innolūtaria.*

Quintò, pag. 85. *Quia crassissimis in fide erroribus superstructa.*

Refutatio.

Primò, Apertissimum Brandij mendacium est, Religionis Catholicæ præcipuā partem sitam esse in Traditionibus humanis, vt iam sæpiùs ostēsum.

Secundò, Etiamsi ita esse faciamus, tamen fatetur Brandius, hos similesque næuos Patribus antiquis non obfuisse ad salutem. Non ergo etiam obfuerunt ad assequendam veram sanctitatem, sine quâ salutem nemo adipisci potest. Constare igitur potest vera quoq; sanctitas, etiamsi adspergatur id genus næuis humanarum Traditionum.

Tertiò, Non sequitur: Sanctitas Papicolarum nullibi fuit à Deo præcepta, ergo non est sanctitas placens Deo. Contrarium rectissimè sequitur: Nobilior pars sanctitatis, quæ apud Catholicos est, supra præceptum est; ergo Catholicorum sanctitas Deo multò gratior est. Plura non addo, donec Meisnerus refutet Bellarm. lib. 2. de Monachis, cap. 16. 17. 18.

Quartò, Quæ de hypocrisi, stoliditate, & coactione, à Meisnero allata sunt, quisquiliæ sunt, risu quàm visu digniores. Errores verò omnes,

quos Catholicis impingit, non esse errores, Bellarminus demonstrauit locis quàm plurimis, quos Meisnero refutandos relinquo.

Secunda Lessij Consideratio, ex eo quòd Catholica Religio licentiam peccandi excludat.

ILLA *Religio est præferenda, vt Deo gratissima, quæ nullam tribuit licentiam peccandi, sed multis modis hanc excludit. Talis planè est Religio Catholica. Ergo*, &c.

Maior probatur. *Quia sicut Religio, quæ ex Deo est, animos hominum excitare, & ad virtutem allicere debet; ita etiam deterrere à peccatis, incutere Dei timorem, & quantum in ipsâ est, peccata omnia impedire.*

Minor probatur, *Primò, Quia excludit licentiam peccandi per Sacramentum Pœnitentiæ. Secundò, Per doctrinam de satisfactione & Purgatorio. Tertiò, Cùm docet, ad æternam damnationem satis esse vel vnum peccatum mortiferum, nisi pœnitentiâ in hac vitâ deletum fuerit. Quartò, Cùm variis modis incutit timorem Dei.*

Responsio vtriusque ad Maiorem.

Brandius pag. 30. *Maiorem hanc respondeo non esse reiiciendam, modò intelligatur de eiusmodi licentiæ exclusione, quæ non sapit* ἐθελοθρησκείαν.

Meisnerus pag. 124. *Quoniam Iesuita Lessius in genere argumentatur ex licentiæ exclusione, ideò conditio hac vt fallibilis & incerta meritò reiicitur. Si quis autem loquatur de tali exclusione, quæ sit plena & sufficiens, modoque conuenienti fiat, cum illo, de Maiore Argumenti multùm non est litigandum.*

Pag.

Pag. 125. *Religio Papiſtica licentiam peccandi non ſufficienter excludit*. Id quod probat Meiſnerus inductione factâ per ſingula præcepta.

Pag. 158. *Religio Papiſtica licentiam peccandi non conuenienter excludit*. Quod probat pag. 160. eundo per ſingulos modos, quibus Leſſius ait, peccata à Catholicâ Religione excludi.

Refutatio.

Primò, Antiqua Brandij cuculatio eſt de ἐθελοθρησκείᾳ, ſæpè à Bellarmino exploſa.

Secundò, Etiamſi per ἐθελοθρησκείαν excluderentur peccata; tamen ea nihilominùs Religio Deo gratior eſſet, quàm quæ peccata non excluderet.

Tertiò, Repugnãtia eſt in ipſis Brandij verbis. Nam ſi peccata ſufficienter excluduntur, quomodo per ἐθελοθρησκείαν (quæ ipſa grauiſſimum peccatum eſt) dicuntur excludi?

Quartò, Inſulſa planè eſt Meiſneri reſponſio, qui dicit Leſſium aſſumere de excluſione licentiæ peccandi in genere, non autem excluſione ſufficienti & conuenienti. Maior enim Leſſij eſt huiuſmodi: *Illa Religio præferenda eſt, quæ nullam tribuit licentiam peccandi*. Atqui illa Religio ſufficienter & conuenienter excludit licentiam peccandi, quæ *nullam omnino tribuit licentiam peccandi*. Ergo Leſſij Aſſumptio eſt de ſufficienti & conuenienti excluſione.

Quintò denique, Quæcumque peccata aduerſus ſingula præcepta induci per Catholicam doctrinam docet Meiſnerus, puerilia commenta ſunt, mendaciis & ſtoliditate plena, à Bellarmino aliiſque refutata. Verbi gratiâ, pag. 125. ex De-

creto Gratiani citat *Canonem 25.cap.Nulli, & cap. Violatores*. pro *caussâ 25*. & *canone Nulli, & canone Violatores*. Vnde apparet, eum ne quidem legisse Gratianum; aut si legit, impudenter sanè ex eo esse mentitum, *Pontificias leges à Catholicis præferri legibus Diuinis*; cùm nullum ibi simile verbum habeatur. Pag.128. *Induci à Catholicis contemptum Scripturæ, quia plebi eius lectione vernaculâ interdicunt*. Quasi verò etiam eo nomine Scripturam non honorent magis, quòd plebeiis manibus versari tractarique eam vetent. Magnus honor Scripturæ, si eius interpretandæ facultas tonsori vel sutori fiat! Planè vt si rosas porcis proiicias.

Responsio vtriusque ad Probationem primam Minoris, de Sacramento Pœnitentiæ, quo peccandi licentia coërcetur.

Meisnerus pag.160. *Quod attinet Sacramentum Pœnitentiæ, per illud non intelligit Lessius veram ad Deum conuersionem, sed auricularem confeßionem peccatorum, & pro iis satisfactionem. Vtrumque verò dogma falsum & hæreticum est.*

Brandius pag.30. *Doctrina de Pœnitentiâ & Satisfactione, vt proponitur à Lessio, quoniam sacris Scripturis non nititur, est humanum commentum; vt mirum sit, tantum Professorem tantopere hîc principium petere.*

Refutatio.

Mirum est, vtramque hanc ranam toties eâdem coaxatione obstrepere, & numquam ad tot Catholicorum Doctorum de Confessione & Satis-

factio-

factione, &c. libros solidè respondere. Refutarunt has nęnias Cardinalis Bellarminus & Franciscus Suarez, aliique complures, voluminibus integris, vt mihi hic actum agendum sit, si denuò velim illi me circo includere. Ergo nihil præter mendacia colligam vtriusque, multo post me spicilegio relicto: vt intelligant Lutherani & Caluinistæ, quantâ fide sui Ministri soleant cum Catholicis disputare, & quàm liberaliter mentiri.

Mendacium primum Meisneri circa modum excludendi peccata per Sacramentum Pœnitentiæ.

Pag. 160. *Confessio plenaria nullibi præcepta est.* Idem dicit Brandius pag. 30. & 31. *quia Scripturis non nititur.*

Refutatio.

Matth. 18. præcepta est, & Ioannis 20. vbi potestas datur iudiciaria absoluendi & retinendi peccata. Atqui non potest vllus Iudex ritè absoluerę aut damnare sine plenariâ caussæ cognitione. Ergo nemo absolui potest ab Ecçlesiastico Iudice sine plenariâ criminum suorúm confessione. Consequentia patet: Quia Iudex in hac caussâ nihil ritè cognoscere potest sine spontaneâ confessione. Vide plura apud Suarez, Ægidium Koninck, & Bellarm. lib. 5. De pœnitentiâ, à cap. 2. vsque ad finem, vbi in his locis Scripturę ostenditur is esse communis omnium SS. Patrum sensus.

Mendacium secundum.

Pag. 60. *Impossibilis est.* Psalm. 18. *Delicta quis intelligit?*

Refutatio.

Hunc locum B. Hieronymus epist. 129. & Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioan. cap. 24. alijque Patres accipiunt de minimis, ijsq; venialibus peccatis, ad quæ numeranda Catholica Religio non obligat: mortalia autē, quæ post diligens examen occurrunt, confiteri non est impossibile; quod solum imperat. *Multum satisfactionis obtulit, qui erubescentia dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei deneganit*, ait August. vel quisquis alius, cap. 10. De verâ & falsâ pœnitentiâ. Et cur impossibile sit numerare peccata *atrocia, & immania, & legitima*, (vt ea nominat Lutherus) qualia tantùm vult esse *parricidium, blasphemiam apertam, adulterium: quorum plenum catalogum adferendum ad confessionem esse, omissis ceteris*, in Colloq. mensal. Islebiens. titul. De peccato, affirmat? an tot, tam atrocia & legitima peccata ante quamlibet confessionem suam admittunt Lutherani, vt ijs impossibile sit eorum inire numerum?

Mendacium tertium.

Ibidem. *Superstitiosa est: quoniam per eam, confitentem fingunt mereri remissionem peccatorum.*

Refutatio.

Superstitiosum est, quòd Ioannes Epist. suæ primæ cap. 1. promittit, si *confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & iustus, vt remittat nobis peccata*. Quamquam nullus Theologus Catholicus dicit Confessionem esse meritoriam remissionis peccatorum, nisi fortè in modum cuiusdam bonæ dispositionis.

Men-

Mendacium quartum.

Ibidem. *In primitiuâ Ecclesiâ non erat in vsu.*

Refutatio.

De primitiuâ Ecclesiâ Lucas scribit Actor. 19. *Multique credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos.* vbi Syriacus textus habet, *offensas suas*. Quamquam Lutherus, in Syriacâ linguâ paulò volutatior, pro *offensas* vertit *miracula*. O miraculosam interpretationem!

Mendacium primum Meisneri circa secundum modum excludendi peccata per satisfactiones & purgatorium.

Pag. 161. *Satisfactiones pro peccatis in foro diuino nullæ sunt. Primò, quia Christus sic non satisfecisset.*

Refutatio.

Imò minùs perfectè satisfecisset, si non etiam satisfaciendo meruisset, vt nostra quoque opera essent satisfactoria. Sicut minor esset Dei omnipotentia, si non potuisset creaturis communicare aliquam etiam potentiam operandi. Vetus hæc Caluini querimonia confutata est à Bellarmino lib. 4. De Pœnitentiâ cap. 14.

Mendacium secundum.

Ibidem. *Secundò, Quia Christus non esset solus Redemptor.*

Refutatio.

Quasi verò satisfactiones omnes nostræ ex solâ Christi redemptione vim suam non adipiscantur?

Mendacium tertium.

Ibidem. *Tertiò, Peccati remißio non foret merè gratuita.*

Refutatio.

Tam gratuita merè, imò multò magis, quàm vita æterna: quam Paulus vocat simul *gratiam* & *iustitiæ coronam.*

Mendacium quartum.

Ibid. *Quartò, Satisfactiones destituuntur diuinis & præceptis & promissis.*

Refutatio.

Lutherus *satisfactionis* nomen optabat etiam Scripturę auctoritate destitui, in Assert. Articuli 5. At pessimè illum habuerunt, illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* & alterum Prou. 16. *Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas.* vbi de redemptione agi, (quæ eadem & *satisfactio* est) negari non potest.

Mendacium quintum.

Ibidem. *In veteri & primitiuâ Ecclesiâ satisfactiones non fuerunt vsitatæ,* &c. *Indicebantur enim tantùm ieiunia, atque aliæ pœnitentiæ adiunctæ, quibus dicebantur satisfacere non Deo, sed Ecclesiæ pro dato scandalo.*

Refutatio.

Philippi vetus hoc mendacium est in Apolog. Confess. Augustanæ, Articulo De Cōfess. & Satisfactione, Caluini item, & aliorum; sed Tertullianus

nus occurrit lib. De Pœnitentiâ: *Quàm ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniã delictorum sustinere? Hoc est pretium non exhibere, ad mercedem manum emittere: hoc enim pretio Dominus instituit veniam addicere, hac pœnitentia compensatione redimendam proponit immunitatem*,&c. *Satisfactio confeßione disponitur.* Vbi clarè dicitur *Deo dari satisfactionem*, non autem Ecclesiæ. Occurrit Origenes Homil.3.in lib.Iudicum: *Quanto tempore deliquisti, tanto nihilominùs tempore humilia temetipsum Deo,& satisfacito illi in confeßione pœnitentiæ*. Aliorum deinde temporum perpetuos testes laudat Bellarm.lib.4. De Pœnitentiâ cap.9. Vsitata ergo fuit Satisfactio etiam primis temporibus Ecclesiæ, non aliter atque in præsentiâ vsurpatur.

Mendacium sextum.

Pag.161. *Probari non potest, remissâ culpâ remanere pœnam. Primò, Quia si Deus peccata remittit, pœnam non immittit.*

Refutatio.

Ratio hæc tam falsa est, quàm ipsa propositio. Nam 2.Reg.cap.12. Dauid impetratâ adulterij veniâ, punitur tamen à Deo morte filij: & 2.Reg.24. receptus in gratiam post numerationem vetitam populi, damnatur tamen ad optionem belli, famis, aut pestis.

Mendacium septimum.

Pag. 162. *Remißio peccati nihil est aliud quàm remißio pœnæ.*

Refu-

Refutatio.

Quia nouâ iam metamorphosi nempe, peccatum idem factum est quod pœna, aut pœna idem quod culpa.

Mendacium octauum.

Pag. 163. *Purgatorium à Pontificiis confictum est, Primò, Quia Scriptura de illo planè tacet.*

Refutatio.

Hoccine tacere est? Secundi Machabæorũ c. 12. *Salubris est cogitatio pro defunctis exorare.* Profectò, quia tam multa hanc in rem locuti sunt ex Scripturâ, Bellarm. Suarez, aliique Theologi, ego satius duxi hîc tacere, dum eorum totos libros verè refutauerit Meisnerus, qui nouem mendacibus ratiunculis pag. 163. allatis videtur sibi strenuè rem gessisse. illud tantùm hîc loquar pro Luthero, quòd & purgatorios esse ignes sit confessus: *Ego credo fortiter*, inquit Disputatione Lipsiacâ, cap. de Purgatorio, *imò ausim dicere, Scio esse purgatorium: facilè persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem*, &c. *Ego beatissimos Patres de numero Theologistarum non facio, quia purgatorium cum ipsis confiteor.* Sed posteà Lutherani diuinitus acceptâ auctoritate supra ipsam Scripturam, iudicarunt, Machabæorum libros intra Scripturæ Canonem non esse admittendos.

Mendacium Meisneri circa tertium modum excludendi peccata, per doctrinam de damnatione ob vnum mortale peccatum.

Pag. 164. *Etiam nos ipsi* (Lutherani) *docemus, dam-*

damnationem æternam incurrere eum, qui vel vnum peccatum mortale committit.

Refutatio.

Verbi gratiâ, Lutherus Dominicâ octauâ post Trinitatem: *Nullum opus tam malum est, quod hominem damnare queat; neque vllum tam bonum est, quod saluare possit: etenim sola fides saluat, sola incredulitas damnat.* Et Sermone De piscaturâ Petri: *Quantò sceleratior es, tantò citiùs Deus suam gratiam infundit.* Denique Tomo primo Epistolarum Latinarum, fol. 345. *Sufficit quòd agnouimus diuitias gloriæ Dei, Agnum qui tollit peccata mundi. Ab hoc non auellet nos peccatum, etiamsi millies vno die fornicemur, aut occidamus.* Quis non hinc videat, etiam doceri à Lutheranis, damnationem incurri vel ob vnicum peccatum?

Mendacium Meisneri circa quartum modum de incertitudine salutis.

Pag. 164. *Hoc dogma & per se falsissimum est, & desperationis plenissimum.*

Refutatio.

Hoc dogma est Lutheri (quem, quia Meisnerus omnibus anteponit, primum nomino) De decem præceptis: *Incertum est homini num sit in statu gratiæ, nec ne.* Iterùm Epistol. ad Episcopum Moguntinum: *Non fit homo per vllum munus Episcopi securus de salute, cùm nec per gratiam Dei infusam fiat certus de salute; sed semper in tremore ac timore iubet nos salutem nostram operari Apostolus.* Hoc dogma Salomonis est Ecclesiastæ cap. 9. *Sunt iusti*

atque

atque sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo vtrùm amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta. Est & Iesu Siracidæ Prophetæ, Ecclesiastici cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum: & ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.* Alia plurima huic fallacissimæ certitudini opponit toto lib. 3. De iustificatione Bellarminus, quem Meisnero relinquo refutandum. Certum est ergo fixumque, quatuor illis modis Lessij ritè ab Ecclesiâ excludi peccandi licentiã, nihilque à Meisnero & Brandio contrà allatum esse præter mendacia pridem etiam refutata.

Tertia Lessij Consideratio, ex sanctitate cultorum.

ILLA *Religio, in quâ plurimi sanctitate conspicui sunt, est præferenda. At talis Religio Catholica. Ergo,* &c.

Responsio Meisneri ad Maiorem.

Pag. 186. *Duplex est sanctitas. Prima, interna cordis; secunda, externa operis. Neutra vera doctrinæ nota esse potest. Non interna, quoniam latet. Non externa, Primò, quoniam non est perpetua; Secundò, quia non est infallibilis.*

Pag. 189. *Maior ergo Lessij non est apodictica: quare hoc sensu tantùm eam concedimus, si de antiquis & indubitatò sanctis Doctoribus intelligatur.*

Refutatio.

Primò, His postremis verbis Meisnerus prio-

rem

tem suam responsionem subuertit, planè vt nihil magis cum ipso pugnet, quàm ipse secum. Nam quomodo Lessij Maior vera esse possit in antiquis Sanctis, cùm tantùm duplex sit sanctitas, quarum neutra tamen potest esse veræ Religionis nota?

Secundò, Quomodo potest eadem propositio vera esse in antiquis Sanctis, cùm neque perpetua, neque etiam infallibilis fuerit in ijs sanctitas vitæ? potuerunt enim cadere, sicut Tertullianus, sicut Origenes; potuerunt fallere, sicut Ananias & Saphira.

Tertiò, Malè Meisnerus ab se inuicem discerpit sanctitatem internam & externam, cùm nulla sit vera sanctitas, quæ tantùm sit externa. Sed Lessij Maior intelligenda est de sanctitate internâ & externâ simul, quæ constituunt vnam veram sanctitatem, sicut anima & corpus vnum hominem.

Quartò, Vnde apparet, hanc sanctitatem posse esse Ecclesiæ visibilem notam.

Quintò, Re ipsâ autem pro veræ Ecclesiæ notâ habitam fuisse, demonstratum Libro primo; & Brandius ipse Maiorem Lessij de verâ sanctitate acceptam admittit pag. 37.

Prima responsio vtriusque ad Minorem Lessij.

Meisnerus pag. 189. *Nominat Lessius aliquot viros, inter quos aliqui verè fuerunt sancti, vt Gregorius,* &c. *Sed ij non sunt professi eam fidem quam hodie tenent Pontificij.*

Brandius pag. 37. *Distinguo inter Sanctos. Nam alij fuere ante institutum Papatum, nimirum primis sexcentis noui Testamẽti annis: alij posteà secuti sunt.* Refu-

Refutatio.

Primò, Quandoquidem Meisnerus nullum dogma adferat quo à modernis Pontificiis dissentiant antiquiores illi Sancti, non difficiliori operâ negamus, quàm ipse id affirmauit.

Secundò, Brandius, quòd facit à Phocâ institutum esse primùm Papatú, ridiculè facit, nisi priùs refutet rescripta Bellarm. lib. 2. de Pontif. cap. 17. quibus ostendit, etiam à Valentiniano Cæsare (qui Phocam CXL. annis præcessit) Pontificem fuisse habitum pro Ecclesiæ totius capite & Primate. Imò & ab Athanasio (qui sexcentis illis primis annis floruit, & à Brandio Meisneróque pro viro sancto ducitur) Pontificis assertú esse supremum Principatum Apologiâ secundâ: item Epist. ad Felicem Papam, & lib. De sententiâ Dionysij Alexandrini.

Tertiò, Brandius adfert quinque aut sex diui Gregorij sententias, ex quibus nititur conficere, Gregorium tenuisse & credidisse, nonnulla Pontificiis contraria: sed donec Brandius didicerit magis Philosophicè aut Theologicè id ijs ex verbis probare in Modo & Figurâ, nihil respondendum duco.

Quartò, Tantùm adferam ex ipso Gregorio testimonia clarissima, quibus ea ipsa nobiscum ab eo credita fuisse ostendam, quæ Brandius scribit ab eo singula fuisse reiecta.

Mendacia Brandij, quibus Gregorium affirmat à Catholicis dissentire, ipsis Gregorij verbis refutata.

Primò, Brandius pag. 39. *à Gregorio* ait *reiectas*

Tra-

Traditiones, solam Scripturam admissam. Rescribit S. Gregorius lib. 12. Epist. cap. 5. *De dedicationum verò ecclesiarum dubitatione, super quâ cetera nos consuluistis, hoc vos ritè tenere debetis, quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus. Hæc nos, adminiculāte diuinâ gratiâ, tenere cupimus, vobisque, vt postulatis, tenere & docere mandamus; vt ea, quæ à sanctis Patribus ante nos sunt statuta, non proteruè irrumpere, sed fideliter seruare optemus.*

Secundò, Ait Brandius *Gregorium à Pontificiis discedere in doctrinâ de Libero arbitrio, cùm scilicet neget, in bono opere aliquid esse arbitrij nostri; quod affirmant tamen Papistæ, cùm docent, voluntatem gratiæ Dei concurrere, solumque à Spiritu sancto adiuuari.* Rescribit S. Gregorius lib. 16. Moral. cap. 12. *Quia enim diuina nos bonitas, vt innocentes faciat, præuenit, Paulus ait, Gratiâ Dei sum id quod sum. Et quia eamdem gratiam nostrum liberum arbitrium sequitur, adiungit: Et gratia eius in me vacua non fuit. Qui cùm se de se nihil esse conspiceret, ait, Non autem ego: & tamen quia se esse aliquid cum gratiâ Dei inuenit, adiunxit, Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret, Mecum, si cum præueniente gratiâ subsequens liberum arbitrium non haberet. Vt ergo se sine gratiâ nihil esse ostenderet, ait, Non ego: vt verò se cum gratiâ operatum esse per liberum arbitrium demonstraret, adiunxit, Sed gratia Dei mecum.*

Tertiò, Ait Brandius *Gregorium in doctrinâ de Iustificatione cum Pontificiis dissentire, quòd hi doceant, posse nos mereri æternam vitam, ille id neget.* Rescribit S. Gregorius lib. 4. Moral. c. 31. in hæc verba: *Quia in hac vitâ nobis est discretio operum, erit in illâ procul dubio discretio dignitatum. Vt quo*

hîc alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendat.

Quartò, Ait Brandius *à Gregorio requiri solam fidem, cùm Papistæ id docentibus anathema dicant.* Rescribit S. Gregorius lib.4.Moral.cap.14. *Qui fidem sine operibus retinent, cùm pro eâdem fide in extremo Iudicio se posse saluari confidunt, spes eorum frustrabitur; quia hanc malè viuendo demoliti sunt, quam confitendo tenuerunt.*

Quintò, Ait Brandius *aliter sentire Gregorium quàm Catholicos, cùm hi anathema ijs dicũt, qui docẽt, omnia opera ante iustificationem facta, esse mera peccata.* Rescribit S.Gregorius Homil.9. in Ezech. *Nec fides sine operibus, nec opera adiuuant sine fide, nisi fortè pro fide suscipiendâ fiant; sicut Cornelius antè pro bonis operibus meruit audiri, quàm fidelis existeret. Quâ ex re colligitur, quia bona opera pro fide suscipiendâ faciebat.*

Concludo ipsis Brandij verbis pag.40. *Hæc tantùm specimen sunt eorum, quæ prætereà dici possunt. Et an hunc Gregorium dicas Papistam, qui doctrinâ tantopere diffidet à Papistis?* Quis risum teneat?

Secunda responsio Meisneri ad Minorem.

Pag. 191. *Quòd attinet alios Diuos Sanctosque Papales, vt VVinocum, Rumoldum,*&c. *habuerunt quidem isti aliquam externæ sanctitatis speciem, quâ deceptum fuit vulgus credulum; attamen non fuit eorum sanctitas vera, sed potiùs, Primò, superstitiosa, quoniam in electitiis cultibus fundata. Secundò, Pharisaica. Tertiò, fabulosa. Quartò, falsæ Religioni superstructa. Argumenta igitur Lessij tum demum aliquid con-*

concluderent, si omnes Diuos suos verè Sanctos fuisse demonstrasset.

Refutatio.

Primò, Meisnerus stolidissimè principium petit, dum (quod controuertebatur) affirmat, falsam esse Religionem cui superstructa sit sanctitas recentiorum Diuorum, eâque re eam non posse esse veram sanctitatem.

Secundò, Stolidissimæ arrogantiæ est, dicere, omnes omnino deceptos orbe toto Catholicos fuisse imposturis & hypocrisi SS. VVinoci, Rumoldi, Brunonis, &c.

Tertiò, Pugnant inter se maximè, quæ hîc effutit Meisnerus vno alteróve loco. Pag. 193. *Licet Sancti illi maxima miracula egerunt, attamen verâ sanctitate non fuerunt præditi, quia errarunt in fide.* Et pag. 196. *Non tamen omnes damnamus, sed benè de multis speramus, qui in solâ Dei misericordiâ, & Christi merito spem suam tandem posuerunt, & ita salutem sempiternam adepti sunt.* Nam quomodo errantem in fide possibile est adipisci salutem? cùm & auctore Apostolo ad Heb. 11. *sine fide impossibile sit placere Deo?* Quomodo potest quis saluari sine fide iustificante, & verâ sanctitate?

Secunda responsio Brandij ad Minorem.

Pag. 41. *Hoc vno ictu iugulo omnes illas rationes Lessij, quæ sequuntur numero quinque: & dico, quotquot eorum verè Sancti fuerunt, non fuisse Papistas; quotquot verò Papistæ fuere, eos non fuisse verè Sanctos: neque hîc iudicium mundi, ne quidem totius, locum habet, vel curandum est.*

Refutatio.

Nota Primò: ———— *Quot tædis æternos Drancis dextra dedit!* ———

Vno ictu, papæ! quinq; Rationes Lessij iugulauit:

—— *Iugulo tenus abdidit ensem:*

Vnâ eâdemque viâ sanguisque animúsque cucurrit.

Nota Secundò: *Dico*, inquit, vel *non fuisse Papistas*, vel *non fuisse Sanctos*. Probare enim non potest, sed tantùm dicere.

Nota Tertiò: *Totius mundi iudicium nihil hîc curandum est*, sed vnius Brandij fastigio totus orbis fasces submittere debet & iudicium. Hic vnus *laurum momordit*, ceteri omnes *cucurbitas lippiunt*. Damnat hîc Brandius omnes, quos orbis Christianus pro Sanctis habuit: omnes enim Papistæ fuerunt, hoc est, Sedi Apostolicę addictissimi. Verùm facit id ex Religionis suæ placitis. Si enim illa vera sunt, omnes Catholici, quamtumuis Sancti, necessariò damnandi, cùm fide iustificante careant. Hoc vnum satis esse debebat, vt omnes hanc sectam detestarentur.

Tertia responsio vtriusque ad Minorem.

Meisnerus pag. 196. *Sophistam agit Lessius, quando Patres orthodoxos cum Sanctulis à Papâ canonizatis coniungit, & omnes damnandos esse, ex nostris hypothesibus concludit. Probari enim in æternum nequit, quòd illi negauerint gratuitam iustificationem per fidem in Christi meritum, aut Ecclesiæ Romanæ Apostolicæ adhæserint, vel idololatræ fuerint.*

Brandius pag. 42. *Protestantes non condemnant Patres*

Patres illos, qui primis sexcentis annis vixerunt. Illi enim ab his in præcipuis Fidei capitibus nihil dissentiunt. Nam & illi docuerunt fidem specialem, per quam solam iustificamur. Hieronym. in Isa. cap. 26. in 3. cap. ad Galatas, Ambrosius Epistolâ 71. in c. 3. ad Roman. in cap. 4. ad Roman. in 3. ad Galatas, Augustinus Ep. 200. in 3. cap. ad Galat. Gregorius suprà citatus. Hi quatuor igitur quamuis apud Papistas habeantur præcipui Ecclesiæ Doctores, Lessium tamen falsi accusant. Et sic de reliquis Fidei ac Religionis capitibus præcipuis possem ostendere. Deinde neque hi Doctores à Protestantibus extra Ecclesiam habentur fuisse idololatræ: Sanctorum enim imagines nec haberi quidem voluerunt in templis.

Refutatio.

Primò, Velim doceri à Meisnero quo ex capite hoc argumentum Lessianum sit sophisma: *Omnis qui ignorat fidem specialem, & adhæret Ecclesiæ apostatrici, & est idololatra, exors est iustitiæ Christi, & filius gehennæ. Sed omnes omnino sancti Patres ignorarunt fidem specialem, adhæsérúntque Ecclesiæ apostatrici, & fuerunt idololatræ, indicio aduersariorum. Igitur omnes sancti Patres exortes sunt iustitiæ Christi, & filij sunt gehennæ.*

Secundò, Falsum est, vllum omnino ex sanctis illis Patribus agnouisse fidem specialem, aut non fuisse apostatam & idololatram ex sententiâ aduersarij, vt allatis testimoniis ipsorum Patrum mox demonstrabo.

Tertiò, Nulla omnino auctoritas à Brandio allata est, quâ possit ritè concludere, ab vllo ex sanctis illis quatuor Patribus agnitam esse fidem

ſpecialem: quamobrem ad earum nullam reſpondeo.

Quartò, Eorumdem Patrum teſtimoniis ſcriptis, pernicioſum illud dogma de ſpeciali fide refutatur, locis propè infinitis.

Quatuor ſanctos Eccleſiæ Doctores deteſtatos eſſe fidem ſpecialem, eorumdem verbis probatur.

AVGVSTINVS Enchirid. c. 67. *Librum hac de quæſtione ſcripſi, cuius titulus eſt De fide & operibus, vbi ſecundùm Scripturas ſanctas, quantù Deo adiuuante potui, demõſtraui eam fidem ſaluos facere, quam ſatis euidenter expreſſit Paulus Apoſtolus, dicens: In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio quidquam valet, neque præputium: ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Si autem malè & non benè operatur, proculdubiò ſecundùm Apoſtolum Iacobum mortua eſt in ſemetipsâ; qui rurſus ait: Si fidem dicat quiſquam habere, opera autem non habeat, numquid poterit fides ſaluare eum?*

HIERONYMVS lib. 1. Comment. in cap. 4. Oſeæ: *De hæreticis facilis intelligentia eſt. Cùm enim viderint aliquos delinquentes, aiunt, Nihil aliud quærit Deus, niſi fidei veritatem; quam ſi cuſtodieritis, non curat quid agatis. Hæc enim dicentes, in iniquitatibus eorum ſubleuant animas eorum, vt non ſolùm non agant pœnitentiam, nec humilientur; ſed gaudeant in ſceleribus ſuis, & erectâ ceruice gradiantur.*

AMBROSIVS in cap. 2. Epiſt. ad Titum: *Quomodo illi, qui ſolum Patrem prædicat, ſpes nulla eſt, ſi non confitentur in eadem veritate & Filium; ita & huius*

huius ſpes fruſtrata eſt, qui ſolam profeſſionem fidei habet, ſine bonis operibus.

GREGORIVS, cuius ſuprà attuli verba ex lib. 4. Moral. cap. 14.

Quis iam non credat Brandio promittenti, ſe eodem poſſe modo oſtendere, omnes alios Patres à nobis diſſentire in aliis omnibus Fidei capitibus, quemadmodum oſtendit, quatuor hoſce Eccleſiæ Doctores nobis aduerſari in dogmate vno de fide ſpeciali?

Quarta Reſponſio Meiſneri ad Minorem.

Pag. 200. *Quæ adiungit Leſſius de Catholicorum ſceleribus, ea nempe non ex eorum Religione, ſed hominum malitiâ ortum trahere; contrà autem, prauam vitam Lutheranorum ipſi Religioni eſſe imputandam; illa dicit quidem, ſed non demonſtrat.*

Refutatio.

Primò, Non dixit tantùm, ſed etiam demonſtrauit Leſſius Conſideratione ſecundâ, ex ſeptem dogmatibus Lutheranorum, quæ Libro 3. à me aſſerentur, quæque in vnam hîc coniiciam demonſtrationem, memoriæ renouandæ causâ. *Omnis illa Religio, quæ Confeſſionis Sacramentum tollit, vnà cum contritione, ſatisfactione, purgatorio, obligatione pœnæ remanentis poſt culpam, docetque ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, nec vllum ei, qui eam fidem habet, peccatum imputari, etſi millies fornicaretur vno die; ad hæc etiam, peccata omnia à Deo eſſe decreta, hominesque certâ neceſſitate impelli: illa, inquam, omnis Religio ſuapte naturâ habenas laxat ad omnes libidines & flagitia. Sed Religio Lutherana*

tollit confessionis Sacramentum unà cum contritione & ceteris adminiculis, & simul docet solam fidem sufficere ad salutem, nec ullum peccatum ei imputari, qui habet fidem specialem, etiamsi millies uno die fornicetur; ad hæc, peccata omnia à Deo esse decreta, hominemque ad ea perpetranda certâ necessitate impelli. Igitur Religio Lutherana suapte naturâ laxat habenas ad omnes libidines & flagitia.

Maior propositio probata est Lessio, nec ab aduersariis improbata.

Minor quoad singulas partes à me vindicata est in defensione Considerationis secundæ, & alibi vindicabitur Libro 3.

Consequentia bona est. Nihil igitur in hac demonstratione desideratur.

Secundò, Non modò id dixit & demonstrauit Lessius, sed & Erasmus (cuius auctoritate in laudando Luthero Meisnerus est vsus) morum corruptelam ex ipsâ oriri Religione Lutheranâ, scripsit epist. ad Vultur. Neoconum. *Circumspice,* inquit, *populum istum Euangelicum,* &c. *Profer mihi vnum quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego multos tibi ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.*

Quinta responsio vtriusque ad Minorem.

Meisnerus pag. 200. *Quòd Religio Lutherana habuerit viros sanctitate conspicuos, proteruè negat Iesuita. Sed cõtrà facilè probare possumus. Nam quod attinet primos fidei nostræ Doctores, fuere illi sancti Prophetæ, & Apostoli, imò fidei nostræ testimonium per-*

perhibet Christus Iesus Sanctus Sanctorum. Sæculo secundo habuimus Polycarpum, Ignatium, Irenæum, Iustinum, Clementem Alexandrinum. Sæculo tertio Tertullianum, Cyprianum, Origenem. Sæculo quarto, Athanasium, Basilium Magnum, Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum. Quinto, Augustinum, Chrysostomum, Cyrillum, Theodoretum. Sæculo sexto Fulgentium, Cassiodorum, Gregorium Magnum. Et sic deinceps per omnia sæcula, donec tandem sæculo decimoquinto excitauit Deus Megalandrum nostrum Lutherum.

Brandius pag. 45. *Pergit Lessius vrgere, & aliis Religionibus exprobrare, quòd nulli in ijs extiterunt viri eximiæ sanctitatis, &c. quin imò quòd earum auctores primi maximis vitiis fuere obnoxij. Itáne verò? Lessius etiam mortuos insectatur? habent profectò Protestantes etiam suos Martyres, præter veteres illos Apostolos & Martyres.*

Refutatio.

Primò, Quis non rideat vertiginem Meisneri & Brandij, adferentium viros Sanctos mille quingentis annis suâ Religione anteriores, quasi Religionis suæ fœtus? Nam vbi terrarum aut gentium, quæso, ante Lutherum & Caluinum extiterunt Religio Lutherana & Caluiniana, iam priùs natæ, & omnibus antè superioribus sæculis inauditæ?

Secundò, Quis non instar monstri habeat, Christum, Apostolos, sanctos omnes Patres fuisse Lutheranos, & item Caluinistas?

Tertiò, Si Patres omnes fuerunt & Caluinistæ, & Lutherani, quomodo ita proiectè & con-

tumeliosè de iis eorumque doctrinâ locuti sunt Lutherus & Caluinus, eamque fassi sunt toties suæ doctrinæ aduersari?

Testimonia Lutheri, Caluini, Lutheranorum & Caluinistarum de sanctis Patribus, quos Meisnerus ait fuisse Lutheranos, Brandius Caluinistas.

SECVNDI SÆCVLI PATRES.

De sancto Ignatio Caluinus lib. 1. Institut, cap. 14. §. 44. *Ignatium quòd obtendunt, si velint quidquam habere momenti, probent Epistolas legem tulisse de Quadragesimâ, & similibus corruptelis: nihil næniis illis*, &c. *putidius.*

De sancto Irenæo Magdeburg. Cent. 2. cap. 10. *Opiniones incommodas seu stipulas quasdam nō exiguas eum habuisse ex scriptis cerni potest: liberum arbitrium etiam in spiritualibus admittit.* Quomodo igitur potuit fuisse Caluinista aut Lutheranus?

De eodem Adam Scultetus Numbergensis lib. 3. cap. 6. *Verissimè ab Eusebio dictum est, Ecclesiam post tempora Apostolorum non diu fuisse virginem. Testem huius rei vel Irenæum nominare possumus, qui fundamento doctrinæ Apostolorum tot stipulas superstruxit.* Magnus igitur Ecclesię Lutheranæ Sanctus est Irenæus, qui Ecclesiam suam deuirginauit adulteratâ doctrinâ.

De sancto Iustino ibidem Scultetus lib. 1. c. 17. *Næuorum in Iustino agnosco caussam triplicem; quarum prima Plato, altera Iudæi, tertia sinistra Doctorum interpretatio. In Platonis scholâ nata est ei de* αὐτεξουσίῳ *siue libertate voluntatis humanæ opinio.*

De

De Clemente Alexandrino Magdeburgenses Cent. 3. c. 1. in Protreptico: *Corruptionem naturæ adeò ignorauit, vt nusquam non liberum arbitrium asserat, & viribus hominum nimium tribuat.*

De eodem Heshusius lib. De seruo arbitrio: *Clemens Alexandrinus vsque adeò in doctrinâ Christianâ rudis fuit, vt neque doctrinam de Peccato originis, neque promissionem Euangelij intellexerit.*

TERTII SÆCVLI PATRES.

De Tertulliano Lutherus in Conuiuialibus colloquiis: *Tertullianus inter Ecclesiæ Doctores merus est Carlstadius.* Carlstadium autem Lutherus vocabat *diabolum incarnatum.* Sunt igitur diaboli incarnati, Lutheranorum Sancti. Adam Scultetus lib. 7. cap. 42. *Tertullianus liberum arbitrium post lapsum ita euehit, vt Pelagius ipse vix ausus fuerit pari libertate de eo pronuntiare. Immodicus fuit in martyrij laude, quasi eo homines veniam mereantur: operum merita nimis extollit, castitatis imprimis & pudicitiæ: defendit superstitiosa ieiunia, &c.*

De Cypriano Lutherus in Conuiuial. *Cyprianus martyr infirmus est Theologus.* Melãchthon lib. De Ecclesiâ: *Cyprianus vrget pœnas Canonicas quarum tunc vsus erat, & confirmat opiniones, quòd sint necessariæ, & quòd propter eas remittantur peccata. Tamen illi errores non sunt leues, sed admodum densæ stipulæ obscurantes puram doctrinam de beneficiis Christi.* Scultetus lib. 8. cap. 24. *Cyprianus doctrinam de Iustificatione fidei cum iustitiâ operum confundit. Iustitiam operum manifestè vrget. Satisfactionibus remissionem peccatorum tribuit. Cærimonias Montanisticas, vt consecrationem & vnctionem à*

Ter-

Tertulliano acceptas retinet. Quî poteſt ergo Cyprianus Lutheranus fuiſſe aut Caluiniſta?

De Origene Lutherus in Conuiuialib.*Origenem iam dudum diris deuoui.* Idem epiſt.ad Philippum: *Dico, Origenis Commentaria meras eſſe nugas & ineptias,ſi tuis Annotationibus cõparentur.* Beza in c.3. Epiſt.ad Rom.*Certò hoc auſim dicere, Origenem hominem fuiſſe ſelectum organum diaboli, Apoſtolicæ doctrinæ prorſus euertendæ naturæ.* Idem Pręfatione in nouum Teſtament. *Origenes homo omnium, qui vmquam de rebus ſacris ſcripſerunt, impuriſſimus.* Sunt igitur diaboli organa, Caluiniſtarum Sancti & Patres.

QVARTI SÆCVLI PATRES.

De ſancto Baſilio Lutherus in Cõuiuial. *Baſilius nihil valet:totus eſt monachus, ne pilo quidem illum redimerem.* Hunc igitur Sanctum Meiſnerus bono admodum pretio ſibi emere potuit,auctionem habente Luthero. Melanchthon lib. De Eccleſiâ: *Baſilius addit monaſticen tamquam ſtipulas.* Mirum ergo quâ fronte eum faciant Lutheranum aut Caluiniſtam.

De ſancto Epiphanio Magdeburgẽſes Cent. 5. c. 5. *Eſt vbique ferè nimiũ propenſus in admirationem continentiæ ſacerdotalis. Sumpſit ſibi in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ licentiam ſatis audacem in Theophili (qui Ioanni inimiciſſimus erat) gratiam, vt quòd Diaconum ordinauit præter Canones.*

De ſancto Hilario Magdeburgẽſes Cent.4.c.10. *Nullam de Spiritu ſancto protulit religioſam ſententiam,*&c. *nuſquam ei Dei vocabulum tribuit, nec de libero arbitrio ſatis cautè loquitur.*

De

De sancto Ambrosio Madeburgenses Cent. 4. cap. 4. *Ambrosius lib. De viduis, permulta crassa habet de inuocandis mortuis.*

De sancto Hieronymo Lutherus cap. De Scholast. Theolog. in Conuiuial. *Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, nam fuit hæreticus.* Facit ergo Meisnerus Sanctum, quem Lutherus hæreticum. Idem ad cap. 22. Genes. *Quin te Hieronyme conculcamus cum tuâ Bethleem, cucullâ, & deserto?* Si putasset Lutherus Hieronymum Lutheranũ esse, non ita cum eo contumeliosè egisset.

QVINTI SÆCVLI PATRES.

De sancto Augustino Lutherus contra Regem Angliæ: *Quis est Augustinus? quis nos coget ei credere?* Theodoricus Schnepfius lib. De Eucharistiâ: *Manifestum est, D. Augustinum haud leuium errorum semina vel iecisse, vel ab aliis sparsa auxisse & confirmasse.*

De sancto Chrysostomo Lutherus in Cõuiuial. *Chrysostomum nullo loco habeo, non est nisi loquaculus.* Magdeburgenses Cent. 5. cap. 5. *Chrysostomus bonorum operum est encomiastes, qui & synergiam voluntatis passim defendit, & liberi arbitrij patronum agit.*

SEXTI SÆCVLI PATRES.

De sancto Gregorio Lutherus in Colloq. German. fol. 449. *Gregorij conciones ne teruncium quidem valent, diabolus enim eum in suo Dialogo crassè decepit.* Melanchthon in cap. 14. Epistolæ ad Romanos: *Gregorius ethnico more statuas ornauit, magnæ impietatis confirmauit initia; lapsus denique est*

in

in manifestam impietatem & tyrannidem.

Atque hi omnes nominatim ij ipsi sunt, quos Brandius & Meisnerus aiunt fuisse Caluinistas & Lutheranos, sanctos Religionis suæ antesignanos, de quibus Lutherus & Lutherani, ac Caluinistæ (qui eos debebant nouisse meliùs Brandio & Meisnero) tam inhonesta testimonia dixerunt. Denique velim ex Brandio sciscitari, ecqui sint illi alij Caluinistarum martyres Sancti, quos extra veteres illos se habere iactat? Eorum adhuc nomina requiro, vt ea in sacros Fastos aut Martyrologium referam: nisi fortè sufficiat Brandio, quòd eorum plurimi sint inter Caluinistarum flores relati.

Quales porrò illi Sancti Lutheranæ Religionis esse debeant, adscribam ad posteritatis memoriam ipsis Lutheri verbis Tom. 4. German. Wittenb. Comment. in Ioan. cap. 17. *Nos ita dicimus, quòd veri & germani Sancti debeant esse fortibus & atrocibus peccatis obnoxij, ac tales etiam manere; quos non pudeat orare: Dimitte nobis debita nostra.* O Sancti Sanctorum!

Quarta Lessij Consideratio, ex miraculis cultorum.

ILLA *Religio, in quâ plurima miracula omnibus sæculis edita, est præferenda alijs, quæ miraculis sunt destituta. At sola Religio Catholica miraculorũ gloriâ fulget, ceteræ miraculis sunt destitutæ. Sola ergo Catholica est vera Religio, ceteris omnibus præferenda.*

Responsio vtriusque ad Maiorem.

Meisnerus pag. 211. *Si Lessius intelligat antiqua miracula Christi, Apostolorum, & primitiuæ Ecclesiæ,* *con-*

concedi potest propositio. Quod si verò simul requirat miracula noua, & subintelligat signa Papalia, negamus Maiorem. Pag. 201. *Quia cùm primùm propaganda esset inter Gentiles Fides, Christus miraculorum dono ornabat ministros suos, quò ita Pagani fortiùs conuincerentur. Quòd autem post fidem propagatam, nullibi legimus; imò contrariũ extat, fore nempe miracula notam Antichristi: Mat.* 24. Pag. 205. *Notandum enim Primò est, miracula non esse perpetuos veræ doctrinæ comites. Secundò, miracula etiam falsis Doctoribus esse communia: ita Exod. 7. magi. Donatistæ itèm miraculis non carebant. Imò & Gentiles nonnulla portenta ediderunt.* Pag. 207. *Vnde Bellarm. ipse lib. 1. De Gratiâ c. 10. fatetur, posse donum miraculorũ separari à verâ fide.* Pag. 23. *Quod attinet ad dictum Ioan. 14. vers. 12. quo Lessius insinuari putat, semper in Ecclesiâ gratiam miraculorum futuram, in eo fallit & fallitur. Non enim ex textu probari potest, Christum vniuersaliter loqui, & omne tempus complecti; aliàs omnis credens, & quidem perpetuò miraculorũ dono præditus esset, quia dicit, Omnis qui credit, opera quæ ego facio, faciet. Illud autem cùm non fiat, propterea nos restringimus dictum illud ad tempora primitiuæ Ecclesiæ; quibus elapsis, cessauit donum miraculorum. Nam Chrysostomi tempore miracula non ampliùs erant frequentia: ergo tum temporis desijt gratia miraculorum, quam sub finem mundi Deum denuò esse multis concessurum, nullo firmo Scripturæ testimonio probari potest.*

Brandius pag. 46. *Ad Maiorem respondeo, Illam non esse omnino veram. Quòd verò ait Lessius, miracula esse sigilla quædam & testimonia diuina, quibus Religio comprobatur, nego de omnibus esse verum.*

Chri-

Christus enim præmonet, futurum, vt pseudo-Christi & Antichristus edant signa magna & prodigia.

Refutatio.

Primò, Lessij Maior intelligenda est de omnibus miraculis, *etiam recentioribus, in Ecclesiâ patratis.* Constat nihilominùs argumentum, si vel de Apostolorum miraculis capiatur.

Secundò, Mendacium est, nusquam legi, factam esse promissionem miraculorum edendorum post fidem iam propagatam. Locus est Marci 16. vbi dicitur expressè non solùm de Apostolis, sed indefinitè de quibuscumque fidelibus: *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur.* quibus verbis promittuntur noua miracula, tamquam *indiuidui comites fidei, etiam post fidei propagationem factam in cordibus credentium.* Ad eam porrò propagandam magis, locus est Ioannis 14. vbi simpliciter promittit Christus potestatem miraculorum credentibus, perpetuò post factam primam fidei propagationem. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quo loco Meisnerus falsò dicit haberi, *Omnis qui credit*: vt probet nempe, quemadmodum hoc sine restrictione verum esse non posset, ita nec sine restrictione verum esse posse de omni tempore Ecclesiæ duraturæ: quod tamen manifestè Christus promittit, nullâ factâ illius temporis restrictione. Cùm enim de omnibus credentibus non esse verum id promissum videamus, rèliquum certè est, vt saltem perpetuò sint nonnulli in Ecclesiâ, qui eiusmodi vim miraculorum repræsentent.

Probatur autem, tam necessaria esse miracula sub-

ſubinde etiam his temporibus, atque illis primis, hoc Argumento: *Primis illis temporibus neceſſaria fuere miracula tantùm, quia Chriſti doctrina* (quæ res multas ſupra naturam credendas proponit) *erat inaudita & noua* (non enim volebat Deus quemquam cogi ad credendas res naturaliter incredibiles, niſi per ſigna ſupernaturalia.) *Atqui his temporibus, ſubinde nouis quibuſdam aut barbaris Gentibus Chriſti doctrina deprehenditur inaudita eſſe & noua. Ergo ſubinde his temporibus tam ſunt neceſſaria illa miracula, atque illis priſcis.* Atque hoc ipſum diſertè ſcripſit Melanchthon in cap. 3. Matth. his verbis: *Poſteà ſæpè, quando mundus fuit ferè oblitus promiſſionem & doctrinam Euangelij, tunc vocauit nouos Doctores: ſic quando iam tenebræ erant, Deus vocauit Ioannem. & ſemper Deus addit miracula, vt certò ſciamus à Deo miſſos.* Et Lutherus De ſeruo arbitrio: *Deus ſua dogmata miraculis confirmare ſolet, nullo reſpectu carnalis ſæculi.*

Tertius locus eſt Apocalypſis 11. vbi promittitur Eccleſiæ etiam ſub tempus Antichriſti poteſtas miraculorum; vt videas pinguiſſimum Meiſneri mendacium, aſſerentis, nullo firmo Scripturæ teſtimonio probari poſſe, ſub finem mundi fore in Eccleſiâ gratiam miraculorum: *Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta. Si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum. Et ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plagâ quotieſcumque voluerint.*

Tertiò, Mendacium eſt, teſtimonio Scripturæ

lantur, non quòd naturæ aduersentur, sed quòd naturæ modum, qui est nobis vsitatus, excedant.

Octauò, Mentitur Meisnerus pag. 207. cùm falsos Doctores subinde miraculorum edendorum potestate fuisse à Deo instructos, probat exemplo Balaam, & illâ auctoritate Deuteronomij cap. 13. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, non audies verba Prophetæ illius.* Neque enim Balaam legitur vspiam miraculum vllum edidisse, sed prophetasse tantùm; atque id quidem in confirmationem fidei nostræ. Neque etiam his Deuteronomij verbis aliud monemur, quàm cauere ab impiorũ prædictionibus, prophetiis, & somniis, non à miraculis: planè vt somniasse videatur Meisnerus, & somnia donumque Prophetię confudisse cũ dono miraculorum.

Nonò, Mentitur pag. 208. cùm scribit, *Bellarminum fateri, constare non posse, quando simile planè prodigium ab hæretico editur, & simile à Catholico, (verbi gratiâ, ablatio cæcitatis) an hæreticus id fecerit, ope dæmonis, an Catholicus.* Verba Bellarmini (è quibus nonnulla dolo malo prætermisit Meisnerus) ista sunt lib. 4. De Ecclesiæ notis cap. 14. *Est autem obseruandum, rectè demonstrari ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesiâ vicissim miracula, sed diuerso genere demonstrationis: quemadmodum rectè ex effectu demonstratur caussa, & ex caussâ effectus. Nam ex miraculis demonstratur Ecclesia non quoad euidentiam, vel certitudinem rei, sed quoad euidentiam & certitudinem credibilitatis. Cuius rei ratio est, quia ante approbationem Ecclesiæ, non est euidens, aut certum certitudine fidei, de vllo miraculo, quòd sit*

sit verum miraculum: tamen est tale, vt euidenter faciat rem credibilem. Et quidem quòd non sit euidens, patet, quia tunc fides esset euidēs. Quòd non sit certum certitudine fidei, patet: quia non constat eâ certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non posse esse elusionē dæmonis. At ex Ecclesiâ demonstratur miraculum quoad certitudinem rei: quia quando Ecclesia declarat miraculum factum, esse verum miraculum, certi sumus ita esse.

Decimò, Contradicit sibi Meisnerus pag. 209. cùm fatetur, *inde etiam patuisse diuinitatem in miraculis Christi, quòd ea nemo posset imitari.* Pag. verò 206. scribit, *pro summo miraculo à nobis haberi sanationem cæcorum & claudorum; quam vtramque præstitam, nihilominùs profert ex Tacito à Cæsare Vespasiano.* Nam quomodo igitur Christi miracula, curandis cæcis & claudis perpetrata, nemo potuit alius imitari? Contradicit sibi iterùm pag. 231. cùm ita stolidissimè argumentatur: *Chrysostomi tempore miracula non ampliùs erant frequentia, ergo tum temporis desiit gratia miraculorum.* Erat enim inferendum: Ergo tum temporis etiam durabat gratia miraculorum. Neque enim gratia miraculorum consistit in eorum frequentiâ aut crebrâ patratione, cùm gratia sit, fecisse vel vnicum miraculum. Quamquam & hoc impudens mendacium est, infrequentia fuisse miracula sæculo Chrysostomi: cùm eo ipso tempore plurima fuisse edita in Africâ apud Stephani Protomartyris Reliquias, conscripserit Augustinus; in Galliâ à S. Martino perpetrata, Sulpitius.

tollit confessionis Sacramentum vnà cum contritione & ceteris adminiculis, & simul docet solam fidem sufficere ad salutem, nec vllum peccatum ei imputari, qui habet fidem specialem, etiamsi millies vno die fornicetur; ad hæc, peccata omnia à Deo esse decreta, hominemque ad ea perpetranda certâ necessitate impelli. Igitur Religio Lutherana suapte naturâ laxat habenas ad omnes libidines & flagitia.

Maior propositio probata est Lessio, nec ab aduersariis improbata.

Minor quoad singulas partes à me vindicata est in defensione Considerationis secundæ, & alibi vindicabitur Libro 3.

Consequentia bona est. Nihil igitur in hac demonstratione desideratur.

Secundò, Non modò id dixit & demonstrauit Lessius, sed & Erasmus (cuius auctoritate in laudando Luthero Meisnerus est vsus) morum corruptelam ex ipsâ oriri Religione Lutheranâ, scripsit epist. ad Vultur. Neoconum. *Circumspice,* inquit, *populum istum Euangelicum,* &c. *Profer mihi vnum quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum? Ego multos tibi ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.*

Quinta responsio vtriusque ad Minorem.

Meisnerus pag. 200. *Quòd Religio Lutherana habuerit viros sanctitate conspicuos, proterue negat Iesuita. Sed cõtrà facilè probare possumus. Nam quod attinet primos fidei nostræ Doctores, fuere illi sancti Prophetæ, & Apostoli, imò fidei nostræ testimonium per-*

perhibet Christus Iesus Sanctus Sanctorum. Sæculo secundo habuimus Polycarpum, Ignatium, Irenæum, Iustinum, Clementem Alexandrinum. Sæculo tertio Tertullianum, Cyprianum, Origenem. Sæculo quarto, Athanasium, Basilium Magnum, Gregorium Nyssenum, Gregorium Nazianzenum. Quinto, Augustinum, Chrysostomum, Cyrillum, Theodoretum. Sæculo sexto Fulgentium, Cassiodorum, Gregorium Magnum. Et sic deinceps per omnia sæcula, donec tandem sæculo decimoquinto excitauit Deus Megalandrum nostrum Lutherum.

Brandius pag. 45. *Pergit Lessius vrgere, & aliis Religionibus exprobrare, quòd nulli in ijs extiterunt viri eximiæ sanctitatis,* &c. *quin imò quòd earum auctores primi maximis vitiis fuere obnoxij. Itáne verò? Lessius etiam mortuos insectatur? habent profectò Protestantes etiam suos Martyres, præter veteres illos Apostolos & Martyres.*

Refutatio.

Primò, Quis non rideat vertiginem Meisneri & Brandij, adferentium viros Sanctos mille quingentis annis suâ Religione anteriores, quasi Religionis suæ fœtus? Nam vbi terrarum aut gentium, quæso, ante Lutherum & Caluinum extiterunt Religio Lutherana & Caluiniana, iam priùs natæ, & omnibus antè superioribus sæculis inauditæ?

Secundò, Quis non instar monstri habeat, Christum, Apostolos, sanctos omnes Patres fuisse Lutheranos, & item Caluinistas?

Tertiò, Si Patres omnes fuerunt & Caluinistæ, & Lutherani, quomodo ita proiectè & con-

tumeliosè de iis eorumque doctrinâ locuti sunt Lutherus & Caluinus, eamque fassi sunt toties suæ doctrinæ aduersari?

Testimonia Lutheri, Caluini, Lutheranorum & Caluinistarum de sanctis Patribus, quos Meisnerus ait fuisse Lutheranos, Brandius Caluinistas.

SECVNDI SÆCVLI PATRES.

De sancto Ignatio Caluinus lib. 1. Institut. cap. 14. §. 44. *Ignatium quòd obtendunt, si velint quidquam habere momenti, probent Epistolas legem tulisse de Quadragesimâ, & similibus corruptelis: nihil næniis illis,* &c. *putidius.*

De sancto Irenæo Magdeburg. Cent. 2. cap. 10. *Opiniones incommodas seu stipulas quasdam nõ exiguas eum habuisse ex scriptis cerni potest: liberum arbitrium etiam in spiritualibus admittit.* Quomodo igitur potuit fuisse Caluinista aut Lutheranus?

De eodem Adam Scultetus Numbergensis lib. 3. cap. 6. *Verissimè ab Eusebio dictum est, Ecclesiam post tempora Apostolorum non diu fuisse virginem. Testem huius rei vel Irenæum nominare possumus, qui fundamento doctrinæ Apostolorum tot stipulas superstruxit.* Magnus igitur Ecclesię Lutheranæ Sanctus est Irenæus, qui Ecclesiam suam deuirginauit adulteratâ doctrinâ.

De sancto Iustino ibidem Scultetus lib. 1. c. 17. *Næuorum in Iustino agnosco caussam triplicem; quarum prima Plato, altera Iudæi, tertia sinistra Doctorum interpretatio. In Platonis scholâ nata est ei de* αὐτεξουσίῳ *siue libertate voluntatis humanæ opinio.*

De

De Clemente Alexandrino Magdeburgenſes Cent. 3. c. 1. in Protreptico: *Corruptionem naturæ adeò ignorauit, vt nuſquam non liberum arbitrium aſſerat, & viribus hominum nimiùm tribuat.*

De eodem Heſhuſius lib. De ſeruo arbitrio: *Clemens Alexandrinus vſque adeò in doctrinâ Christianâ rudis fuit, vt neque doctrinam de Peccato originis, neque promiſſionem Euangelij intellexerit.*

TERTII SÆCVLI PATRES.

De Tertulliano Lutherus in Conuiuialibus colloquiis: *Tertullianus inter Eccleſiæ Doctores merus eſt Carlſtadius.* Carlſtadium autem Lutherus vocabat *diabolum incarnatum.* Sunt igitur diaboli incarnati, Lutheranorum Sancti. Adam Scultetus lib. 7. cap. 42. *Tertullianus liberum arbitrium poſt lapſum ita euehit, vt Pelagius ipſe vix auſus fuerit pari libertate de eo pronuntiare. Immodicus fuit in martyrij laude, quaſi eo homines veniam mereantur: operum merita nimis extollit, caſtitatis imprimis & pudicitiæ: defendit ſuperſtitioſa ieiunia, &c.*

De Cypriano Lutherus in Conuiuial. *Cyprianus martyr infirmus eſt Theologus.* Melãchthon lib. De Eccleſiâ: *Cyprianus vrget pœnas Canonicas quarum tunc vſus erat, & confirmat opiniones, quòd ſint neceſſariæ, & quòd propter eas remittantur peccata. Tamen illi errores non ſunt leues, ſed admodum denſæ ſtipulæ obſcurantes puram doctrinam de beneficiis Chriſti.* Scultetus lib. 8. cap. 24. *Cyprianus doctrinam de Iuſtificatione fidei cum iuſtitiâ operum confundit. Iuſtitiam operum manifeſtè vrget. Satisfactionibus remiſſionem peccatorum tribuit. Cærimonias Montaniſticas, vt conſecrationem & vnctionem à Ter-*

Tertulliano acceptas retinet. Quî poteſt ergo Cyprianus Lutheranus fuiſſe aut Caluiniſta?

De Origene Lutherus in Conuiuialib. *Origenem iam dudum diris deuoui.* Idem epiſt. ad Philippum: *Dico, Origenis Commentaria meras eſſe nugas & ineptias, ſi tuis Annotationibus cōparentur.* Beza in c. 3. Epiſt. ad Rom. *Certò hoc auſim dicere, Origenem hominem fuiſſe ſelectum organum diaboli, Apoſtolicæ doctrinæ prorſus euertendæ natum.* Idem Præfatione in nouum Teſtament. *Origenes homo omnium, qui vmquam de rebus ſacris ſcripſerunt, impuriſſimus.* Sunt igitur diaboli organa, Caluiniſtarum Sancti & Patres.

QVARTI SÆCVLI PATRES.

De ſancto Baſilio Lutherus in Cōuiuial. *Baſilius nihil valet: totus eſt monachus, ne pilo quidem illum redimerem.* Hunc igitur Sanctum Meiſnerus bono admodum pretio ſibi emere potuit, auctionem habente Luthero. Melanchthon lib. De Eccleſiâ: *Baſilius addit monaſticen tamquam ſtipulas.* Mirum ergo quâ fronte eum faciant Lutheranum aut Caluiniſtam.

De ſancto Epiphanio Magdeburgēſes Cent. 5. c. 5. *Eſt vbique ferè nimiū propenſus in admirationem continentiæ ſacerdotalis. Sumpſit ſibi in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ licentiam ſatis audacem in Theophili (qui Ioanni inimiciſſimus erat) gratiam, vt quòd Diaconum ordinauit præter Canones.*

De ſancto Hilario Magdeburgēſes Cent. 4. c. 10. *Nullam de Spiritu ſancto protulit religioſam ſententiam, &c. nuſquam ei Dei vocabulum tribuit, nec de libero arbitrio ſatis cautè loquitur.*

De

De sancto Ambrosio Madeburgenses Cent. 4. cap. 4. *Ambrosius lib. De viduis, permulta crassa habet de inuocandis mortuis.*

De sancto Hieronymo Lutherus cap. De Scholiast. Theolog. in Conuiuial. *Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, nam fuit hæreticus.* Facit ergo Meisnerus Sanctum, quem Lutherus hæreticum. Idem ad cap. 22. Genes. *Quin te Hieronyme conculcamus cum tuâ Bethleem, cucullâ, & deserto?* Si putasset Lutherus Hieronymum Lutheranũ esse, non ita cum eo contumeliosè egisset.

QVINTI SÆCVLI PATRES.

De sancto Augustino Lutherus contra Regem Angliæ: *Quis est Augustinus? quis nos coget ei credere?* Theodoricus Schnepfius lib. De Eucharistiâ: *Manifestum est, D. Augustinum haud leuium errorum semina vel iecisse, vel ab alijs sparsa auxisse & confirmasse.*

De sancto Chrysostomo Lutherus in Cõuiuial. *Chrysostomum nullo loco habeo, non est nisi loquaculus.* Magdeburgenses Cent. 5. cap. 5. *Chrysostomus bonorum operum est encomiastes, qui & synergiam voluntatis passim defendit, & liberi arbitrij patronum agit.*

SEXTI SÆCVLI PATRES.

De sancto Gregorio Lutherus in Colloq. German. fol. 449. *Gregorij conciones ne teruncium quidem valent, diabolus enim eum in suo Dialogo crassè decepit.* Melanchthon in cap. 14. Epistolæ ad Romanos: *Gregorius ethnico more statuas ornauit, magna impietatis confirmauit initia; lapsus denique est*

in

in manifeſtam impietatem & tyrannidem.

Atque hi omnes nominatim ij ipſi ſunt, quos Brandius & Meiſnerus aiunt fuiſſe Caluiniſtas & Lutheranos, ſanctos Religionis ſuæ anteſignanos, de quibus Lutherus & Lutherani, ac Caluiniſtæ (qui eos debebant nouiſſe meliùs Brandio & Meiſnero) tam inhoneſta teſtimonia dixerunt. Denique velim ex Brandio ſciſcitari, ecqui ſint illi alij Caluiniſtarum martyres Sancti, quos extra veteres illos ſe habere iactat? Eorum adhuc nomina requiro, vt ea in ſacros Faſtos aut Martyrologium referam: niſi fortè ſufficiat Brandio, quòd eorum plurimi ſint inter Caluiniſtarum flores relati.

Quales porrò illi Sancti Lutheranæ Religionis eſſe debeant, adſcribam ad poſteritatis memoriam ipſis Lutheri verbis Tom. 4. German. Wittenb. Comment. in Ioan. cap. 17. *Nos ita dicimus, quòd veri & germani Sancti debeant eſſe fortibus & atrocibus peccatis obnoxij, ac tales etiam manere; quos non pudeat orare: Dimitte nobis debita noſtra.* O Sancti Sanctorum!

Quarta Leſſij Conſideratio, ex miraculis cultorum.

ILLA *Religio, in quâ plurima miracula omnibus ſæculis edita, eſt præferenda alijs, quæ miraculis ſunt deſtitutæ. At ſola Religio Catholica miraculorũ gloriâ fulget, ceteræ miraculis ſunt deſtitutæ. Sola ergo Catholica eſt vera Religio, ceteris omnibus præferenda.*

Reſponſio vtriuſque ad Maiorem.

Meiſnerus pag. 211. *Si Leſſius intelligat antiqua miracula Christi, Apoſtolorum, & primitiuæ Eccleſiæ, con-*

concedi potest propositio. Quod si verò simul requirat miracula noua, & subintelligat signa Papalia, negamus Maiorem. Pag. 201. *Quia cùm primùm propaganda esset inter Gentiles Fides, Christus miraculorum dono ornabat ministros suos, quò ita Pagani fortiùs conuincerentur. Quòd autem post fidem propagatam, nullibi legimus; imò contrariũ extat, fore nempe miracula notam Antichristi: Mat.* 24. Pag. 205. *Notandum enim Primò est, miracula non esse perpetuos veræ doctrinæ comites. Secundò, miracula etiam falsis Doctoribus esse communia: ita Exod. 7. magi. Donatistæ itèm miraculis non carebant. Imò & Gentiles nonnulla portenta ediderunt.* Pag. 207. *Vnde Bellarm. ipse lib. 1. De Gratiâ c. 10. fatetur, posse donum miraculorũ separari à verâ fide.* Pag. 23. *Quod attinet ad dictum Ioan. 14. vers. 12. quo Lessius insinuari putat, semper in Ecclesiâ gratiam miraculorum futuram, in eo fallit & fallitur. Non enim ex textu probari potest, Christum vniuersaliter loqui, & omne tempus complecti; aliàs omnis credens, & quidem perpetuò miraculorũ dono præditus esset, quia dicit, Omnis qui credit, opera quæ ego facio, faciet. Illud autem cùm non fiat, propterea nos restringimus dictum illud ad tempora primitiuæ Ecclesiæ; quibus elapsis, cessauit donum miraculorum. Nam Chrysostomi tempore miracula non ampliùs erant frequentia: ergo tum temporis desijt gratia miraculorum, quam sub finem mundi Deum denuò esse multis concessurum, nullo firmo Scripturæ testimonio probari potest.*

Brandius pag. 46. *Ad Maiorem respondeo, Illam non esse omnino veram. Quòd verò ait Lessius, miracula esse sigilla quædam & testimonia diuina, quibus Religio comprobatur, nego de omnibus esse verum.*

Chri-

Christus enim præmonet, futurum, vt pseudo-Christi & Antichristus edant signa magna & prodigia.

Refutatio.

Primò, Lessij Maior intelligenda est de omnibus miraculis, *etiam recentioribus, in Ecclesiâ patratis.* Constat nihilominùs argumentum, si vel de Apostolorum miraculis capiatur.

Secundò, Mendacium est, nusquam legi, factam esse promissionem miraculorum edendorum post fidem iam propagatam. Locus est Marci 16. vbi dicitur expressè non solùm de Apostolis, sed indefinitè de quibuscumque fidelibus: *Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur.* quibus verbis promittuntur noua miracula, tamquam *indiuidui comites fidei, etiam post fidei propagationem factam in cordibus credentium.* Ad eam porrò propagandam magis, locus est Ioannis 14. vbi simpliciter promittit Christus potestatem miraculorum credentibus, perpetuò post factam primam fidei propagationem. *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Quo loco Meisnerus falsò dicit haberi, *Omnis qui credit*: vt probet nempe, quemadmodum hoc sine restrictione verum esse non posset, ita nec sine restrictione verum esse posse de omni tempore Ecclesiæ duraturæ: quod tamen manifestè Christus promittit, nullâ factâ illius temporis restrictione. Cùm enim de omnibus credentibus non esse verum id promissum videamus, rèliquum certè est, vt saltem perpetuò sint nonnulli in Ecclesiâ, qui eiusmodi vim miraculorum repræsentent.

Probatur autem, tam necessaria esse miracula sub-

subinde etiam his temporibus, atque illis primis, hoc Argumento: *Primis illis temporibus necessaria fuere miracula tantùm, quia Christi doctrina* (quæ res multas supra naturam credendas proponit) *erat inaudita & noua* (non enim volebat Deus quemquam cogi ad credendas res naturaliter incredibiles, nisi per signa supernaturalia.) *Atqui his temporibus, subinde nouis quibusdam aut barbaris Gentibus Christi doctrina deprehenditur inaudita esse & noua. Ergo subinde his temporibus tam sunt necessaria illa miracula, atque illis priscis.* Atque hoc ipsum disertè scripsit Melanchthon in cap. 3. Matth. his verbis: *Posteà sæpè, quando mundus fuit ferè oblitus promissionem & doctrinam Euangelij, tunc vocauit nouos Doctores: sic quando iam tenebræ erant, Deus vocauit Ioannem. & semper Deus addit miracula, vt certò sciamus à Deo missos.* Et Lutherus De seruo arbitrio: *Deus sua dogmata miraculis confirmare solet, nullo respectu carnalis sæculi.*

Tertius locus est Apocalypsis 11. vbi promittitur Ecclesiæ etiam sub tempus Antichristi potestas miraculorum; vt videas pinguissimum Meisneri mendacium, asserentis, nullo firmo Scripturæ testimonio probari posse, sub finem mundi fore in Ecclesiâ gratiam miraculorum: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta. Si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum. Et si quis voluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plagâ quotiescumque voluerint.*

Tertiò, Mendacium est, testimonio Scripturæ

moderna miracula reputari pro miraculis Antichristi: similia, eaque eadem, patrari posse etiam ab impiis & falsis Doctoribus; patrata à Donatistis, ab Ethnicis. Refutat hæc fortissimè Bellarminus lib. 4. De Ecclesiæ notis cap. 14.

Quartò, Impudentissimum mendacium est, vspiam à Bellarmino dici, *donum miraculorum posse separari à verâ fide.* Loco enim citato lib. 1. De gratiâ cap. 10. Bellarminus tantùm dicit, *illud donum separari posse à gratiâ gratum faciente; quæ non est fides, sed quam constat esse charitatem,* inquit, *vel charitatis comitem indiuiduam.* Vnde etiam rectè & infallibiliter sequitur, quod sequi Meisnerus negat: Hic Doctor miraculum diuinum edit, ergo vel hic Doctor verus est, & à Deo missus; vel verum est id cuius confirmandi gratiâ miraculum factum est, quia miraculum est velut sigillum & auctoritas Dei.

Quintò, Ridicula valdè est ratio, ob quam Brandius negat Lessij Maiorem: neque enim Lessius aut alius quispiam dicit, à miraculis pendere veritatem fidei seu probitatem; sed tantùm τὸ ἀξιόπιστον respectu nostri, vt à signis nempe & sigillis: adeoque scribit expresse Bellarminus lib. 4. De signis Ecclesiæ, cap. 14. *Ecclesiam ex miraculis demonstrari non quoad euidentiam vel certitudinem rei, sed quoad euidentiam & certitudinem credibilitatis.*

Sextò, Malè probant Meisnerus & Brandius ex Antichristi miraculis, non omnia miracula posse esse veræ fidei sigilla: quia illa Antichristi portenta demonstrarunt Bellarminus & Lessius non fore miracula, seu supra creaturæ omnis potestatem;

tem; sed vel præstigias tantùm, vel naturæ viribus possibiles insolentias.

Septimò, Mendacium est Meisneri dicentis, *de nostris item miraculis dici posse, quod dicit Augustinus de miraculis hæreticorũ & paganorum, ea nempe mirabilia tantùm esse, & non miracula, cùm inter ea pro summo habeamus sanationem cæcorum & claudorum.* Nam certè & mortuorum suscitationem nullo ferè non sæculo perpetratam inter miracula recensemus: quamquam vel cæci vnius curatio tam ardua sit, vt Medicorum omnium & dæmonum potestatem excedat. Sed illud de miraculis nostris dicit ipse August. lib. 10. De ciuitate Dei cap. 16. *Illa miracula deorum gentilium, quæ commendat Historia, quæ vi ac potestate eorum fieri satis euidenter apparet, vt est quòd effigies deorum Penatium, quos de Troiâ Æneas fugiens aduexit, de loco in locum migrasse referuntur: quòd cotem Tarquinius nouaculâ secuit: quòd Epidaurius serpens Æsculapio nauiganti Romam comes adhæsit: quòd nauim, quâ simulacrũ Matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominum boumque conatibus immobilẽ redditam, vna muliercula, zonâ alligatâ, ad suæ pudicitiæ testimonium mouit, & traxit: quòd virgo Vestalis, de cuius corruptione quæstio vertebatur, aquâ impleto cribro de Tiberi, neque perfluente, abstulit controuersiam. Hæc ergo atque alia eiusmodi nequaquam illis, quæ in populo Dei facta legimus, virtute & magnitudine conferenda sunt.* Et rursus lib. 29. Cõtra Faust. cap. 2. *Miracula Dei magica non sunt, quia singulariter facta sunt; sed verè facta sunt, verùmque ostenderunt, non oculos hominum fallacibus præstigiis illuserunt: quæ quidem Contra naturã plerumque appel-*

lantur, non quòd naturæ aduersentur, sed quòd naturæ modum, qui est nobis vsitatus, excedant.

Octauò, Mentitur Meisnerus pag. 207. cùm falsos Doctores subinde miraculorum edendorum potestate fuisse à Deo instructos, probat exemplo Balaam, & illâ auctoritate Deuteronomij cap. 13. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, non audies verba Prophetæ illius.* Neque enim Balaam legitur vspiam miraculum vllum edidisse, sed prophetasse tantùm; atque id quidem in confirmationem fidei nostræ. Neque etiam his Deuteronomij verbis aliud monemur, quàm cauere ab impiorũ prædictionibus, propheti is, & somniis, non à miraculis: planè vt somniasse videatur Meisnerus, & somnia donumque Prophetię confudisse cũ dono miraculorum.

Nonò, Mentitur pag. 208. cùm scribit, *Bellarminum fateri, constare non posse, quando simile planè prodigium ab hæretico editur, & simile à Catholico, (verbi gratiâ, ablatio cæcitatis) an hæreticus id fecerit, ope dæmonis, an Catholicus.* Verba Bellarmini (è quibus nonnulla dolo malo prætermisit Meisnerus) ista sunt lib. 4. De Ecclesiæ notis cap. 14. *Est autem obseruandum, rectè demonstrari ex miraculis Ecclesiam, & ex Ecclesiâ vicissim miracula, sed diuerso genere demonstrationis: quemadmodum rectè ex effectu demonstratur caussa, & ex caussâ effectus. Nam ex miraculis demonstratur Ecclesia non quoad euidentiam, vel certitudinem rei, sed quoad euidentiam & certitudinem credibilitatis. Cuius rei ratio est, quia ante approbationem Ecclesiæ, non est euidens, aut certum certitudine fidei, de vllo miraculo, quòd sit*

sit verum miraculum: tamen est tale, vt euidenter faciat rem credibilem. Et quidem quòd non sit euidens, patet, quia tunc fides esset euidẽs. Quòd non sit certum certitudine fidei, patet: quia non constat eâ certitudine, cui non possit subesse falsum, illam non posse esse elusionẽ dæmonis. At ex Ecclesiâ demonstratur miraculum quoad certitudinem rei: quia quando Ecclesia declarat miraculum factum, esse verum miraculum, certi sumus ita esse.

Decimò, Contradicit sibi Meisnerus pag. 209. cùm fatetur, *inde etiam patuisse diuinitatem in miraculis Christi, quòd ea nemo posset imitari.* Pag. verò 206. scribit, *pro summo miraculo à nobis haberi sanationem cæcorum & claudorum; quam vtramque præstitam, nihilominùs profert ex Tacito à Cæsare Vespasiano.* Nam quomodo igitur Christi miracula, curandis cæcis & claudis perpetrata, nemo potuit alius imitari? Contradicit sibi iterùm pag. 231. cùm ita stolidissimè argumentatur: *Chrysostomi tempore miracula non ampliùs erant frequentia, ergo tum temporis desiit gratia miraculorum.* Erat enim inferendum: Ergo tum temporis etiam durabat gratia miraculorum. Neque enim gratia miraculorum consistit in eorum frequentiâ aut crebrâ patratione, cùm gratia sit, fecisse vel vnicum miraculum. Quamquam & hoc impudens mendacium est, infrequentia fuisse miracula sæculo Chrysostomi: cùm eo ipso tempore plurima fuisse edita in Africâ apud Stephani Protomartyris Reliquias, conscripserit Augustinus; in Galliâ à S. Martino perpetrata, Sulpitius.

Responsio vtriusque ad primam partem Minoris, quæ erat, Sed Catholica Religio miraculorum gloriâ fulget.

Meisnerus pag. 212. *Negatiuam firmiter hac ratione demonstrare possumus: Quæcumque Religio falsa & Euangelio Christi è diametro opposita est, illa miraculis verè diuinis fulgere nequit. Atqui Religio Papistica est falsa & Euangelio Christi è diametro opposita. Ergo*, &c.

Brandius pag. 47. *Minorem negamus, quoniam & Apostoli in Religione suâ, qui Papistis aduersarij sunt, fecerunt miracula, & Protestantes in illis sua miracula habent.*

Refutatio.

Lessius pag. 43. *Manifestum est sophisma quod vocatur Petitio principij. Sumitur enim vt certum & indubitatum, Religionem Catholicam esse falsam, & Apostolicæ Religioni contrariam; id quod erat probandum.*

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 212. *Iesuita excipit, peti in Minore principium, & inuerti ordinem.* Pag. 213. *Sed ipsemet inuertit ordinem, dum ex miraculis Religionem probari consulit, cùm contrà de miraculis ex Religione indicandum sit*, &c. *Antè enim probatum fuit, quòd miracula diabolica à diuinis discerni nequeant, nisi iuxta doctrinam æstimentur.*

Brandius pag. 54. *Vult Lessius peti principium, cùm dicimus, Papisticam Religionem esse falsam*, &c. *at hoc est petere principium, ex miraculis velle doctrinæ probitatem ostendere: quod suprà audiuimus quàm sit vanum.*

Refu-

Refutatio.

Primò, Rectè obiectam à Lessio aduersariis esse principij petitionem, confirmo hoc Argumento: *Omnis ille committit principij petitionem, qui sumit tamquã probatum in Argumento id quod per Argumentum erat probandum. Sed Brandius & Meisnerus sumpserunt tamquam probatum in Argumento, id quod erat probandum per Argumentum (nempe Papisticam Religionem esse falsam.) Igitur Brandius & Meisnerus commiserunt petitionem principij.*

Huic nodo deinceps cuneus adhibendus erit Brandio & Meisnero, & respondendum pressè ac philosophicè ad singulas propositiones.

Secundò, Certum est, à Lessio non esse commissam petitionem principij: quia status quæstionis, quæ toto eius Libello probanda proponitur, est hic: *An Religio nostra Catholica & Romana sit sola vera Religio?* Hanc verò quæstionem non sumit vt probatam, sed singulis Considerationibus de nouo vt probandam confirmat; hac autem præsenti Consideratione probat per infallibilia *miraculorum signa.*

Tertiò, Si Lessius petit principium, probando Ecclesiam per miracula; igitur & Brandius & Meisnerus quoque principium petunt, probando Ecclesiam suam per Apostolorum miracula, quæ dicunt esse sua. Nam neque his miraculis æstimanda est Religio Christiana, sed miracula ex Religione, vt ipsi volunt. Non enim magis iudicari potest, sintne nostra miracula recentiora à diabolo an à Deo, quàm vetera illa Apostolorum.

Quartò, Si Lessius principium petit, igitur &

omnes ſancti Patres principium petierunt, cùm nemo eorum ſit qui de ſignis Eccleſiæ tractans, eam per miracula ſui etiam temporis non probarit. Nam quod ſanctus Auguſtinus dicit alibi, *non ideò manifeſtari Eccleſiam, quia fiant in eâ miracula:* ex hypotheſi dicit, diſputans contra Donatiſtas, qui miracula negabant. Poſito enim quòd quis miracula reiiciat, non eſt apud eum probanda ex miraculis: neque S. Auguſtinus ritè probaret Eccleſiam ex miraculis apud Donatiſtas, qui nulla eſſe miracula credebant. Sed Libro contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. & 5. diſputans cum Manichæis, qui negabant Scripturas, dicit *Eccleſiam demonſtrari ex miraculis, non autem ex Scripturis*, vt acutè obſeruauit Bellarm. lib. 4. De notis Eccleſiæ cap. 14. Vnde patet, ab Auguſtino probationem per miracula non eſſe reiectam, niſi apud eos qui miracula non admittunt; apud alios verò vſurpatam.

Quintò denique, Si Leſſius principium petit probando fidem per miracula, igitur & Chriſtus, æterna Dei Sapientia, principium petiit, miraculorum prodigiis Eccleſiam & fidem ſuam approbando.

Confirmatio Minoris propoſitionis quoad primam partem.

Eccleſię Catholicę neque vana neque diabolica eſſe miracula, probat Leſſius decem argumentis.

Primò, *Quia id eſt contra iudicium totius orbis & tot ſæculorum.*

Secundò, *Quia miracula pleraque à grauiſſimis Auctoribus conſcripta ſunt.*

Ter-

Tertiò, *Quia plurima ex ijs, publicis Magistratuum testimoniis sunt confirmata.*

Quartò, *Si conficta fuissent, fraus ea fuisset haud dubiè deprehensa.*

Quintò, *Quia dicere esse conficta, est tollere omnem fidem Historiarum.*

Sextò, *Non poßunt dici diabolica, quia à sanctißimis viris edita.*

Septimò, *Superant vim diaboli, non ergo diabolica esse poßunt.*

Octauò, *Diabolica prodigia, vtpote præstigiæ, plerumque parum durant.*

Nonò, *Diabolica communiter inutilia sunt, sapè etiam noxia.*

Decimò, *Si diabolica sunt, cur à diabolo non fiunt similia in alijs Religionibus?*

Responsiones Meisneri & Brandij ad singula Confirmationis argumenta.

Ad Primum nec Meisnerus nec Brandius respondent. Fatentur igitur se negare veritatem miraculorum, contra iudicium totius orbis, & tot sæculorum, quod erat primum Argumentum.

Responsio vtriusque ad secundum, Miracula pleraque à grauißimis Auctoribus scripta.

Meisnerus pag. 218. *Primò, De miraculis antiquis non dubitamus. Secundò, Recentiora quædam, vt Dominici, Francisci, Xauerij, non dicimus omnia esse conficta; sed vel apparenter tantùm contigerunt, vel ope diaboli certè contigerunt. Tertiò, Miracula ac Legendæ carent Auctoribus certis.*

Brandius pag. 50. *Fuerúntne tam Sancti docti, &*

auctoritate illustres, qui conscripsere Legēdas illas Papistarum, quas vocant Aureas, & Francisci conformitates? Sed fuerint quoque docti Sancti, & auctoritate illustres; an illi ab aliis non potuere decipi?

Refutatio.

Primò, Si antiqua miracula (vt fatetur Meisnerus) vera sunt, sequitur quoque, verā esse nostram Ecclesiam, cui illa competere iam probatum est.

Secundò, Si noua miracula non quidem à Scriptoribus conficta, sed vel à dæmone edita sunt, vel apparenter tantùm facta; sequitur, grauissimos tot Scriptores turpissimè fuisse delusos, si id ignorarint; vel mentitos, si sciuerint.

Tertiò, Id quod Meisnerus & Brandius de Auctoribus Legendarum opponunt, arguit eos declinare vim Lessiani Argumenti, cùm Lessius nec Legendam vllam, neque testem aliquem similem laudauerit. Faciamus enim ita esse, vt fabulæ nonnullæ irrepserint in Legendas aureas; quid hoc facit contra auctoritatem Nysseni, Basilij, Athanasij, Hieronymi, Sulpitij, Gregorij Magni, Bernardi, Bonauenturæ, quos solos miraculorum suorum Scriptores Lessius nominauit? Et quasi verò non essent memoriæ cōmendata vlla recentiora miracula, nisi ab ignoto aliquo Auctore Legendarum!

Quartò, Demus quod Brandius dicit pag. 50. *ab ipsis Papistis suspectæ veritatis haberi Nicephorum, Zonaram, Gregoram, Antoninum*; quid hoc contra miracula ab aliis bonæ fidei Auctoribus scripta? quid hoc contra Lessium, qui illorum Auctorum neminem citauit? An non est hoc de boue ad asinum saltare?

Respon-

Responsio vtriusque ad tertium, Miracula pleraque Magistratuum auctoritatibus munita.

Meisnerus pag. 219. *Statuimus igitur, quædam verè facta, & fieri ab hominibus visa: non tamen hinc inferendum, fuisse diuina.*

Brandius pag. 51. *Neque iuuat Lessium, quòd ait, plurima ex illis, Episcoporum, Magistratuum testimoniis publicis, & præuiâ cognitione esse confirmata: quid si enim à Mirabiliariis illis fuerunt decepti, vt Babyloniæ Rex & Satrapæ à Beli sacerdotibus, aut arte diabolicâ delusi?*

Refutatio.

Primò, Stupidè admodum respondet Meisnerus, non rectè à Lessio colligi ex Magistratuum auctoritatibus, miracula esse diuina. Non enim id facit Lessius; sed tantùm probat ex eo, miracula non posse dici conficta, id quod rectè probat.

Secundò, Ridiculè ratiocinatur Brandius, Magistratus omnes posse esse deceptos, sicut fuere delusi Babylonij à sacerdotibus Beli. Nam prætérquam quòd hoc sit omnes Magistratus pinguissimæ cuiusdam hebetudinis arguere, sibi verò soli tamquam Deo alteri omnem perspicacitatem arrogare, potiùs sequitur pro re nostrâ ex Beli Historiâ, si miracula essent hypocriticæ quædam laruæ (vt erant illæ Beli sycophantiæ) illorum quoque fraudes aliquando, vt harum sycophantiarum fucos, in apertum fuisse erupturas.

Tertiò, Caluinus Præfat. Instit. de diabolicis miraculis tantùm dicit ea huiusmodi esse, *quæ simpliciores & rudes possint fallere.* Quomodo ab homi-

hominibus confictæ fabulæ tot doctissimos Episcopos, tot sagacissimos Magistratus deluserint ita diu? Quomodo qui multis annis cæci, claudi, mutili fuerant, quorumque vitium orbi toti perspectum erat, vel fingere vitium suũ ita diu potuere, vel vitij veri simulatam dissimulare curationem?

Responsio Meisneri ad quartum, Quòd fraus fuisset aliquando detecta.

Meisnerus pag. 218. *Primò, Maxima pars miraculorũ dicitur contigisse in Monasterijs. Secundò, Veteres Legendas nemo fuit ausus vanitatis conuincere, quia ante multos annos miracula facta fingebantur. Tertiò, Multa noctu accidiße referuntur, vbi spectatores erant nulli. Non igitur mirum est neminem contradixisse.*

Refutatio.

Primò, Quæcumque Lessius miracula laudauit, facta sunt extra Monasteria inter vulgus. imò plurima, inquit pag. 43. *publicè in multorum præsentiâ sunt gesta,* &c. *quæ ab omnibus cerni oculis, & manibus palpari possunt.*

Secundò, Plurima miracula conscripta sunt vel ab ocularis testibus, vel certè eo tempore, quo ab ocularis testibus mendaciorum potuissent argui Scriptores qui ea memoriæ mandarunt, si fabulas aspersissent.

Tertiò, Æquè stolida est tertia Meisneri responsio, atque illa Iudæorum vigilum querela, qui (quod non viderant) Christum, se dormientibus, ab aliis è sepulcro sublatum testabantur. Cedò enim, Meisnere, si nocte & sine teste contigerunt mira-

miracula Catholicorum, quî tu testari potes, nocturna scilicet felis, ea nocte contigisse, aut non contigisse?

Quartò, Si eâ re nihil mirum est neminem contradixisse miraculis, quia pleraque referantur nocte perpetrata, vt tu ipse dicis; valdè igitur mirum est, te solum iam contradicere ob eam ipsam caussam, ob quam nihil omnino mirum fuit neminem contradixisse.

Quintò, Imò sanè valdè mirum est, neminem omnino contradixisse miraculis, vel ob eam solam caussam, si omnia referrētur noctu contigisse, sine teste. Quis enim credat, neminem inter homines futurum fuisse, cui hæc sola caussa rem non faceret suspectam? Tam id esset mirum, quàm si solus Meisnerus in hac re Argus fuisset, ceteri omnes Polyphemi.

Responsio vtriusque ad quintum, Negando miracula, tolli omnem Historiarum fidem.

Meisnerus pag. 219. *Historiarum verarum fidem non euertimus: noua autem signa Monachorum & Sanctorum Papalium magnam partem fabulosa esse, & ante nos fassi sunt ingenui Papistæ.*

Quod postremū dicit etiam Brandius pag. 50. citans Melchiorem Canum, Bodinum, & Espensæum Episcopum.

Refutatio.

Primò, Quamquam Lessius vetera plurima miracula protulit, tamen hoc ipsum est omnem Historiarum fidem eleuare, negare, vera esse recentiora omnia ab annis sexcentis aut quingentis, eâ

solùm

ſolùm re, quia à Catholico aliquo ſunt ſcripta.

Secundò, Non vnum Papiſtam Scriptorem inuenient Meiſnerus aut Brandius, qui vel de vnius teſtis à Leſſio laudati fide integritateque dubitarit. Quid igitur ad rem faciunt allata verba Ludouici Viues, Melchioris Cani, & Claudij Eſpenſæi, reprehendentium Auctores Legendę aureæ, & Speculi exemplorum? an hos Auctores citauit Leſſius? an ex his miraculum vllum commemorauit? an his ſolis prodita ſunt miracula, quibus Catholici gloriantur?

Tertiò, Illorum ipſorum Ludouici Viues, Cani, & Eſpenſæi auctoritas potiùs adiuuat rem noſtram. Nam ſi hi ita fuêre ingenui, vt etiam ea quæ potuiſſent Religioni ſuæ patrocinari, reiecerint, quia minùs certa & comperta: quis dubitat, quin cetera vera ſint, quæ à viris tam ingenuis ſunt probata?

Quartò, Bodinus à Brandio, Eraſmus & Stumpfius & Sleidanus à Meiſnero citati, ſúntne, vt aiunt, ingenui Papiſtæ, an ingenui hęretici? Et cur, oro, volunt apud nos vllam eſſe fidem illorum, cùm nullam apud ſe velint fidem eſſe Surij, Bolſeci, Staphyli, Cochlæi? Inquit Brandius pag. 55. *Quoniam malè bonos illos viros, Caluinum & Lutherum, oderant, quis non habeat eorum teſtimonium ſuſpectum?* Quaſi verò ſancti Patres omnes non etiam oderint hæreticos illos, quorum ipſi mendacia miracula literis commendarunt. Quis tamen eis abrogat fidem?

Quintò, Omnia illa miracula, quæ impoſturæ & fraudis comperta ſcribit ex Eraſmo, Stumpfio, & Sleidano Meiſnerus, tantum abeſt, vt cetera

omnia

omnia Catholicorum miracula faciant ambigua, & eiusdem secum leuitatis, vt potiùs efficiant, ea videri indubitatæ & exploratæ certitudinis. Nam hoc est quod semper quærimus, cùm vel in illis tam pauculis imposturis miraculorum fictorum (si modò eorum Narratoribus fides habenda est) fraus diu latere non potuerit, quin etiam à Catholicis deprehenderetur, & à Stumpfio, Erasmo, Sleidano vulgaretur; quomodo, si cetera pleraque conficta essent, in ijs nulla fraus saltem ab hæretico vllo esset obseruata?

Sextò, Dicere id contigisse, quòd cetera miracula in Monasteriis aut noctu ferantur perpetrata, vmbræ nocturnæ sunt: cùm & hæc miracula, quæ Meisnerus refert (de cancris seu nepis accensos cereos in tenebris trahentibus; de quatuor Bernensibus Monachis, Defunctorum animas se esse sub noctem fingentibus; de Bonifacio nocturnâ susurratione Cælestinum illudente) omnia aut in Monasteriis aut nocte sint facta, & tamen fraudis & imposturæ comperta esse fateatur. Quis credat, hæc tam pauca, & noctu, & in Monasteriis facta, potuisse fraudis comperiri; cetera omnia, tot & tanta, mero meridie, orbe spectante gesta, de fraude numquam potuisse notari?

Responsio vtriusque ad sextum, Non posse esse diabolica, quæ à viris tam sanctis & innocentibus facta sunt.

Meisnerus pag. 225. *Verum hoc est de antiquis miraculis Apostolorum, falsum verò de recentioribus signis Romanensium. Dominicus enim, Franciscus, & Xauerius, aliique similes, videbantur Sancti, sed non erant*

erant verè Sancti: non tamen dicimus omnes cum diabolo habuiße commercium, ſed potiùs ſæpè miracula patraſſe, vt ipſi non aliter exiſtimarint quàm diuinâ virtute perfici.

Brandius pag. 51. & 52. *Quòd Leßius vult omnia à viris ſanctiſſimis edita, alij id negabunt, ac confirmabunt, pleroſque eorum potiùs fuiße vanos ac ſuperſtitioſos.*

Refutatio.

Primò, Si antiquiores illi Sancti non ſpectant ad Papatum, ſed ad Lutheranos: ecqui igitur è recentioribus erunt illi, de quibus Lutherus epiſt. De Anabaptiſmo ad duos Parochos Tom. 2. German. Wittenbergenſ. fol. 229. & 230. *Ego dico, ſub Papatu eſſe verum Chriſtianiſmum, imò nucleum Chriſtianiſmi, & multos pios magnóſque Sanctos.* Qui, inquam, erunt illi *Magni ſancti*, ſi non *Dominicus, Franciſcus*, & ſimiles recentiores, quando antiqui nobis erepti ſunt?

Secundò, Quâ fronte Meiſnerus negat, Bernardum, Dominicum, Franciſcum Aſſiſiũ, fuiſſe verè Sanctos, poſtquam Lutherus ipſe eos viros ſanctos appellauit De captiuitate Babylonicâ c. 2. & lib. De Miſſâ abrog. ſub finem, & Philippus in Apolog. Confeſſ. Auguſt. Art. 5. & 27. Quis vmquam alius orbe toto negauit, Franciſcum & Dominicum viros eſſe verè Sanctos? Quis negabit, Xauerium nuper mortuum virum fuiſſe innocentiſſimum, ſi modò hanc illius comparationem cum Luthero legat apud Bellar. lib. 4. De Eccleſiæ notis cap. 14. *Lutherus deſerit monaſterium, ducit vxorem poſt votum continentiæ, bellum indicit*

Papæ: Franciscus ingreditur Religiosum Ordinem, seruat diligentißimè votum continentiæ, obligat se Papæ voto obedientiæ peculiari, & ab eo missus in extremas Indiæ oras proficiscitur. Certè isti contrariis itineribus incedunt, vt neceße sit alterutrum eorum aberrare à viâ. Quomodo autem potuit Deus apertius suam sententiam explicare, quàm vni tribuendo donum singulare miraculorum? Certè neque Brandius (etsi negauerit omnes Catholicorum Sanctos verè tales esse) vllum nominatim designauit, quando non poterat non etiam meminisse, *Bernardum* ab ipso Caluino Instit. cap. 10. & 17. vocatum fuisse *pium Scriptorem.*

Tertiò, Quàm illud ridiculum est, patrari à dæmone prodigia ad nutum quorumdã, qui nesciant tamen ea à dæmone perpetrari? Quàm stolidum, à dęmone miracula patrari in gratiam Xauerij, qui à dæmonis cultu ipsis illis miraculis Ethnicos auocabat? Tam parum salis & naris sit vaferrimo illi aucupi animarum? quis credat? Cur obsecro dæmon numquam vlli hæretico aut mago se probè cognoscenti, similem aliquam operam locauit, qualem tot nescientibus Papistis? Parum certè censet Meisnerus honestè de prudentiâ illius, quo Lutherus *Magistro se vsum esse, quocum se modium salis comedisse,* non semel est gloriatus.

Responsio vtriusque ad septimum, Quòd vera miracula superent dæmonis vim.

Meisnerus pag. 226. *concedit: Sed tamen opera illa,* inquit, *sic imitari potest diabolus, vt quoad externam speciem diuinis planè similia appareant, quemadmodum constat ex miraculis magorũ & hæreticorum*

Brandius pag. 52. *Hoc refutatur ab ipso Seruatore & Apostolo, quando docent, Antichristum & pseudo-Apostolos magna signa in omni potentiâ edituros.*

Refutatio.

Primò, Diaboli præstigiæ numquam ita veris miraculis similes sunt, quin semper aliquo ex vestigio internosci possint, vt notauit S. Augustinus lib. 10. De Ciuitate cap. 16. *Quædam verò dæmoniorum miracula*, inquit, *etsi nonnullis piorum factis videantur operâ coæquari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere.* Id quod patuit ex ipsis Ægyptiorum magorum veneficiis, *qui fecerunt*, vt Scriptura loquitur, *incantationibus suis, vt educerent sciniphes, sed numquam potuerunt*; Exod. 8. & quorum virgæ quidem versæ sunt in dracones, *sed deuorauit virga Aaron virgas eorum*, Exod. 7. Aliàs certè nemo prudenter credere posset etiam Christi miraculis aut Apostolorum; semper enim iustè vereretur posse subesse fucum.

Secundò, Differūt diabolica semper à veris, Materiâ, Formâ, & Fine, vt eruditè Bellarminus lib. 3. De Pontif. cap. 15. vnde nullo negotio internosci possunt. Fine, quia ad malum. Formâ, quia intra naturę vires. Materiâ, quia per sensuum illusiones: spectatque ad prouidentiam Dei, curare vt inter vera & ficta notabile intersit discrimen, ne animæ in Religionis summo negotio implanentur. Vnde Richardus de S. Victore lib. 10. De SS. Trinit. cap. 2. audet dicere: *Domine, si error est quod credimus, à te decepti sumus: ista enim in nobis ijs signis*

signis & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.

Tertiò, Si illud Pauli 2. ad Thessal. 2. *In omni virtute*, ita latè accipiendum est, vt æqualia velit Brandius esse ficta & vera miracula, in omni genere potentiæ; sequetur, Antichristum & diabolum æquè potentes esse ac Deum, adeoque eorum nulla signa fore mendacia; quod tamen ibidem Apostolus dicit.

Quartò, Quis vmquam tam hebes Philosophus aut Theologus fuit ac Brãdius, qui putauit, dęmonem aliquid supra naturæ vires posse; qualia esse fatentur omnes, visum restituere, momento temporis paralyticum curare, mortuum excitare. Certè numquam dæmon aut hæreticus vllus cæcum curauit, paralyticum sanauit, aut mortuum excitauit, quę inter Catholicorum miracula etiam vulgaria sunt. Summum hæreticorum miraculum esset, si vel claudum equum sanassent.

Responsio vtriusque ad octauum & nonum, Diabolicas præstigias vulgò breues esse & noxias.

Meisnerus pag. 227. *Multa proferri possunt diabolica signa, quæ satis diu durarunt; contrà verò, miracula Papistica non erant Ecclesiæ salutaria, sed perniciosa.*

Brandius pag. 52. *Quod addit Lessius, neque illud omnino liquidò constat. Hoc certè constat, Curtio se deuouente pestem cessasse.*

Refutatio.

Primò, Meisnerus de multis illis nec vnum qui-

dem adfert in medium: neque quisquam ignorat, perniciosum id esse mendacium de miraculis perniciosis.

Secundò, Videtur Brandius etiam iam diaboli patrocinium agere, qui negat eius præstigias vulgò breues & noxias esse. Nam & Curtio certè fuit perniciosum, Vrbem peste liberasse; qui nempe id fecerit iacturâ vitæ & animæ suæ. Quamquam, vt hoc Brandio demus, non adeò ingens miraculum est (quod sæpenumerò magos perpetrare nouimus) labem aliquam aëris maleficio procuratam, eodem sublato auerruncare, vnde & pestilitatem de loco abire videamus. Sed læsam fractamque organi alicuius facultatem instaurare, supra dæmonis artem est.

Responsio vtriusque ad decimum, Cur si diabolica sunt, diabolus nō etiam alibi ea operatur?

Meisnerus pag. 230. Primò, *Inter Gentiles proculdubiò hodie crebræ sunt illusiones satanæ, quamuis ob locorum distantiam parum nobis innotescant.*

Secundò, *Singulari Dei prouidentiâ in Romanâ Synagogâ præcipuè prodigia externa conspiciuntur. Hinc enim veri Christiani indubitatò Antichristi regnum possunt agnoscere. Prædictum namque est, quòd illius aduentus sit futurus in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.*

Brandius pag. 53. *Respondeo, aut alios habere sua miracula, aut Deum voluisse postremis temporibus ita signare hominem illum peccati filium perditionis. Papa enim est* κατ' ἐξοχὴν *homo ille peccati*, &c. *qui in templo Dei sedet, & se extollit supra omne quod dicitur Deus.*

Refu-

Refutatio.

Puerilis est vtraque vtriusqueResponsio. Prima, Quia si de miraculis aliarum sectarum nihil audiatur, si item quæ ea sint, nesciatur; quomodo in iis esse miracula aliqua probat nobis vterque?

Secunda puerilis est, Quia nihil stolidius dici posse, quàm Romanum Pontificem esse Antichristum, à Bellarmino, à Lessio, ab aliis demonstratum est libris integris.

Atque vt ita esse faciamus, tamen redit quæstio, Cur, cùm æquè & magis pereãt per alias Religiones animæ, atque per Papisticam Antichristianam, dæmon ab illis ad hanc homines velit præstigiarum portentis attrahere? Certè cùm Lutherus ipse dixerit, *sub Papatu latere ipsum Christianismum, in eoque esse plurimos pios & sanctos*; cur dæmon præstigiis homines ad tam bonam Religionem à Religione Lutheranorum abstrahat? quos Caluinus Admonitione tertiâ ad Westphalum *vocat vertiginosos Cyclopes, phreneticos, bestias, prodigiosè cæcos, desperatè impudentes, nihil aliud quàm falsarios, & improbos calumniatores, & qui optimam Euangelij caussam debacchando se obruere posse sperant?* Cur item à Religione Caluinistarum, de quâ Stanckarus ita monet: *Caue Christiane Lector, & vos maximè Ministri omnes à libris Caluini cauete, & præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramẽto Baptismatis, & Prædestinatione; continent enim doctrinam impiam, & blasphemias Arrianas: vt in Caluinum spiritus Seructi combusti secundùm Platonicos remigrasse videatur.*

Quinta Lessij Consideratio, ex Gentium conuersione.

LESSIVS: *Illa censenda est vera Religio Christi, ac proinde amplectenda, ad quam semper facta est Gentium cõuersio. Atqui Religio ad quam Gentes omnibus sæculis sunt conuersæ, & etiamnum hoc sæculo conuertuntur, est Religio Catholica & Romana. Nullum ergo dubium esse debet, quin hæc sit vera Christi Religio.*

Maiorem probat: *Quia Dominus promisit passim in Scripturis hanc Gentium ad fidem conuersionem, quæ promissio debet impleri.*

Minorem probat inductione factâ per omnes retrò ætates, vsque ad tempus Christi.

Responsio vtriusque ad Maiorem.

Meisnerus pag. 236. *Absolutè & sine omni limitatione affirmari hoc nec potest nec debet. Nam Primò, in veteri Testamento omnibus sæculis facta fuit conuersio ad Religionem Iudaicam, quam tamen tempore Pharisaismi, & aduentus Christi in carnem, planè vitiatam & corruptam fuisse, constat ex Scripturis,*&c. Pag. 237. *Secundò, non tantùm ad veram fidem, sed & ad Religiones quoque alias facta fuit quorumdam Gentilium conuersio.*

Brandius pag. 55. *Innuit Lessius, se hanc Maiorem intelligere de conuersione ad verum Dei cultum. Eam ita intellectam admitto.*

Refutatio.

Primò, Quòd si omnibus sæculis Gentium conuersio facta sit ad Iudaicam Ecclesiam, hoc ipsum

ipſum pro Leſſio facit: nam eam tum fuiſſe veram Eccleſiam, eo ipſo Argumento probabit, & verè.

Secundò, Quòd ad eam Phariſaiſmo corruptam facta ſit omnibus ſæculis Gentium conuerſio, vel ex eo mendacij arguitur, quòd ipſe Meiſnerus dicat, eam circa aduentum Chriſti Phariſaiſmo fuiſſe primùm vitiatam. Quomodo ergo omnibus ſæculis ad eam vitiatam facta fuiſſet conuerſio, quę non multò ante aduentum Chriſti fuit vitiata? Si dicat, velle ſe dicere, quòd omnibus ſæculis, ante corruptionem, Gentium conuerſio ad Iudaicam ſit facta: iam pro Leſſio id erit, qui veræ Eccleſiæ vult eam acceſſionem eſſe factam.

Tertiò, Etiamſi Phariſæi concurſarent *mare & aridam, vt facerent vnum Proſelytum*, non legimus tamen ab iis multos Proſelytos eſſe factos: multo minùs vllam omnino Gentem vſpiam ad Phariſaicam ſectam, totam fuiſſe conuerſam, nec vllam nominat Meiſnerus.

Quartò, Falſum eſt, ex Scripturis conſtare, Iudaicam Religionem Phariſaiſmo planè fuiſſe vitiatam & corruptam. Nam ſic nuſquam fuiſſet vera Religio & Eccleſia, quam Scripturæ aſſeuerant interire non poſſe. Neque enim Iudaica Religio magis Phariſaiſmo corrupta fuit, quàm Chriſtiana Arrianiſmo, Lutheraniſmo, aut Caluiniſmo.

Quintò, Gotthi ab Arrianis inſcienter peruerſi, maximam partem Chriſtiani erant, vt contra Freculphũ ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto, notauit Bellarminus lib. 4. De ſignis Eccleſiæ, cap. 12. quod dolo malo ſubticuit Meiſnerus, cùm tamen id Argumentum ex Bellarmino ſuble-

giſſet. Horum ergo ad Arrianos acceſſio, non fuit Gentilium conuerſio, *ſed Chriſtianorum ab hæreticis peruerſio*. Quare nihil facit hæc exceptio contra vniuerſalem veritatem huius Maioris: *Illa cenſenda eſt vera Religio, ad quam ſemper Gentium facta eſt conuerſio.*

Reſponſio vtriuſque ad Minorem, quæ erat, Atqui Religio ad quam omnibus ſæculis Gentes ſunt conuerſæ, & etiamnum hoc ſæculo conuertuntur, eſt Religio Catholica & Romana.

Meiſnerus pag. 240. *Primi gentiles qui citra controuerſiam veræ Eccleſiæ ſunt adiuncti, non fuere conuerſi ad Religionem Papiſticam, prout nunc eſt; quia eo tempore nondũ in templo ſedebat Filius perditionis.*

Brandius pag. 55. *Minorem de Papiſticâ Religione intellectam negabo: nam ante annum ſexcenteſimum noui Teſtamenti (quando Papiſmus quidem conceptus eſt, ſed nondum natus fuit) ad eum nemo ſe vertere potuit. Romana Eccleſia tum nondum erat Papiſtica.*

Refutatio.

Primò, Id iterùm eſt principium petere, quando id agitur ſolùm, An Romana Eccleſia non ſit eadem quæ vetus.

Secundò, Omnibus ſuperioribus demonſtrationibus id vnum probatum eſt, modernam Eccleſiam cum illâ veteri in omnibus omnino conſentire, re nullâ diſſentire, adeoque eſſe eamdem & hanc & illam. Et quidem commentum illud de Papatu primùm poſt ſexcentos annos à Pho-

Phocâ instituto, ita à Bellarmino aliisque refutatum est, vt nemo deinde hæreticorum illius fidem potuerit stabilire.

Responsio vtriusque ad probationem Minoris.

Minorem probauerat Lessius, factâ inductione per decem posteriora sæcula, recensens quæ quoque sæculo Gentes ad Religionem Catholicam fuere adductæ. Nempe sæculo XIV. Saraceni, & Iudæi plurimi, à sancto Vincentio Ferrerio. Sæculo XIII. Tartari, per duos Dominicanos. Sæculo XII. Norwegi, per Nicolaum, pòst Adrianum IV. Sæculo XI. Hungari, à S. Stephano Rege. Sæculo X. Regna plurima, ab Henrico I. Adelberto, & Methodio. Sæculo IX. Wandali, Bulgari, Sclaui, Poloni, Daci, Moraui. Sæculo IIX. Germani, à S. Bonifacio. Sæculo VII. Francones, à S. Kiliano. Sæculo VI. Angli, à Monachis Augustino & sociis.

Ad hæc Meisnerus pag. 240. *Lessius priora sex sæcula silentio inuoluit, quia demonstrare nequit viguisse tum fidem eam, quæ hodie docetur in Papatu.* Pag. 241. *Quod attinet ad conuersiones Papales post sextum Ecclesiæ sæculum, fuerunt illæ plerumque violentæ. Bonifacius Thuringos & Germanos terrore armorum conuertit. Sic Hispani in nouo Orbe coëgêre Indos ad fidem suscipiendã. Sic Angliam quoque ad Religionem voluit cogere Hispanus.* Pag. 243. *Præterea cùm in conuersionibus Gentium sacrosancto Dei verbo vtantur, ideò multorũ animi, qui audiunt, percelluntur non per ipsius fidei Romanæ, sed potiùs per sacræ Scripturæ vim & efficaciam.*

Brandius pag. 36. *Hoc quoque notandum est, quòd*

cùm Leßius Minorem ſuam probare vult, non vltra annum ſexcenteſimum adſcendit, ibi ſubſiſtit: nam poſt eam demum Papatus natus eſt. Quicumque anteà conuerſi ſunt, aliò quàm ad Papatum ſunt conuerſi. Deinde, quòd dicit, Germaniam magnâ ex parte per Bonifacium conuerſam eße, non eſt verum id tum demum factum. Fuerat enim Germania iam inde ab Apoſtolorum temporibus ad Chriſti fidem conuerſa: quod nominatim ex Irenæo liquet, qui Germanicarum Eccleſiarum meminit; & teſtatur Auentinus. Addit, Angliam ſæculo ſexcenteſimo ab Auguſtino Gregorij Legato ad fidem Chriſtianam conuerſam. Fallit: nam & ab Eleutherij temporibus conuerſa fuit, &c. En alteram bellam conuerſionem!

Refutatio.

Primò, Cùm Leſſius paſſim totâ Conſultatione ſuâ & probet & ſupponat, hanc Pontificiam Eccleſiam eamdem eſſe cum illâ veteri Apoſtolicâ, non potuit certè eâ re omiſiſſe ſex ſæcula anteriora, quòd diffideret ſe demonſtrare poſſe, eorum ſingulis ad eamdem ſuam Eccleſiam Gentium omnium conuerſionem eſſe factam. Eâ re ſolâ Leſſius & Bellarminus id prætermiſerunt, quòd inter ipſos Proteſtantes & Catholicos omnino conueniat de veræ Eccleſiæ per ſex illa ſæcula integritate; nemo verò, niſi omnino in Hiſtoriâ rudis, ignorare queat, quæ quo priorum illorum temporum ſæculo Gentes ſint conuerſæ? Sed dicere, ſex illis ſæculis primis Gentes eſſe conuerſas ad fidem Lutheranam & Caluinianam, quæ iam nuper prodierunt, neque vſquam anteà fuerunt viſæ vel auditæ vel notæ, pluſquam inſanũ & furioſum eſt.

Se-

Secundò, Mendacia sunt Meisneri, affirmantis ex Chronico Isennacensi, Germaniam armorum terrore à Bonifacio, Indos ab Hispanis per vim esse subactos. Neque enim verba Chronici illius adfert, neque posteriorum Historiarum Auctores vllos laudat: contrariū verò ex Actis S. Bonifacij, apud Laurentium Surium; ex Vitâ Xauerij, apud Tursellinum; ex Vitâ S. Gregorij Magni, item apud Surium, constat inter omnes.

Tertiò, Si diuini verbi vi Gentes ad Pontificiam Religionem conuertuntur, non vi ipsius Pontificiæ Religionis; cur non igitur multò magis ad Religiones Protestantium, qui se solos habere venditant verbum Dei putum & purum? Cur, oro, verbum Dei non tantam ibi vim habet, atque apud nostros?

Quartò, Grauissima inscitia est Brandij, qui Germaniam totam facit Apostolorum temporibus, non autem à Bonifacio conuersam: Angliam non ab Augustino, sed à solo Eleutherio fidei aggregatam. Et vbi, quæso tecum, mi Brandi, legisti; Germaniam Apostolorum sæculo vniuersam conuersam? De Crescēte, Valerio, & Materno, ab Apostolo Petro missis, scio: sed vbi Irenæus aut Auentinus meminerunt Germaniæ totius id temporis conuersæ? Vbi negant à Bonifacio Christo conciliatam? Ignosce, iam fortasse recordor: *Et te Germane compar*, inquit Paulus, scribens, nisi fallor, ad Germanum aliquem conuersum. Hic me locus pænè præterierat.

De Angliâ à Iosepho Arimathensi, deinde vniuersâ ab Eleutherio per Fugatium & Damianum superatâ, legere me memini apud Irenæum, Tertul-

tullianum, Origenem, aliosque; sed non debebat ignorare Brandius, eam denuò ad vomitum reuertisse temporibus Diocletiani, quod scribit Ruffin. lib. 1. cap. 11. Niceph. lib. 8. cap. 34. Genebrard. in Eleutherio, & Pamelius in Tertull. Notis, Iacobus noster Gualtierius in Chronologiâ, & Thomas Bozius lib. 4. De Ecclesiæ notis.

Argumentum Lessij à contrario.

Ad Lutheranam, Caluinisticam, Anabaptisticam, nulla est vmquam facta Gentium conuersio, sed Christianorum tantùm defectio: quod est perspicuum hæreseos argumentum.

Responsio Meisneri.

Pag. 245. Primò, *Omnes Gentiũ conuersiones primis sæculis ad nostram fidem sunt factæ.* Quod idem Brandius dicit pag. 59. etiam suprà explosum est.

Secundò, *Nostræ Religionis diuinitas & efficacia satis apparet ex repentinâ plurimorum hominum illuminatione, & ad illam conuersione, dum pauper Monachus sine armis Papam debellauit, & tot potentissima regna eius imperio subtraxit.*

Tertiò, *Prædictum est, Antichristi notam fore, Gentium & populorum seductionem.*

Quartò, *Licet multi infideles simul ad nostram fidem non conuertantur, attamen aliqui illuminantur successiuè, exempli gratiâ, Iudæi.*

Quintò, *Tandem in locis Septemtrionalibus, vt Grocklandiâ, & Laponiâ, & alijs quoque multis, Paganos & infideles ad nostram fidem esse conuersos, refert & probat Philippus Nicolai lib. 1. De regno Christi cap. 1.*

Refu-

Refutatio.

Primò, Iam ſuprà oſtenſum eſt, à Luthero Principes & ruſticos etiam communi claſſico ad oppugnandum Papam fuiſſe ſollicitatos, vt nihil ſit cur Iano Cluſio magnopere litent Lutherani pro pacifico ſuo Salomone Luthero.

Secundò, Mendacium eſt, Papam (qui etiamnum regnat) ab eo fuiſſe debellatum. Nullum Feretrio Ioui opimum de Papâ ſpolium memini à Luthero fuiſſe relatum.

Tertiò, Si tamen demus Meiſnero, etiam Germaniam vniuerſam, aliaque regna tota, à Luthero fuiſſe expugnata, magnum ſcilicet id erit argumentum Gentilium ab eo conuerſorũ; cùm Germani ceterique (ſi quos infecit alios Lutherus) Chriſtiani iam eſſent, quod vnum nempe Tertulliani verbis Leſſius contendit, *hæreticorum negotiũ eſſe, non Ethnicos cõuertendi, ſed noſtros euertendi.*

Quartò, Si Antichriſti ſignum eſt potiùs, quàm Chriſti, populorum ſeductio; eſt igitur Lutherus Antichriſtus, qui ingenti miraculo ſine armis, &c. Germaniam & tot regna ſeduxit: eſt Caluinus Antichriſtus, qui totam pænè Galliam attraxit, vt aiunt Brandius & Meiſnerus.

Quintò, Qui? quo loco? quâ ſucceſſione Iudæi, aut Septemtrionales? quibus in Groeklandiæ & Laponię pagis aut oppidis? quorum Apoſtolorum prædicatione ad Lutheraniſmum ſunt conuerſi? Silet Meiſnerus, quorum tamen omnium ratio conſtare debet volenti Pontificiam cum Lutheranâ fide mutare, niſi velit in credendo audire & eſſe leuis. Deinde cùm olim Septemtrio totus Catho-

licæ

licæ Religioni fuerit adiunctus, plurimique etiamnum Catholici sint; quis faciet nobis fidem, illos potiùs Paganos fuisse, quàm Catholicos, qui ad Lutherum desciuerunt?

Sextò, Quæ vmquam vllius prouinciæ, Gentis, vrbis, aut etiam pagi Legatio ad Lutherum, vel Caluinum, aut eorum posteros missa est, Religionis aut fidei acceptandæ caussâ? quemadmodum iam tum inde à Christi temporibus ad Catholicæ Ecclesiæ capita, Gentium prouinciarumque Legationes, pro verâ eius fide capessendâ, frequenter missæ sunt.

Responsio Brandij.

Pag. 59. *Ad quid schismatica illa nomina*, Lutherani & Caluinistæ? *Protestantes, qui & fide, & moribus reformationem profitentur, non sunt Lutherani, Caluinistæ, aut aliquid simile; sed ab vno Christo pendent, ideóque sunt verè Christiani.*

Refutatio.

Quid faciemus mollicellis illis oricillis Brandij Willemsonij, qui non fert asperitatem durorum scilicet nominum illorum *Lutherani & Caluinistæ?*

Guillielme Brandi, mollior cuniculi capillo
Vel anseris medullulâ, vel inulâ mollicellâ.

Nos, ô dura messorum ilia! cruda illa nomina Papistarum, Papicolarum, aliaque id genus mille concoquere millies debemus vno die, quoties libuerit Protestantibus nos huiusmodi saxis lapidare? Sed quæso quid Zirizæani dicent, si audiant Brandium iam nolle esse deinceps Caluinistam? Nónne à Caluino vestrâ reformationem habetis? cur

cur in vestrum Prophetam & Apostolum, à quo tantum bonum habetis, adeò estis ingrati, vt illius nominis vos pudeat? Certè magis ingenuè Meisnerus primâ fronte Libri fidem suam appellat *Lutheranam.*

Secunda responsio Brandij.

Pag. 59. *Quid iuuat Lessium, etsi ad Protestantes numquam Gentium conuersio facta est? An Euangelicæ doctrinæ sua apud Apostolos non constitit veritas, quamdiu se illi inter Iudæos tenuerunt?*

Refutatio.

Primò, Quid hoc Lessium iuuet, videat Brandius, qui suprà pag. 55. admisit maiorem propositionem hanc Lessij, vt probatam, *Illa est sola vera Ecclesia, ad quam omnibus sæculis facta est conuersio Gentium.* Vnde ad hocce Argumentum perficiendum adiuuatur Lessius: *Atqui ad Protestantium Ecclesiam* (quod iam cõcedit Brandius) *nullo vmquam sæculo facta est vlla conuersio Gentium. Ergo Protestantium Ecclesia non est vera Ecclesia.*

Secundò, Quamdiu Ecclesia in solâ Iudęâ constitit, ante Gentium conuersionem factam, eius signum non fuit, nec fuisse potuit, conuersio Gentium iam facta, (mirum quid ita pueriliter hallucinetur Brandius) sed conuersio Gentium breui pòst futura, quæ iam facta nobis posteris signum est infallibile ex promisso Scripturarum.

Tertiò, Iudæi, inter quos id temporis Apostoli versabantur, quique Christum passim negabant, quæro, an iudicio Brandij fuerint vera Ecclesia? Aut si non fuerint, quæro, ad quam Ecclesiam

clesiam conuertebantur, cùm Iudaismum suum deserebant?

Tertia responsio Brandij.

Pag. 59. *Quòd ipsi Apostoli tot Gentes conuerterunt, hoc pertinet ad Protestantes; quia eadem est horum cum illis doctrina & Ecclesia, differunt tantùm tempore & locis.*

Refutatio.

Primò, Quis non videat, hîc à Brandio sumi id quod erat probandum, Ecclesiam nempe Protestantium & doctrinam eamdem esse quæ fuit & Apostolorum.

Secundò, Hoc vno etiam præcipuè nos quoque Ecclesiam & fidem Protestantium ab illâ vetere Ecclesiâ differre contendimus, tempore nimirum; quia hæc olim ante mille sexcentos annos effloruit, illa nuper è cunis & fasciis prorepsit, numquam antè nata. Sed nescio, quî fieri posse concedat Brandius, vt à vetere illâ Ecclesiâ sua hodierna tempore differat, quam suprà dixit eamdem temporibus ipsis Apostolorum floruisse, tum fuisse Martyribus illustratã, miraculis stabilitam, Gentium conuersionibus cumulatam. Nam quomodo hæc simul omnia vera sunt, si vel moderna fides ab illâ antiquâ, vel illa antiqua tempore differat ab hac modernâ?

Quarta responsio Brandij.

Pag. 59. *Neque Tertullianus Lesium iuuat; cùm ille lib. De Præscript. ait, hæreticis negotium esse, non Ethnicos conuertendi, sed nostros euertendi*, &c. *nam*

nam Tertullianus ibi agit aduerſus hæreticos, Leſſius non ita.

Refutatio.

Primò, Caluiniſtas hæreticos eſſe, dicimus non ſoli nos Catholici, ſed Lutherani & Sacramentarij omnes, vt alibi hoc Libro demonſtratum.

Secundò, Lutheranos & Anabaptiſtas, hæreticos vocant ipſi quoque Caluiniſtæ. At Leſſius contra triplex hoc hominum genus ſcripſit. Scripſit ergo aduerſus hæreticos, ſicut Tertullianus.

Tertiò, Brandius principium petit, id ſine probatione negando, quod Leſſius in Proteſtantes quadrare oſtendit ex ſignis à Tertulliano allatis.

Sexta Leſsij Conſideratio, ex nomine Catholica.

LESSIVS: *Illa Religio cenſenda eſt vera Chriſti Religio, quæ ſemper habita & dicta fuit Catholica, iuxta illud Symboli Apoſtolici, Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam. Atqui ſola Romana dicta eſt Catholica, eiúſque cultores Catholici. Ergo ſola Religio Romana eſt vera Chriſti Religio.*

Reſponſio vtriuſque ad Maiorem.

Meiſnerus pag. 247. *Ex merâ nudâque appellatione non poteſt firmiter concludi ipſa qualitas Religionis. Quare Saluianus lib. 4. De prouidentiâ rectè ſcripſit: Nomen ſine actu atque officio ſuo nihil eſt.* Pag. 248. *Quòd ſi verò cum nomine coniugatur res ipſa, vt videtur coniũgere Leſſius in titulo huius Conſiderationis, tum Maiorẽ Argumenti facilè cõcedemus.*

I Bran-

Brandius pag. 60. *Ego nego Maiorem: neque enim quærendum est, qualis aliqua Ecclesia habeatur vel dicatur, sed qualis sit. Opinio vel rumor rem falsam non facit esse veram.*

Refutatio.

Primò, Quæro, si ex merâ nudâque appellatione non rectè colligitur qualitas rei (quando appellatio apud omnes est constans) vnde aliquis qui Meisnerum aut Brandium de vultu non nosset, & nosse tamen vellet, eos nosse posset, nisi ex communi omnium testimonio, affirmantium, Ille est qui vocatur Brandius, iste qui vocatur Meisnerus? Sanus an insanus esset, qui Germanis omnibus affirmantibus, hunc Meisnerum vocari Meisnerum; Zelandis affirmantibus, Brandium hunc vocari Brandium, responderet, se non posse tamen id certò credere ex solâ constanti illâ omnium appellatione? Anticyras cum Meisnero & Brandio mittendus esset, qui tam certo signo non crederet.

Secundò, Ex solâ nudâque appellatione, Patres omnes sæculi anterioris, Ecclesiæ incorruptæ, veram etiam Ecclesiam internouerunt, vt ostensum alibi: nominatim Cyrillus Catechesi 18. *Si ieris in aliquam vrbem, non petas vbi Ecclesia sit, vel domus Dei; nam etiam hæretici dicunt se habere domum Dei, & Ecclesiam: sed petas vbi sit Catholica Ecclesia; id enim nomen proprium est huius Ecclesiæ matris omnium nostrûm.* Hieron. Dialog. contra Luciferian. cap. 9. *Sicubi audieris eos, qui Christi dicuntur, non à Domino Iesu Christo, sed à quopiam alio nuncupari, vtpote Marcionitas, Valentinianos, Montenses, seu*

ſeu Campitas, *ſcito non eſſe Eccleſiam Chriſti*, *ſed Antichriſti ſynagogam.* Pacianus Epiſt. 1. ad Sympron. *Certè non eſt ab homine mutuatum, quod per ſæcula tanta non cecidit, Catholicum iſtud; nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat. Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit. Fortè ingreſſus populoſam vrbem hodie, cùm Marcionitas, cùm Apollinaritas, Cataphrygas, Nouatianos, & ceteros huiuſmodi comperiſſem qui ſeſe Chriſtianos vocarent, quo* COGNOMINE *meæ Congregationis plebem agnoſcerem, niſi* CATHOLICA *diceretur?* Auguſtin. Cõtra Epiſt. fundamenti cap. 4. *Tenet me in Eccleſiâ poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſſâ inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, vt cùm omnes hæretici ſe Catholicos dici vellent, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel domum ſuam vel baſilicam audeat oſtendere.* Chryſoſtomus Hom. 33. in Acta Apoſtol. *Illi habent quoſdam, a quibus appellantur: prout enim hæreſiarchæ nomen, ita & ſecta vocatur. Nobis autem nullus vir nomen dedit, ſed* FIDES IPSA. Lactantius lib. 4. cap. 30. *Cùm enim Phryges, aut Nouatores, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, ſeu quilibet alij nominentur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerunt.*

Tertiò, Numquam efficient Meiſnerus aut Brandius, vt bonus ſit hic ſyllogiſmus: *Saluianus dixit nomen ſine actu eſſe nihil. Ergo non poteſt colligi ex nomine [Catholica] vera Eccleſia.*

Quartò, Etſi leuis & breuis rumor rem falſam non faciat eſſe veram; at ſaltem rumor conſtans facit

cit rem verisimilem: constantissima verò omnium attestatio per mille sexcentos retrò annos, quis dubitat quin faciat rem omnino certissimam?

Quintò, Velim scire, quo alio magistro didicerint Meisnerus & Brandius, qui sint suus pater & mater, quàm quia continuâ hominum attestatione sic acceperunt?

Maiorem hanc ipsam firmissimis hisce Argumentis ita probat P. Adamus Tannerus noster Part. 2. Demonstrat. 1. § 1.

Primò, Quia hoc nomine Catholicæ Ecclesiam nominarunt Symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum.

Secundò, Quia SS. Patres ferè omnes Ecclesiam hoc nomine velut signo dixerũt internoscendam.

Tertiò, Quia Scripturæ sacræ promiserunt Ecclesiæ, eam fore Catholicã, hoc est vniuersalem: ergo illa est vera Ecclesia, quam omnes omnino semper vocarunt Catholicã; cùm impossibile sit, omnes omnino homines, hæreticos præcipuè naris sagacissimæ canes, hucusque errasse in re tantâ.

Responsio vtriusque ad Minorem, Sola Romana dicta est Catholica, eiúsque cultores Catholici.

Meisnerus pag. 25. *Tantùm titulus & nomen merum est, absque re.*

Brandius pag. 68. *Minor nec ipsa vera est: nam antequam Papatus natus est, fuere Catholici dicti Ecclesia. Et iam quoque sunt multi Catholici non Papistæ, videlicet Catholici Protestantes. Esto tamen; an à nomine ad rem est solida consequentia? Saluianus libro 4. De prouidentiâ: Nomen sine actu atque officio suo nihil est.*

Refu.

Refutatio.

Primò, Vtraque Reſponſio eſt aperta petitio principij: probandum enim ſumitur quaſi iam probatum. Et Lutherus iam antè citatus, apud Catholicos Papiſtas dixit *relictum eſſe ipſum nucleum Chriſtianiſmi*. ergo non merus titulus ſine re apud Papiſtas relictus eſt, ſed putamen ſolum apud ipſos Proteſtantes eſt.

Secundò, Faciamus ita eſſe: at ſaltem iam legitima erit tituli illius vſucapio poſt præſcriptionem annorum mille ferè & ſexcentorum.

Tertiò, Neutra reſponſio ad Minorem facit: erat enim negandum, vel admittēdum, vel diſtinguendum illud, *Sola Romana vocatur Catholica.*

Quartò, Qui Proteſtantes, à quibus, vocati ſint vmquam Proteſtantes Catholici, probandum priùs Brandio quàm ſumendum eſſet.

Quintò, Papatum non cepiſſe ſimul cum Chriſto, ad nauſeam refutatum eſt.

Argumentum Leſſij à contrario.

Leſſius: *Econtrariò ſi ſectas omnes conſideremus, nulla ex his vmquam Catholica Religio vocata eſt, aut ſectatores earum Catholici, vt dictum eſt: ſed à ſuis Auctoribus nomina accepere. Nulla toto orbe diffuſa eſt. Nulla ex his iam inde à temporibus Apoſtolorum durauit. Itaque neque ratione temporis, neque ratione locorum, neque ratione nationum, Catholicæ dici poſſunt.*

Reſponſio vtriuſque.

Meiſnerus pag. 25. *Non pugnant hæc inuicem, dici*

dici Catholicum, & Lutheranum. Deinde etiamsi non vocemur, sumus tamen. Quod fides nostra non sit toto orbe diffusa, nihil hoc derogat Catholicismo nostræ fidei: durauit autem iam inde ab Apostolorum temporibus, etiamsi nonnumquam latuerit.

Brandius pag. 62. *Quid autem Lessius de aduersariis? Eos Catholici nomen non gerere, sed à suis Auctoribus nuncupari? Itáne? Vnde ergo nomen Catholicorum Protestantium, seu Catholicorum Reformatorum? Quòd verò à Reformatoribus & Instauratoribus nuncupantur, hoc odio Papistarum imputandum est.*

Refutatio.

Primò, Sancti Patres proximè citati affirmarunt, omnino pugnare Catholicum dici simul & Lutheranum, aut Valentinianum, &c. vt nominatim patet ex verbis Hieronymi, Lactantij, Cyrilli.

Secundò, Etiamsi non pugnarent, falsum tamen est, Lutheranos & Caluinistas vocari Catholicos, aut vocatos vmquam fuisse. Neque enim à Gentilibus, neque à Christianis, nec in Oriente apud Græcos, nec in Occidente apud Gallos & Hispanos, neque in Meridie apud Italos vel Siculos, neque in Indiâ, Iapone vel Americâ; denique seipsos ita communiter appellare non audent: quia ita loquentes, & non intelligerentur, & meritò riderentur, ait Adamus noster Tannerus Parte 2. Demonstrat. 1. & 2. Imò Meisnerus hac ipsâ paginâ 25. fatetur Lutheranos non solere vocari Catholicos. *Etsi Catholici non vocemur, sumus tamen,* inquit.

Tertiò, Illud ipsum ergo quod à me Brandius, ego

ego à Brandio quæro, Vnde nomen Catholicorum Proteſtantium, ſeu Catholicorum Reformatorum ad Lutheranos & Caluiniſtas venit? Quis? vbi? quando eos ſic vmquam ſcripto vllo appellauit? vbi tali titulo apud vulgus in ſermone celebrantur? Quæ ipſorum Proteſtantium ſcripta, qui libri tali vmquam titulo prodierunt? extra Brandium nemo vmquam eos ita nuncupauit.

Quartò, Quàm puerile hoc eſt: *Etſi Catholici non vocemur, Catholici tamen ſumus?* Quis pari iure iam non credat, ſcapham ligonem eſſe, etſi ſcapham ſcapham, ligonem ligonem ſoleamus appellare? Illud tamen hìc pro aduerſarij teſtimonio retinebo, *Lutheranos* (ipſis etiam fatentibus) *Catholicos non vocari*, quod antè tamen dixerat Meiſnerus.

Quintò, Illud deinceps in confeſſo apud Lutheranos erit, *Eorum Catholiciſmo nihil derogare, quòd eorum fides toto orbe diffuſa non ſit*. quia nempe eorum totus Catholiciſmus vel minimo aliquo orbis angulo continetur, & latuit ab Apoſtolorum temporibus, vſque ad aureum natalem Lutheri; cùm dicat Auguſtinus lib. 2. Contra Petilian. cap. 104. *Eccleſia certum ſignum habet, quod abſcondi non poſſit.*

Sextò, Mendacium eſt, odio quodam aduerſarios à Papiſtis Reformatorum ſuorum nominibus eſſe appellatos.

Nam Primò Lutherus ipſe Tom. 4. Operum Latinorum id ipſis Lutheranis adſcribit. *Sunt,* inquit, *qui ſe Lutheranos eſſe gaudent. Non ſic fatue, non ſic; oro vt meũ nomen taceatur, & nemo Lutheranus, ſed Chriſtianus appelletur.* Eos hìc orat Lutherus qui ſe Lutheranos nempe appellabant.

Secundò, Meisnerus ipse ingenuè Libri sui frontem inscripsit: *De fide Lutheranâ capessendâ.*

Tertiò, Catalogi librorum, qui Francofurti veneunt quotannis, appellant semper Pontificiorum libros Catholicorum; suorum libros, Protestantium.

Quartò, Si Lutherus putasset Ecclesiam suam vocandam Catholicam, numquam è Symbolo abs se conuerso expunxisset *Catholicam*, substituto nomine *Christiana*, vt Adamus noster Tannerus opponit Parte 2. Demonstrat. 1. & 2.

Quintò, Inter omnes titulos Caluinistarum, quos diligentissimè conquisiuit R. P. Becanus noster, nullus extat quo se appellent Catholicos, sed perpetuò vel *Euangelicos*, vel *Reformatos*, vel *Theodidactos*, vel *Orthodoxos*, vel *Suinglianos*, vel *Sacramentarios*, vel *Caluinistas*, vel *Hugonottas*, vel *Puritanos*, vel *Geusios*, vel *Picarditas*. Falsum est igitur, aduersarios à Catholicis ita primùm fuisse appellatos.

Mendacia Meisneri refutata.

Primum, pag. 249. *Vocabulum Catholici est à Doctoribus Ecclesiæ post Apostolorum tempora vsurpari cœptum*. CATHOLICI nomen est in ipso Symbolo Apostolico, quod sancti Patres omnes asseuerant ab Apostolis traditum; quomodo ergo post Apostolorum tempora vsurpari cœptum?

Secundum, ibidem: *Pacianus Epist. ad Sympron. scribit, sub Apostolis neminem fuisse vocatum Catholicum*. Nusquam hæc verba apud Pacianum. imò contrarium dicit eâdem Epistolâ his verbis: *Certè non est ab hominibus mutuatum, quod*

per

per sæcula non cecidit, Catholicum istud.

Tertium, pag. 250. *Interna* (Ecclesiæ) *vniuersalitas respicit Scripta Prophetica, & Apostolica: vera enim fides omnia comprehendit*, &c. *Et hoc sensu Catholicum idem est quod Orthodoxum. Hinc Cyrillus c.17. Cathechesi. ait Ecclesiam vocari Catholicam, quia doceat Catholicè & perfectè omnia dogmata, quæcumque tenentur homines cognoscere: & hæc est principalis τῦ Catholici significatio, quæ propterea ante omnia attendenda.*

Pag. 255. *Catholicismum fidei non arguit sola loci, nec sola temporis, nec sola ætatis sexúsve vniuersalitas. Imò licet hæc omnia coniunctim reperirentur in aliquâ Religione, (vt omnia reperiri videntur in Iudaicâ) áttamen si desit vniuersalitas interna, tum illa non est vera Catholica Ecclesia.*

Primò, Nemo hucusque ita Catholici nomen explicauit, neque vllus, credo, qui vel Græci aliquid odoratus est, persuaderi sibi sinet, idem esse καθολικὸν καὶ ὀρθόδοξον. tantum abest, vt eam quis credat τῦ Catholici significationem principalem esse posse. Certè S. August. Tom. 10. Serm. 131. De Tempore, principalem τῦ Catholici significationem docet esse in *vniuersalitate loci ac temporis sitam.* & lib. 3. Contra Gaudent. cap. 1. Tom. 7. ita exposcit: *Si vestra Ecclesia est Catholica, ostendite illam per totum orbem radios suos porrigere, ostendite illam per vniuersam terram ramos suos copiâ vbertatis extendere. Hinc enim & Græco vocabulo Catholica nuncupatur: quod enim Græcè ὅλον dicitur, Latinè Totum vel Vniuersum interpretatur. Per totum ergo siue Secundùm totum est καθ' ὅλον, vnde Catholica nominatur.*

I 5 Secun-

Secundò, Si Catholica vocatur ab vniuersalitate doctrinæ; vel doctrinæ suæ particularis, vel doctrinę Apostolicæ & Propheticæ. Si ab vniuersalitate suæ doctrinæ; iam omnes erunt Catholicæ. Si Apostolicæ; iam Lutherana non erit Catholica, quæ reiicit Epistolam Iacobi, 2. Petri, 2.& 3. Ioannis, Pauli ad Hebręos, Iudæ Apostoli, & Apocalypsin Ioannis.

Tertiò, Nullum omnino simile est verbum apud Cyrillum cap. 17. sed quædam eorum habentur cap. 18. eorum autem plurima Meisnerus dolo malo, vt vir probus est, prætermisit. Hæc sunt Cyrilli verba ex versione viri eruditissimi Ioannis Grodecij I. V. Doctoris: *Catholica igitur vocatur, quia* PER VNIVERSVM TERRARVM ORBEM *sit diffusa, à finibus terræ vsque ad extrema; & quia docet* CATHOLICE *&* VNIVERSALITER, *& sine vllo defectu vel differentiâ, omnia dogmata, quæ deberent venire in cognitionem; & quòd omne genus hominum piè subigat, Principes & Primates.* Quæ omnia ad amussim conueniunt cum interpretatione Lessianâ.

Quartum, pag. 252. *Quando Pontificij à nostris quandoque dicuntur Catholici, tum loquimur secundùm eorum opinionem, vel εἰρωνικῶς.* Contrà S. Augustinus Tom. 1. De verâ Religione cap. 7. *Velint, nolintve, ipsi quoque hæretici, & schismaticorum alumni, quando non cum suis sed cũ extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant.*

Mendacia Brandij refutata.

Primum, pag. 6. *Catholicum Patribus primitiuæ Ecclesiæ idem significauit quod Christianum: tandem acce-*

acceperunt quoque pro Christiano Orthodoxo. Quis Patres illos ita malè docuit Græcè loqui? Iam id ex Augustino refutatum. Addam Paciani verba ex Epist. primâ ad Sympron. *Christianus mihi nomen est, Catholicus cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.* Distinguit ergo Pacianus Catholicum & Christianum; sicut nomen & cognomen.

Secundum, ibidem: *Lessius ait Catholicum idem esse quod vniuersale latissimè patens, & ad omnia se extendens. Aliter Pacianus docet Epist. primâ ad Sympron.* Paciani verba explicationi Lessianæ omnino consentiunt quoad vniuersalitatem, cùm dicat Pacianus, *vbique idem, esse Catholicum*: illud enim & Lessius dicit, *Catholicam* eâ re dici Ecclesiam, quia *vbique locorum vna & eadem est.*

De verbis verò Vincentij Lyrinensis Brandius, vt homo accuratus est, qui superfluis non oblectatur, truncauit illa quæ Catholici nomen præcipuè explicant: *Ille est verus & germanus* CATHOLICVS, *qui, quidquid* VNIVERSALITER ANTIQVITVS ECCLESIAM CATHOLICAM *tenuisse cognouerit, id solum sibi tenendum credendúmque decernit.*

Denique illa omnia, quæ ex Vincentij verbis ineptè in Catholicos intorquet Brandius, grauiùs multò recidunt in caput Protestantium. Illud inprimis pag. 62. *Ostendat Papatus se omnibus mandatis Dei obedire.* Deinde ibidem: *An non Papistæ, hominis cuiuspiam auctoritatem, amorem,* &c. *fidei præponunt, quando Papæ Romano summum ius in Ecclesiam tribuunt?* Nam mirum, an non magis id Caluinistæ faciant, qui sæculari Magistratui, aut,

Regi,

Regi, & ſubinde Reginæ, ô regio capiti! id iuris tribuant, quod Papiſtæ ſuo Papæ. Et profectò, ſi maximam illi ſe notam nobis inuſſiſſe exiſtimant, cùm vel feminam vnam ſubdolo aſtu Papam factam fuiſſe comminiſcuntur: quanto turpior erit contumelia, *Caluiniſtas volentes, & prudentes, feminæ Eccleſiaſticum vltrò Magiſtratum detuliſſe.*

Septima Leſſij Conſideratio, ex Succeſſione.

LESSIVS: *Illa Religio vera Chriſti Religio cenſenda eſt, cuius miniſtri omnes ab Apoſtolis deſcendunt, ſuntque Apoſtolorum ſucceſſores, vel ab eorum ſucceſſoribus ordinationem & auctoritatem acceperunt. Atqui talis eſt Religio Catholica. Ergo,*&c.

Reſponſio vtriuſque ad Maiorem.

Meiſnerus pag. 259. *Succeßio Apoſtolica duplex eſt: altera localis, altera doctrinalis. Hanc ſi Leßius in Maiore intelligit, facilè conſentimus,*&c. *Quod verò ſpectat ſucceßionem; localis, quam proculdubiò cum alijs Papicolis primò intellectam vult Leßius, ea indubitata & infallibilis Religionis Apoſtolicæ nota cenſeri neque poteſt, neque debet.*

Nam Primò communis eſt ſchiſmaticis & hæreticis. In veteri Teſtamento ſederūt in cathedrâ Moyſis Sacerdotes hæretici,&c. *Præterea Act.*20.22.29. *&* 30. *prædicitur multos ſucceſſuros eſſe Apoſtolis & Apoſtolicis Doctoribus, qui tamen futuri ſint falſi Prophetæ, & Eccleſiam ſeducturi; quod ipſum ſequentibus temporibus fuit impletum, in Eccleſiâ Antiochenâ,*

chenâ, Alexandrinâ, Constantinopolitanâ. Antichristus 2. Thessal. 2. vers. 4. succedit quoad locum, Apostolis.

Secũdò, Non est perpetua. Nam in veteri Testamẽto aliquoties interrupta, Iudic. 2. 2. Reg. 16. 2. Paralip. 15. 16. In nouo Testamẽto veri Episcopi loco pulsi sunt tempore persecutionum. Imò ipsa Romana Ecclesia destituta fuit sæpiùs Pontifice summo. Sic & aliæ Ecclesiæ particulares multæ caruerunt ad tempus benè longum verâ & ordinariâ Pastorum successione.

Tertiò, Hinc sancti Patres nihil omnino tribui voluerunt nudæ personali localive successioni: non enim Religio certò est vera & Apostolica, quia in eâ datur Pastorum successio: sed contrà, successio est vera, quoniam doctrina est Apostolica. Tertullianus lib. De præscriptione, & Nazianzenus Orat. De laudibus Athanasij, Hieronymus apud Gratian. distinct. 40. Ambros. lib. 1. De Pœnit. c. 6. Ius Canon. Dist. 40. cap. Multi. & Card. Bellarm. lib. 7. De Eccles. notis cap. 8. statuit contra Lessium, non affirmatiuè, sed tantùm negatiuè concludi posse ex successione Pastorum: ibi nempe non esse Ecclesiam, vbi ea non sit; non autem colligi necessariò posse, ibi Ecclesiam esse, vbi successio sit.

Brandius pag. 63. *Maior non est simpliciter vera,* &c. *Successionem aio esse trium generum: aliam cathedræ, seu personæ tantùm, aliam doctrinæ tantùm, aliam vtriusque simul. Iterùm, aliam legitimam, aliam contrà,* &c. *Si igitur successio sit tantùm cathedræ,* &c. *ea Religionis probitatem non arguit. Maior de hac intellecta, est merus gannitus. Act. 2. 20. 29. Scio lupos ingressuros,* &c. *Galat. 1. v. 9. & 10. Qui manet in doctrinâ Christi,* &c. *& Nazianzenus Orat. funebri in Athanasium, Ambrosius lib. 1. De Pœnit. c. 6.*

Refu-

Refutatio.

Primò, Falsum est, à Lessio & Papicolis pro Ecclesiæ notâ haberi successionem solam localem: neque id potuit ignorare Meisnerus, qui ex ipso illo capite Thomæ Stapletoni adfert eius verba, in quo ita disertè scribit Stapletonus Controuers. 1. qu. 4. art. 2. *Non propter eorumdem locorum successionem perpetuam, sed propter* EIVSDEM VOCATIONIS, MISSIONIS, ET ORDINATIONIS PERPETVAM CONNEXIONEM, &c. *sola vera Ecclesia Pastorum suorum successionem demonstrare potest, vt proprium & indubitatum* ECCLESIÆ CHARACTEREM. Vnde apparet maligna Meisneri fraudulentia in explicandis sententiis & mente Catholicorum.

Secundò, Successio, de quâ Lessius & Catholici omnes loquuntur, cùm de notâ Ecclesiæ agunt, includit hæc tria: *Primò, Ab Apostolis esse inchoatam; Secundò, Ad nos vsque continuatam; Tertiò, In doctrinâ esse non mutatam*, vt apparet ex Patrum ferè omnium testimoniis, qui ad localem successionem semper adiungunt successionem in eâdem doctrinâ: cùm veritas doctrinæ à legitimâ successione sit indiuulsa, ex promisso Christi, Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Quare contra hanc nulla faciunt exempla veteris aut noui Testamenti allata à Meisnero. Quicumque enim Pontifices aut Episcopi, etiamsi legitimè ordinati & missi, posteà à veteri doctrinâ descinerunt, & de agnis facti sunt lupi, non interruperunt successionem Ecclesiæ, cùm iam fuerint extra Ecclesiam: sed vt Optatus lib.

lib. 2. Cōtra Parmen. scribit de Victore Garbiensi, primo Montensium hæreticorum Episcopo: *Hi sunt filij sine patre, tirones sine Principe, discipuli sine magistro*, SEQVENTES SINE ANTECEDENTE. Vel vt de Nouatiano Cyprianus lib. 1. Epist. 6. *Nemini succedentes, à seipsis incipiunt.* Etiamsi verò nonnulli Episcopi interrupissent, non tamen eam ob rem vniuersalis totius Ecclesiæ successio fuisset interrupta.

Tertiò, Magnum est acumen Meisneri, qui putat, successionem iam toties fuisse interruptam, quoties vel depulsis, vel demortuis Pontificibus, aut Episcopis, cathedræ vacauerunt.

—— *O te Meisnere, cerebri Felicem!* ——
vacatio Sedis non aufert, sed differt successionem.

Quartò, Falsum est, non ideò Apostolicam esse & dici Ecclesiam, quia ab ipsis Apostolis cœpta sit eius successio: cùm SS. Patres eam caussam adferant: nominatim Tertull. in Præscrip. loquens de successione ab Apostolis: *Per hoc & ipsæ Apostolicæ deputabuntur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Hoc enim modo census suos Ecclesiæ Apostolicæ deferunt.* Et si non inde, quæro igitur, vnde Apostolicæ dictæ sunt Ecclesiæ? An quia Apostolorum doctrinam sequuntur? Rectè. At, an non æquè doctrinam sequuntur Prophetarum & Euangelistarum, atque Apostolorum? Propheticæ igitur & Euangelicæ dicendæ erant potiùs quàm Apostolicæ, cùm plura longè sint Prophetarum & Euangelistarum scripta, quàm Apostolorum.

Quintò, Falsum est quod dicit Meisnerus pag. 263. *Successionem doctrina, non doctrinam successio probat.* Nam per successionem, vt nobis notiorem,

tiorem Patres omnes doctrinam probant. Irenęus lib. 3. cap. 3. *Hac ordinatione & SVCCESSIONE Traditio Apostolorum ad nos peruenit: & est plenissima ostensio, vnam & eamdem fidem esse, quæ ab Apostolis vsque nunc sit confirmata.* Et lib. 4. cap. 43. *Eis in Ecclesiâ Presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab Apostolis: reliquos verò, qui absistunt à Principali successione, & quocumque loco colliguntur, suspectos habere vel quasi hæreticos, vel quasi schismaticos.* Augustinus Epist. 42. *Christiana societas per sedes Apostolorum, & successiones Episcoporum, per orbem* PROPAGATIONE *diffunditur.* Epist. fundament. cap. 4. *Tenet me in Ecclesiæ gremio ab ipsâ Sede Petri vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Epiphanius hæresi 27. contra Carpocratianos: *Et ne quis miretur quòd hæc ita exactè recensemus, tempora nempe succedentium sibi Episcoporum; per hæc enim semper claritas ostenditur.* Tertul. in Præscrip. cap. 19. *Non ad Scripturas prouocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Ordo rerum desiderabat, illud priùs proponi quod nunc solùm disputandum est, Quibus competat fides ipsa? cuius sint Scripturæ?* A QVO, ET PER QVOS, ET QVANDO, *& quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani?*

Sextò, Falsum est, quòd statuat Bellarm. contra Lessiū, non posse colligi affirmatiuè, ibi esse veram Ecclesiam vbi est successio: eodē enim c. 8. Bellarminus contra Caluinum ita colligit affirmatiuè: *Si in Africâ & Ægypto non est Ecclesia, quia ibi non est successio; ergo hîc est Ecclesia, quia hîc est successio.* Inferiùs autem id non negat, sed tantùm dicit, Argu-

mentum

mentum à successione adferri à nobis PRÆCIPVE ad probandū, non esse Ecclesiam vbi non est successio : quod idem iisdem verbis dicit Tannerus noster Anatom. Part. 2. Demonstrat. 4. §. 4. in Solutione secundæ obiectionis.

Responsio vtriusque ad Minorem.

Minor erat: *Atqui Catholicæ Religionis ministri omnes ab Apostolis descendunt, suntque Apostolorum successores, vel ab eorum successoribus ordinationem & auctoritatem acceperunt.*

Meisnerus pag. 266. *Ita enim Thrasonicè gloriatur Lessius*, &c. *Contrarium autem sequentibus Argumentis probatum damus.*

Primò, *Quia fidem Apostolorum non tenent. Vbi enim ab Apostolis quidquam traditum fuit de Purgatorio, de Missâ, de Inuocatione Sanctorum? vbi de Indulgentiis, de Imaginibus, de Operum meritis, & aliis similibus?*

Secundò, *Quia Pastoratum suum accipiunt à Pontifice, cuius Primatus & Episcopatus vniuersalis, fictus est, adeòque nullus.* Id quod probatum mendaciis centies explosis.

Tertiò, *Quia multi Pontifices fuerunt schismatici, & manifesti hæretici.* Id quod confirmat multis historiis falsis, à Bellarmino refutatis.

Quartò, *Quia sæpè fuit interrupta Pontificum successio.* Quod ostendit exemplis partim confictis, partim inualidis.

Quintò, *Quia Episcopi Papales omnibus veri & Apostolici Episcopi requisitis destituuntur.* Quod sex calumniosis ratiunculis propugnat.

Brandius pag. 65. *Minorem negamus, quoniam*

Papista Petri fidem non habent, &c. *Neque habent etiam personalem successionem. Quis enim credat, in tam sanctâ successione locum posse habere homines tam nefarios, hæreticos, magos, feminam, eamque scortum, Simoniacos, incestuosos, Sodomitas, & id genus homines, quales multi Papæ fuerunt, Historijs testibus.*

Mendacia Meisneri refutata.

Primum, *Nihil vspiam ab Apostolis traditum est de Missâ, Indulgentiis, Imaginibus, Merito.* Non adscribo testimonia cõtraria, quia toti libri de singulis conscripti, nondum ab hæreticis sunt refutati.

Secundum, *Primatus Pontificis fictus est.* Nempe, qui etiamsi à sexcentis retrò annis tantùm cœpisset, iam tamen tot annorum præscriptione iustè esset vindicatus.

Tertium, *Christus omnem dominatum Apostolis prohibuit, Luc.22. Marci 9. Matth.18.* Nulla hîc similis prohibitio, nec vspiam alibi.

Quartum, *Christus eamdem potestatem omnibus ex æquo Apostolis contulit, Matth.10.18.28. Marci 18. Luc.9. Ioan.20. 23. 2. ad Corinth.5.* Nihil his locis simile. Petrum verò Christus constituit omnium caput (cui soli ordinariè cum eâdem iurisdictione esset succedendum) Ioannis 21. *Pasce oues meas.* quæ verba soli Petro dicta esse, ad summam ei conferendam potestatem, demonstrat Bellarm. lib. 1. De summo Põtifice c. 14.

Quintum, *Christus solus œcumenicus Pastor Ecclesiæ est, Ezech.34. Ioan.10.* Vocabulum *œcumenicus* nec semel in vniuersis Bibliis est. Res verò sic habet: Christus Pastor supremus est, Pontifices eius Vicarij.

Sex-

Sextum, *In vniuersâ Scripturâ nihil legitur de Pontificatu Petri.* Meisnere, audi. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* Matth. 16. & Matth. 10. *Primus Simon, qui dicitur Petrus.* Ex quo loco Patres colligunt *Primatum seu Pontificatum Petri.*

Septimum, *Multos Pontifices schismaticos & hæreticos, nominatim Eugenium IV. quem Basileense Concilium pronuntiauit schismaticum.* Idem Basileense Concilium, Lausanæ continuatum, illa sua acta rescidit, vt scripsit Nicolaus V. Eugenij successor, iis litteris, quæ Basileensi Concilio adiungi solent. Ceteros verò omnes Pontifices purgauit Bellarm. lib. 4. c. 14. De Pontif. quò relego Meisnerum, & Brandium qui de eorum magiâ fabulatur, & aliis sceleribus nefandis.

Octauum, *Interrupta fuit Pontificum series, quoties plures fuere Papæ & Antipapæ.* Non magis quàm quoties Sedis vacatio est. Vel enim ex pluribus vnus est legitimus Papa, vel nullus: si vnus, iam successio; si nullus, iam vacatio est.

Nonum, *Interruptio facta est, dum femina Pontificatum est adepta. Neque factum hoc negare Papicolæ possunt, si modò Historicorum suorum fidem, & numerum Paparum, quibus nomen Ioannis fuit, saluare velint,* ait Meisnerus pag. 272. Fabulam hanc esse mendacissimam, iudicabunt omnes etiam hæretici, qui vel hæc considerabunt ex Opusculo quod Florimundus Ræmundus conscripsit de Ioannâ Papissâ.

Primò, Huius rei primum Scriptorem fuisse Marianum Scotum, qui vixit post ducentos annos (vt fatetur) quàm res hæc contigit.

Secundò, Eo tempore, quo ſcripſit Marianus, iactatum fuiſſe in vulgus, Conſtantinopolitanum Patriarcham eſſe feminam; vt patet ex Epiſt. 1. cap. 23. Leonis IX.

Tertiò, Leonem IV. vixiſſe annis duobus (teſte Anaſtaſio Bibliothecario, qui tum Romæ præſens erat) poſtquam ſcribitur à Mariano, ei iam mortuo ſucceſſiſſe Ioannam Papiſſam.

Quartò, Leoni IV. mortuo, poſt ſex dies ſubrogatum Benedictum, vt ſcribitur ab eodem oculato teſte: quod idem affirmant Anaſtaſio ferè æquales, Lupus Ferrarienſis Abbas, Nicolaus Papa, & Synodus Trullenſis.

Quintò, Spatio illo toto ducentorum annorum à Leone IV. vſque ad tempora Mariani Scoti, nullum omnino vel hæreticorum vel Catholicorum de hac re verbum ſcripſiſſe. Omnes alios, poſt Marianum, eiuſdem fabulæ narratores pugnare in narrando nomine, loco natali, ſucceſſione, anno, temporis quo ſederit diuturnitate. Nomen aiunt illi fuiſſe Ioannæ, Agneti, Gilbertæ, Iſabellæ, Margaretæ, Tuttæ, Dorotheæ. Poſtulent nunc Meiſnerus & Brandius pugillarem, & ſcribant, an vocabitur Ioanna? Locum natalem aiunt illi fuiſſe Germaniam, Angliam. Succeſſione faciunt illā Ioannem VII. Ioannem VIII. Ioannem IX. Anno eam cœpiſſe ſedere volunt octingenteſimo quinquageſimo tertio, quarto, ſeptimo, octauo, nongenteſimo quarto: tempore anni vnius, menſis vnius & dierum quatuor: annis duobus, mēſibus duobus, diebus quatuor: annis duobus & medio: annis duobus tantùm: quatuor menſibus tantùm.

Quàm lepidæ lexes, compoſtæ vt teſſerulæ omnes!

Quæ

Quæ vel Milesia fabula fabulosior, atque hæc de Ioannâ Papissâ? Mirum, hæreticos semper obiicere & ingerere, quæ luce meridianâ clariùs refutata sunt.

Decimum, *Illegitimè eliguntur Papales Episcopi sine consensu populi, iuxta Cyprianum.* A Meisnero autem nec citatur locus Cypriani, nec vllus talis est.

Vndecimum, *Claues toti Ecclesiæ sunt datæ, Matthæi 16. vers.* 17. Quis credat toti Ecclesiæ claues dari his verbis, (quæ sunt verba loci citati) *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ?*

Duodecimum, *Impiè viuunt, dum legitimum matrimonium contemnunt, cælibatum vouent.* Iam suprà Proletariis istis Episcopis fibula est admota, & infrà Lib. 3. denuò de cælibatu quæstio instituetur.

Octaua Lessij Consideratio, ex consensu veterum Doctorum.

LESSIVS: *Illa Religio est Christo imputanda, & ceteris omnibus præferenda, in quâ est summa Doctorum omnis ætatis & regionis circa fidei capita consensio; in quâ controuersiarum omnium facilis terminatio; à quâ si recesseris, nihil certi habeas quò te conferas. Atqui talis est sola Religio Catholica. Ergo hæc sola est vera Christi Religio.*

Responsio Meisneri ad Maiorem, de consensu Doctorum.

Meisnerus pag. 287. *Lubenter concedimus, ve-*

ram Religionem esse vnam: non tamen contrà, vbi est vnitas & consensio, statim est vera & Apostolica Religio. Pag. 287. *Eò quòd quilibet error etiam in se sit vnus, proinde consensus Doctorum nudè sumptus, non perhibere potest certum veritati testimonium.*

Refutatio.

Primò, Est stolidissima ratio illa Meisneri, *quia quilibet error in se est vnus, ideò non posse colligi veritatem Ecclesiæ ex vnitate consensionis Doctorum omnium in capita fidei.* Tale enim erit illud Meisneri Argumentum, si ritè disponatur: Vnitas consensionis in errorem aliquem inuenitur in quolibet congregatione circa idem caput errante; ergo vnitas consensionis in omnia veræ fidei capita, non est signum distinctiuum veræ Ecclesiæ. Consequentia probatur, Quia distingui non possunt, consensus in vnum aliquem errorem, & consensus in omnia capita fidei; consensus aliquot hominum, à consensu omnium Doctorum; consensus breuis temporis, à consensu omnium ætatum. Nam in quem vnum errorem hæc omnia simul aliquando conuenerunt?

Secundò, Si verum est, quòd quilibet error in se sit vnus, quomodo verè dicit posteà Meisnerus, responsione ad Minorem, *Catholicos in suo errore esse tam discordes & varios, vt neget inter eos esse vnitatem consensionis in doctrinâ*: Quomodo Lutheranismus & Caluinismus (qui nobis Catholicis aliisque omnibus, sunt singuli hæreseon errores) singuli in tot tamque diuersas sectas sunt dissecti? Quid denique erunt schismata, si quilibet error in se est vnus? Quomodo veritas vnitate

tate, error multiplicitate diſtinguetur, ex veteri illo ſcito, *Vna veritas, error multiplex*?

Reſponſio vtriuſque ad Minorem.

Minor erat: *Atqui in ſolâ Religione Catholicâ ſumma eſt Doctorum omnis ætatis & regionis circa fidei capita conſenſio, & facilis controuerſiarum terminatio.*

Meiſnerus pag. 298. *In regno Papali externa circa Religionem cõſenſio reperitur: quæ ſi penſiculatiùs examinetur, longiſſimè à verâ & Chriſtianâ conſenſione abeſſe deprehẽditur.* Hoc vt probet Meiſnerus,

Primò adfert ſeptem titulos conſenſionis Catholicæ ex Flaccio; nempe quòd ſit *Satanica, Politica, Pecuina*, &c.

Secundò, Pag. 306. adfert quinque diuerſas ſpecies Theologiæ Papiſticæ, nempe *Lombardicam, Thomiſticam, Monaſticam, Interimiſticam, Ieſuiticam*: quas omnes ait *ſecum ſummis præcipuiſque in rebus diſſentire.*

Tertiò adfert pag. 309. exempla aliquot diſſenſionum inter Catholicos in *quæſtionibus quibuſdam ſpecialibus*, vt ait, *& minoris momenti.*

Brandius pag. 74. & ſequentibus adfert Patrum teſtimonia, quæ aduerſari ait præcipuis ferè capitibus fidei Catholicæ modernæ.

Refutatio.

Primò, Quod attinet ad Matthiæ Flaccij titulos, & reliquas calumnias, eæ omnes pridem refutatæ ſunt à viris doctiſſimis, Bellarmino, Caniſio, & aliiș.

Secundò, Quod attinet ad diſſenſionem Ca-

tholicorum Doctorum in specialibus quæstionibus; quoniam hæ non sunt fidei capita, nihil ea dissensio interpellat consensum, quem pro Ecclesiæ notâ Lessius vindicauit. Vide Adamum Contz cap. 16. De falsâ Germ.pace.

Tertiò, Vt Meisnerum faciamus nouum quintuplicis illius Theologiæ nomenclatorem, nulla tamen est earum quæ in aliquo fidei capite ab alterâ dissentit. Omnes enim hæ Theologiæ (quas libuit Protestantibus ita variè appellare pro variâ vertigine suâ) admittunt *Liberum arbitrium, Opera bona, Meritum, Missam pro viuis & defunctis, Vota monastica, Ieiunia, Festos dies, Inuocationem Sanctorum,* &c. Vnde neque Meisnerus ipse vel vnum verbum produxit ex aliquâ harum Theologiarum, quo videantur inter se de hisce capitibus dissentire; sed quæcumque adfert, sunt adiaphoræ disputationes, in quibus liberum est pro vnâ alteráve parte opinari sine dissensione in fide. Deinde, singuli harúmce partium milites arma Pontifici summo, vel ad eius nutum, submittere sunt parati; neque vlla harúmce partium alteram hæreseos damnat, vt faciunt singulæ Protestantium sectæ.

Mendacia Meisneri refutata.

Pag. 307. *Lombardus lib. 4: Distinct. 4. reiicit opus operatum in sumptione Sacramentorum.* Falsissimum id est; quia ibidem Lombardus dicit, *paruulis conferri gratiam per Baptismum.* Atqui id in Lombardi sententiâ non potest fieri ex opere operantis, cùm nec pueri, eo auctore, fidem habeant aut meritum ante Baptismum: igitur ex opere

ope-

operato, hoc est, vi Sacramenti operantis per modum entis naturalis, absque cooperatione vllâ meritoriâ suscipientis. Sed Meisnerus (vt initio Præfationis suæ fatetur Theologum se esse parum exercitatum) non sciuit, credo, quid esset *opus operatum*.

Ibidem. *Ponit Communionem sub vtrâque specie, Distinct.* 11. *lib.* 4. Vult dicere Meisnerus de Communione laicorum, aliàs nihil diceret. At Lombardus ibi loquitur de solo Sacerdote celebrante & communicante.

Ibidem. *Indulgentiarum planè non meminit.* Meminit clarissimè lib. 4. Distinct. 26. *Indulgentia,* inquit, *diuersis modis accipitur, pro concessione, pro* REMISSIONE, *pro permissione.*

Pag. 309. *Iesuitæ communicationem idiomatum tollunt.* Hoc verum est, si de Lutheranâ communicatione idiomatum sit sermo; iuxta quam Diuinitas est mortua, & Christi corpus est vbique, sicut Diuinitas; non autem tollunt eam, quam Scriptura sacra & omnes sancti Patres statuunt: nam quotquot hactenus scripserunt Iesuitæ in Tertiam partem D. Thomæ, vbi de communicatione idiomatum agitur, quæst. 16. omnes, nullo excepto, communicationem asseruerunt.

Responsio vtriusque ad Confirmationem Minoris.

Confirmatio Lessij erat huiusmodi: *Si denuò post Apostolos contra doctrinam Apostolicam esset in Ecclesiam introductum nouum aliquod dogma, ostendi posset, quo sæculo, quâ ætate id factum esset; quo loco,*

& auctore, quinam se huic dogmati opposuerũt? Nullum enim dogma sine magnâ commotione & contradictione introduci potest: sic enim de singulis hæresibus ostendere possumus, quo tempore & loco, & quo auctore introductæ primùm sint, quinam se illis opposuerint. Quòd si de singulis hæresibus id ostendi potest, quanto magis id ostendi posset de maximis Religionis capitibus, si aliqua innouatio in ijs esset facta? Perspicuum igitur est, Religionem Catholicam nostram non solùm ministrorum successione, sed etiam doctrinæ consanguinitate, vt loquitur Tertullianus, cum antiquâ & Apostolicâ congruere & continuari.

Meisnerus pag. 316. *Ad demonstrandam mutationem, non requiritur singularum circumstantiarum accurata notitia. Satis est, si modò demonstretur, fuisse aliam olim Apostolorũ Patrumque, aliam modernam & Romanensium doctrinam. Primò, Id docet parabola Christi, Matth. 13. vbi legitur, colonos inuenisse Zizania, quæ vnde aduenerint, & quo tempore, ipsi ignorabant: Dominus autem respondebat, quòd inimicus id fecerit hominibus dormientibus. Secundò, Exemplum doctrinæ Iudaicæ, quæ tempore aduentus Christi multis modis fuit corrupta, neque tamen ostendi potest vel auctor vel tempus. Tertiò, Exemplum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Quartò, Exemplum Ecclesiæ Papisticæ: multas enim corruptelas doctrinæ in eam inuectas esse, confessus est Adrianus VI. & Cardinales Pauli III. Dicant autem tempus, & nominent auctorem. Quintò, Exemplum politicarum mutationum. Sextò, Simılia. Meretrix nominatur, quæcumque extra legitimum matrimonium concepit & peperit, licet ignoretur, quando, vbi, à quo oppressa fuerit. Si quis in foueam inciderit, num negabis eum in foueâ esse, donec intel-*

intelligas, à quo & quando in foueam fuerit coniectus? Distinguendum enim est inter mutationem lentam & subitaneam. Quando Religio variatur subitò, tunc circumstantiæ loci temporisque notari plerumque possunt. Quando pedetentim, ipsique Episcopi dormiunt, tum puritatis antiquæ fieri inclinationem homines haud ita obseruant.

Pag. 320. *Quare impudens est postulatum Iesuiticum, quando vrgent, vt ostendamus, quo sæculo, quâ ætate, quo loco & auctore nouum dogma introductũ sit.*

Brandius pag. 73. *An igitur ob nostram ignorantiam rei alicuius veritas periclitaretur? Attamen vnde singula Papistarum commenta originem traxerint, facile est probare. A Gnosticis, imagines: à Saturnianis & Marcionitis, cælibatum & ciborum delectum: à Montanistis, traditiones humanas & Crucium signa: à Collyridianis, Sanctorum inuocationẽ: ab Anthropomorphitis, Deum corporatũ vt ipsi pingunt: à Pelagianis, arbitrij libertatem, & opera meritoria.*

Refutatio Meisneri.

Primò, In omni iudicio, etiam Politico, ad reum aliquem falsi conuincendum, necessaria est clara probatio loci, temporis, testium, & ipsius falsi, aliarumque circumstantiarum. Nam velim discere ex Meisnero, vbi aliquod huiusmodi tribunal sit, in quo sine circumstantiâ loci, temporis, aut testium res probata iudicetur? Suaderem creditoribus Meisneri, in Areopagitico illo puteali creditum abiurarent, & se repræsentasse dicerent: credi enim illis deberet, etiamsi nec soluti nominis diem, nec locum, nec apocham adferrent.

Secundò, Exemplum parabolæ de zizaniis ab ini-

inimico (cùm dormirent homines) ſeminatis, facit pro æquiſſimâ poſtulatione Leſſij, vt non niſi à dormiente Meiſnero videatur eſſe contra eam allata. Quæ enim clariores circumſtantiæ exprimi potuiſſent, quàm hæ duæ, temporis & perſonæ? *Inimicus homo* hoc fecit *cùm dormirent homines*. Conſtitit ergo, à quo & quando zizania fuerint ſuperſeminata; ſicut conſtat de Troiâ captâ, etſi dormientibus omnibus

Inuadunt vrbem ſomno vinoque ſepultam.

Quid? quòd ſeminata quidem clanculùm, ſed non item clàm nata, eodem loco zizania exprimantur? imò ſtatim inter vtiles fruges dicuntur obſeruata? *Cùm autem creuiſſet herba*, diu nempe ante meſſem. Imò nominantur ij quoque, qui ſe zizaniis oppoſuerunt: *Accedentes autem ſerui patrisfamilias, dixerunt: Vis imus, & colligimus ea?* Quæ quatuor, ſi vmquam in Eccleſiâ Catholicâ, circa vlla doctrinæ zizania ſeminata aut nata adnotare poſſit Meiſnerus, dabimus herbam. Sed ſuadeo Meiſnero, ne ampliùs Parabolis tam infeliciter vtatur: periculoſam rem eſſe prônuntiauit Salomon, Prouerb. 26. *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti*, SIC PARABOLA IN ORE STVLTORVM. Parabolâ hac ingenioſiſſimè vſus eſt P. Becanus noſter c. 15. Diſput. De auctore peccati, aduerſus Caluiniſtas, ex eaque probauit firmiſſimè, Caluiniſtarum Deum eſſe diabolū, hoc modo: *Quicumque ſeminauit Zizania, eſt diabolus, teſte Chriſto. Sed Deus Caluiniſtarū ſeminauit Zizania. Ergo eſt diabolus.* Minor probatur, *Quia ſeminare Zizania nihil aliud eſt, teſte Chriſto, quàm homines reprobos miſcere cum iuſtis ſeu prædeſtinatis in*

hoc

hoc mundo. Hoc autem facit Deus Caluinistarum duplici modo: Primo, Quia æterno suo decreto efficaciter voluit & ordinauit, vt inter paucos prædestinatos permixti essent multi reprobi. Secundo, Quia hoc decretum ipse exsequitur impellendo, incitando, operando, vt homines excæcentur, peccent, obdurentur. Ergo, &c.

Tertiò, Falsum est, doctrinam Iudaicam id temporis olim fuisse corruptam, vt ostensum alibi. Tamen qui se à Iudaismo olim in schismata absciderunt, nominantur ab iis omnibus passim, qui de Hebræorum rebus scripserunt, adnotatis auctore, tempore, aduersariis, vt constat ex Iosepho, Philone, Sigonio, aliisque: quemadmodum dicit Lessius circa omnes hæreses nascentes factum.

Quartò, Tempus, quo Constantinopolitana Ecclesia schismatica facta est, notatur à Baronio Cardinale anno 858. auctor schismatis, Photius eunuchus Patriarcha. Opposuerunt se eius schismati, Nicolaus Papa, & Leo Imperator VI.

Quintò, Mendacium est, in Catholicā nostram Ecclesiam vllam doctrinæ corruptelam irrepsisse vllo tempore; adeòque, id sic dicere, vbi probandum erat, est principium petere. Neque Meisnerus testem vllum laudat, qui id dixisse Adrianum Papam aut Cardinales scribat. Vt demus tamen hoc Meisnero, errores nempe in Catholicam doctrinam irrepsisse, mirum quâ fronte hìc dicat, eorum auctores aut tempus nominari non posse, quando ipse hac ipsâ Consideratione quintuplicis nostræ Theologiæ, Lombardicæ, Thomisticæ, Monasticæ, Interimisticæ, & Iesuiticæ auctores singulos, & successionis ordinem narrat.

Imò

Imò Brandius pag.74. ait: *Qui id nescit, quis se dogmatibus illis nouis* (Catholicæ Ecclesiæ) *opposuerit, is nihil scit.* Meisnerus verò ipse pag.307. scribit, *Lombardũ à Sententiariis sæpè refutatũ, hac adscriptâ formulâ, Hîc Magister nõ tenetur.* Pag.304. *Iesuiticam Theologiam prioribus in multis contradixisse.* Pag.310. *pugnasse inter se circa dogma dubitationis, Sotum & Catharinum; circa Communionem sub vtrâque specie, Staphylum, Concil. Constantiense, & Ius Canonicum; circa dogma de Pontificis potestate, Canonistas & Iesuitas; de peccato originali, Durandum, Okamum, & Pighium; de gratia efficaciâ, Becanum & Bellarminum.*

Quæ si ita sunt, & tam in generalibus quàm particularibus dissidiis Catholicorum nominari possunt auctores, & tempora, & aduersarij qui se opposuerunt (vt ab ipso Meisnero censeantur) quomodo mutationem hanc Papisticæ Religionis, pro exemplo clancularia corruptelæ Meisnerus adducit, velut incerto auctore, incerto tẽpore, nullis contradicentibus in Ecclesiam introductæ?

Quamuis, vt hîc obiter addam, Catholicorum dissensiones non sunt circa dogmata ab Ecclesiâ definita, sed circa adiaphora, ad modum explicandi pertinentia: & omnes parati sunt in omnibus stare iudicio Ecclesiæ. Quod si facerent Lutherani & Caluinistæ, non essent hæretici.

Sextò, Affirmasse alicuius Reipublicæ indeprehensam mutationem, sine exemplo, aut sine teste, non sufficit. Id enim quæritur, quæ Respub. vbi, quando tota mutata sit, nullo obseruante, nullo id testante, nullo repugnante? Scimus quo anno apud Romanos Regia potestas mutata est in Consularem,

rem, quando Consulatus in Dictaturam, quando in Decemuiratũ, quando in Imperatoriam dignitatem. Easdem mutationes nouimus in Græciâ aliisque Rebuspublicis factas, quo tempore, quibus auctoribus, &c. Quæ ergo Respub. tota ita clàm mutata est, nullo obseruante? Ciconiarum, opinor, quæ aduenisse quidem & auolasse videntur, quâ verò horâ, quâ nocte, nescitur.

Septimò, Quod è lupanari adfert Meisnerus, pro insigni castimoniâ suâ, satis nempe esse probatam meretricem, quæ edito extra coniugium fetu mulierem se probauit, etiamsi neque de oppressore neque de tempore constet in vulgus; mirè ad rem appositum est. Siquidem Catholica nostra Ecclesia allegorico hoc sensu erit meretrix, falsus Doctor erit oppressor, fetus erit falsum dogma. Iam rogat Meisnerus, an si constet meretricem peperisse extra matrimonium, non credemus esse meretricem, nisi antè noscamus oppressorem & tempus? Si vento conciperent hæ lupæ, Meisnere, vt equæ alibi, non foret inepta quæstio. Sed Ecclesia nostra Christo sponso est nupta, & fatemur peperisse, sed genuinum fetum probi dogmatis. Si de oppressore & tempore nihil habes, quomodo meretricem potiùs probabis quàm coniugem? Itáne tu crederes, vxorculam tuam Veneris partes egisse, si quis diceret cum eâ iacuisse aliquem Martem, nullo tempore, nullo loco, nullo Marte, nullo teste nominato? Quid si & sine te vxorem factam esse quis diceret, an non virum te probare deberes? Quot tu curruca cuculi pullos haberes!

Octauò, In foueam igitur si quem incidisse videro, in foueâ eum iacere credam oculis meis: non credam

credam tamen, si se præcipitem datum ab alio clamet, nisi videro, donec tempus, auctorem, occasionem mihi probet. Cur enim credam potiùs, deiectum ab alio, quàm imprudentiâ lapsum? Cecidit, prô dolor! Meisnerus in foueam quam fecit; adeoque id mihi credere debet sine teste, sine circumstantiâ temporis aut loci.

Nonò, Volo ex te scire, Meisnere, qui Episcopi, quando ita dormierint, vt mutatio hæc tanta facta sit nemine aduertente? Et tu, vigilasti ne tum inter anseres Capitolinos pernox excubitor, cùm canes illi omnes stertebant? Sed Deus, dormientibus Episcopis, Meisnere, etiámne dormiebat alibi in tabernâ cum Deo Baal? & tu solus tum excubabas, quando inuadebant Ecclesiam

——— *somno vinoque sepultam?*

Dignus profectò es, cui ex publico ærario, cum anseribus, diurnum pabulum apud Prætorem decernatur: digni sunt Episcopi illi omnes, quibus crura cum Capitolinis canibus suffringantur.

Decimò, Quod ex Hippocratis aut Galeni scholâ deniq; adfers de morbo sensim nascente, cuius neque caussa neque origo sciri potest, cùm certò tamen posteà de aperto morbo sciatur, inuitis Gratiis adfers contra illius monitum:

Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen: vetat hoc natura medendi.

Quæro enim, an quando morbus se iam prodit (licet occultâ ex caussâ & origine natus) non prodat se, conscio ipso ægrotante? An non æger etiam è somno suscitetur, si febris est vehementior, si dolor morbi acerbior? An non statim aduocentur Medici, qui morbo se opponant? An non magna fami-

familiæ fiat perturbatio, si morbus est magnus & inusitatus? Ostende igitur similiter, Meisnere, hæc facta in Ecclesiâ, si noui & inusitati alicuius dogmatis morbus eam aliquando occupauit? Si facta non sunt, fortè fuerit cœpta aliqua morbi tentatio, sed morbum non processisse fatendum est. En quanto tu meliùs, Meisnere, Harpocratem quàm Hippocratem consuluisses.

Refutatio Brandij.

Primò, Falsum esse, *singulorum illorum capitum originem inter Catholicos primùm ab hæreticis manasse*, satis opinor demonstrarunt Bellarminus & alij, qui horum omnium vsum, viguisse priùs in Ecclesiâ ostenderunt, quàm vlla earum omnium hæreseon esset nata; adeoque longè alia à Catholicis, imò semper ferè contraria, docuisse hæreticos.

Secundò, Contrà de Lutheranorum & Caluinistarum hisce ipsis dogmatis contrariis, ostendi potest, eorum singula ab hæreticis esse accepta: verbi gratiâ, *Imaginum colendarum contemptum*, à Xenaiâ Persâ, apud Niceph. lib. 16. cap. 27. *Cælibatus & ieiuniorum abolitionem*, à Iouiniano: vt ex Hieronymo constat: *Sanctorum inuocandorum detestationem*, à Vigilantio, apud Hieronymum Contra Vigilant. *Liberi arbitrij seruilem mancipatum*, à Manichæis, teste Hieronymo Præfat. contra Pelag. *Meritorum & bonorum operum abiectionem*, ab Eunomianis, teste August. lib. De hæres. cap. 54. Id quod de singulis ferè Protestantium dogmatibus eodem modo ostendi potest, estque robustissimum argumentum, quo probare possint, se non nuper natos, (quod toties, prô dolor! eis iniuriosè

obiicitur) ſed originem ab antiquiſſimis hæreticis ducere, qui Apoſtolorum & Patrum primorum fuêre æquales; quemadmodum ex viginti hæreſibus, iam tum primorum ſex ſæculorum interuallo damnatis (quas hoc iterùm tempore docent Proteſtantes) demonſtratum eſt à Cardinale Bellarm. lib. De Eccleſ. notis, cap. De conſenſu doctrinæ. Inſignem verò centunculum (ex omni ferè hæreſi ſicut ex fruſtillis conflatum) quo ſe Horatianæ illæ Nouatorum noſtrorum corniculæ inuoluunt, ſpectandum propoſuit facetis hiſce verſibus Ronſardi, Florimundus Ræmundus lib. 1. De origine hæreſ. cap. 16.

Ac veluti pauper Corydon, valdè obſitus annis
Panniſq; ad ripam fluuij, aut poſt mœnia, fœdæ
Siue cloacinæ quocumque in fornice, mille
Colligit articulos, fruſtilláque ſtercore plena;
Aſportátque domum, diſponitque ordine, deinde
Eluta, defricta & depexa reconſuit, & ſic
Centonem mirâ tandem conſarcinat arte:
Sic ſimili ſunt cuſa Lutheri dogmata Marte.



HER-

HERMANNI HVGONIS
E SOCIETATE IESV

DE VERA FIDE CAPESSENDA

LIBER TERTIVS:

Quo asseritur nona R. P. LEONARDI LESSII *Consideratio, & XII. Notæ, siue Rationes, ob quas suspectæ haberi debent Lutherana, Caluiniana & Anabaptistica Religiones.*



RIORE Libro demonstratum est, octo certissimis Lessianis indiciis veram Ecclesiam infallibiliter deprehendi posse, eorumque nullum quadrare in Ecclesias Lutheranam, Caluinisticam, aut Anabaptistarum.

Superest illud cum Lessio ostendamus, quibus ex signis Lutherana, Caluinistica, Anabaptistica Religiones meritò debeant haberi suspectæ.

Lessius id genus signa attulit omnino duodecim. Primum est, Nouitas. Secundum, Defectus successio-

cessionis. Tertium, Defectus missionis. Quartum, Defectus miraculorum. Quintum, Vita & morum conditio. Sextum, Errores & inconstantia doctrinæ. Septimum, Dolus malus & fraudes. Octauum, Euersio bonorum operum. Nonum, Licentia vitæ. Decimum, Antiquarum hæreseon renouatio. Vndecimum, Defectus regulæ credendi. Duodecimum, Absurdum.

Aduersus hæc digladiantur Meisnerus & Brandius, quorum responsa Lessianis semper Argumentis subiungam. Quia verò in singulis Considerationibus, Libro secundo vindicatis, Lessius obiter quoque de his hæreseon notis fecerat mentionem, Argumenta, ibi consultò à me omissa, hîc primùm cum aduersariorum responsis meâque refutatione adnectam, quòd ita clarior multò disputatio sit euasura.

Prima Lessij Ratio, ex Nouitate.

LESSII ratiocinatio vniuersa includitur hoc syllogismo:

Nulla Religio noua potest esse Religio Christi. Lutheri & Caluini & Mennonis Religio est noua. Ergo Lutheri, Caluini, Mennonis Religio non potest esse religio Christi.

Maiorem probat: *Quia Religio Christi est quasi forma & anima Ecclesiæ Christi. Ecclesia autem, seu Regnum Christi, res antiqua est & inexterminabilis, aduersus quam portæ inferorum non praualebunt. Ergo & Religio est res antiqua, per quam vt per animam Ecclesia Christi subsistit.*

Prima

Prima responsio Meisneri ad Maiorem.

Pag. 360. *Nouitas duplex est, altera vera, altera apparens. Quæ Religio noua & vltimis primùm sæculis inuenta est, illa vtique falsa censeri debet*, &c. *Quòd si Religio aliqua tantùm sit renouata, & ab erroribus pristinis repurgata, atque sic dumtaxat apparenter noua, falsitatis ista accusari non debet.*

Refutatio.

Primò, Æquè insignis hebetudo est, hanc Lessij propositionem, *Nulla noua Religio potest esse Religio Christi*, distinguere per nouitatem apparentem & veram, ac si quis ad hanc propositionem, Nullus homo est equus, responderet distinguendo inter hominem apparentem & verum.

Secundò, Supponere quòd vera Religio obnoxia esse possit erroribus, quibus opus habeat perpurgari, est veræ Ecclesiæ subtrahere *columnam & firmamentum veritatis*, contra Apostolum 1. ad Timoth. 3.

Secunda responsio Meisneri.

Pag. 363. *Speciosum quidem antiquitatis nomen est; quòd si tamen nuda tantùm temporis antiquitas intelligatur, sine conuenientiâ cum antiquis scriptis Propheticis & Apostolicis; tum multis sectis, vt Paganismo, Iudaismo, ac Mahumetismo competit; ideóque non certa veritatis tessera, sed ficulneum falsitatis* πρίζωμα *meritò censetur*, &c. Inferiùs: *Quare nouitatis obiectio neminem in fide turbare debet*, &c. *Frustraneum est, nudam antiquitatem crepare, & perpetuas nouitates obiicere. Missum fiat hoc peregrinum ex-*

ternúmque Argumentum, &c. *Ridiculum enim, imò iniquum est, velle nouitates obiicere, & nihilominùs Scripturarum certamen subterfugere.*

Brandius maiorem Lessij propositionem admittit.

Refutatio.

Primò, Lessij Maior erat hæc negatiua: *Nulla Religio noua potest esse Religio Christi.*

Meisnerus dolo malo ad hanc negatiuam respondet, quasi fuisset talis affirmatiua: *Omnis Religio, quæ antiqua est, est Religio Christi.* Nam quid alioqui ad rem facit obiecta antiquitas Paganismi, Iudaismi, aut Mahumetismi? Sint hæc antiquissima; tamen verum nihilominùs est, *nullam Religionem verè nouam posse esse Religionem Christi*, quæ Lessij erat Maior. Ineptit ergo pueriliter Meisnerus, neque quidquam adfert contra Lessij propositionem.

Secundò, Non video quo vel pelliceo perizomate Meisnerus tot suas antilogias teget. Suprà fatetur, *Religionem, quæ verè noua est, certò falsam esse*: hîc rescribit, *Nouitatis obiectio neminem in fide turbare debet*, &c. *Ridiculum enim, imò iniquum est, velle nouitates obiicere.* Laudo Meisnerum, qui quòd se implicatum videret, orat instar vulpeculæ, vti missum fiat hoc *peregrinum externumque Lessij Argumentum.*

Minor propositio argumenti Lessiani erat ista: *Lutheri, Caluini, Mennonis Religio est noua.*

Responsio vtriusque ad Minorem.

Brandius pag. 95. *Negamus Protestantium Religionem esse nouam.*

Meis-

Meisnerus pag. 365. *Fidem nostram orthodoxam minimè nouam, sed verè antiquam palàm & disertè pronuntiamus. Duo autem infallibilia sunt antiquitatis τεκμήρια. Primum est, conuenientia cum Scripturis: alterum, continuatio & propagatio per singula sæcula.*

Conuenientiam cum Scripturis probat decem fidei suę articulis. Quos non aliter refellam, quàm ostendendo, quòd in plerisque etiam iisdem articulis Lutherana fides dissentiat à Scripturâ.

Articulus de Scripturâ.

Meisnerus pag. 365. *Docemus, in dogmatibus fidei nihil esse recipiendum, in cultu diuino nihil suscipiendum, nisi quod Deus nobis verbo suo reuelauit,* &c. *Ideò nihil credendum aut faciendum Christiano, nisi ex Scripturâ certus sit, Deum istud credi fieriq́ue à nobis velle.*

Refutatio.

Primò, Hic articulus repugnat Scripturæ 1. ad Corinth. 11. *Laudo vos, quòd per omnia mei memores estis; & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Quæ præcepta de modo orandi & sumendâ Eucharistiâ nusquam fuisse scripta, docent eo loco Chrysostomus & Theophylactus. Item 2. ad Thessalon. 2. *Itaque fratres tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram.* Denique 2. & 3. Epist. Ioan. *Multa habens scribere vobis, nolui per chartam & atramentum.*

Secundò, Repugnat hisce verbis Lutheri in Protestatione: *Primùm protestor, me prorsus nihil dicere, aut tenere velle, nisi quod in & ex Sacris lite-*

ris primò, deinde ex Ecclesiasticis Patribus ab Ecclesiâ Romanâ receptis, hucusque seruatis, & ex Canonibus ac Decretalibus Pontificiis habetur & haberi potest. Item illis Confess. De Cœnâ: *Ex corde concedo Cœnam Sacramentum esse, etiamsi in Sacris litteris non ita vocetur.*

Articulus de Iustificatione.

Meisnerus pag. 367. & 368. *Docemus, hominem sine vllis meritis operum, solâ fide in Christum iustificari.*

Refutatio.

Primò, Hic articulus repugnat Scripturæ 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Item Iacobi 2. v. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidē quis dicat se habere, opera autem non habeat; numquid poterit fides saluare eum?* &c. *Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsâ,* &c. *Ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm,* &c.

Secundò, Repugnat hisce verbis Lutheri in Visitatione Saxonicâ: *Multi clamant, bona opera nihil promereri: sed multò magis conduceret, si homines ad bona opera facienda compellerentur. Multi dum audiunt, fide hominem iustificari, fingunt omnia sibi peccata remitti per fidem, putant omnino se esse mundos, & sic temerarij & securi fiunt. Huiusmodi securitas cum maiore est coniuncta errore, quàm quidquam aliud anteà fuit.*

Articulus de impletione Legis, & bonis operibus.

Meisnerus pag. 369. *Docemus, nullum hominum in*

in hac vitâ Legem perfectè implere, nedum aliquid supererogare posse: ideoque ex solâ gratiâ, & per nulla operum merita fideles saluari.

Refutatio.

Primò, Repugnat hic articulus Scripturæ, Iosue cap. 11. *Sicut præceperat Dominus Moysi seruo suo, ita præcepit Moyses Iosue, & ille vniuersa compleuit. Non præteriit de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum, quod iusserat Dominus Moysi.* Item Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* & 1. Ioannis 5. *Mandata eius grauia non sunt.*

Secundò, Repugnat hisce verbis Lutheri in Visitatione Saxonicâ: *Idcircò decem præcepta Dei diligenter prædicari debent, vt per ea mereamur.* Istis item, Sermone De indulgentiis: *Ideò data sunt nobis à Deo præcepta, vt per ea mereamur.*

Articulus de certitudine salutis.

Meisnerus pag. 371. *Docemus, ideò Christum Ministris suis dedisse potestatem absoluendi à peccatis, & instituisse sacrosanctam Cœnam, &c. vt ita fides nostra confirmetur, & nullam omnino de remissione peccatorum aut de gratiâ Dei dubitandi ansam habeamus.*

Refutatio.

Primò, Hic articulus Scripturæ repugnat, Ecclesiastæ cap. 9. *Nescit homo vtrùm odio vel amore dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Item Ecclesiastici cap. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

 Secundò,

Secundò, Repugnat hisce verbis Lutheri, Thesi 10. Wittenbergæ anno 1517. propositâ, *Nullus securus est de veritate suæ contritionis, multò minùs de consecutione plenariæ remissionis*. Item De decem præceptis: *Incertum est homini num sit in statu salutis nec ne.*

Articulus de solo Deo inuocando.

Meisnerus pag. 372. *Honoramus quidem Sanctos, sed non inuocamus; quia in Scripturis nec exemplum, nec præceptum, nec vllam promissionem habemus.*

Refutatio.

Primò, Hic articulus repugnat Scripturæ, Iob cap. 5. vbi Eliphaz loquitur: *Voca, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Item Exodi 32. Vbi Moyses orat in hæc verba: *Recordare Domine Abraham, Isaac, & Israel, seruorum tuorum.*

Secundò, Repugnat verbis Lutheri, in purgatione quorumdam articulorum: *De intercessione Sanctorum cum totâ Ecclesiâ Christianâ sentio, & iudico, Sanctos à nobis honorandos esse atque inuocandos.* Illis item de præparatione ad mortē: *In mortis articulo beatam Virginem, Angelos, propriū Apostolum, & Sanctos reliquos quibus in vitâ seruiuit inuocare non cesset, vt pro se intercedant ad Dominum.*

Articulus de Satisfactionibus, & Purgatorio.

Meisnerus pag. 373. *Docemus, clementiæ & reuelatæ Dei voluntati repugnare, quidquid de satisfactionibus & pœnis vel ante vel post mortem in Purgatorio luendis dicitur.*

Refu-

Refutatio.

Primò, Hic articulus repugnat Scripturæ, Danielis 4. *Peccata tua eleëmosynis redime.* & Prouerb. 16. *Misericordiâ & veritate redimitur iniquitas.* denique 2. Machab. 12. *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

Secundò, Repugnat verbis Lutheri in Assert. artic. 5. *Hoc libens concesserim, quòd Ecclesia Mater pio affectu præuentura manum Dei, castigat filios suos satisfactionibus quibusdam, ne incurrant flagella Dei.* Item Disputatione Lipsiacâ cap. De Purgatorio: *Ego credo fortiter, imò ausim dicere, Scio esse Purgatorium: facilè persuadeor de eo in Scripturis fieri mentionem.* Denique aduersus Bullam Tom. 7. *Purgatorium numquam negaui, & adhuc credo, vt sæpè scripsi, & confessus sum.*

Articulus de Missâ.

Meisnerus pag. 373. *Discimus & docemus nos ex verbo Dei, Christum esse vnicum Sacerdotem nostrum summum, vnoque sacrificio omnia peccata expiasse, &c. Meritò igitur in nostris Ecclesiis Missam Papalem omittimus, quia in Scripturis non est fundata, sed potiùs contradicit omnibus dictis de vno Mediatore Christo.*

Refutatio.

Primò, Repugnat hic articulus Scripturæ, Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Nullum enim aliud esse potest sacrificium secundũ ordinem Melchisedech, nisi

nisi quod in Cœnâ Christus obtulit sub speciebus panis & vini: quod si iam numquam offertur ampliùs, otiosum sanè est Christi Sacerdotium, Actor. item 13. vbi dicitur, *Ministrantibus illis*, pro quo Græcè est λειτουργούντων, id est, sacrificantibus. Matth. denique 26. *Hoc facite in meam commemorationem*. quibus verbis Christus iussit Apostolos suos idem facere quod ipse fecit. Sacrificauit autem ipse. Apostolos igitur & sacrificare iussit.

Secundò, Repugnat hisce verbis Lutheri, De tertio præcepto: *Sunt quinque facienda pro sanctificatione Festi,&c. Primum, audire Missam.*

Articulus de Primatu Papæ.

Meisnerus pag. 374. *Vulgò iactatum Pontificis Romani Vicariatum suprà Consideratione 7. art. 2. ostendimus illum sacris Scripturis aduersari.*

Refutatio.

Primò, Hic articulus repugnat Scripturæ, Ioannis cap. vlt. *Pasce oues meas.* Quo loco Christus Petro commendauit omnes oues suas, etiam secuturis temporibus futuras: qui cùm non semper sciretur victurus, in eo Christus etiam successores fuit allocutus; hisce enim æquè est opus ad regendum huius sæculi gregem, atque ijs temporibus opus erat Petro.

Secundò, Repugnat verbis Lutheri in Resolutionibus quarumdam propositionum, editis anno 1519. *Primum, quod me mouet, Romanum Pontificem esse aliis omnibus Superiorem, est ipsa voluntas Dei*, &c. *Neque enim sine voluntate Dei in hanc Mo-*

Monarchiam venire vmquam potuisset Romanus Pontifex.

Manifestum igitur est, hisce ipsis articulis Lutheranam Ecclesiam dissentire à Scripturâ, quibus Meisnerus facit eam consentire: imò Lutherum ipsum iisdem articulis repugnasse.

Quod verò de propagatione adfert, dignissimum lectu est, vel ad condiendum fastidium longiusculæ huius disceptationis.

Meisneri prima Assertio de fidei suæ propagatione.

Pag. 381. *Paucis indicabimus, quomodo & apud quos Religio nostra ante Lutherum in Papatu conseruata & propagata fuerit.*

Dicimus ergo Primò, Illam semper conseruatam esse ratione sui in sacrosancto Scripturarum codice, cuius prælectio in Ecclesiâ Romanâ publicè sonuit. Ex quo deducimus, ne vnum quidem dogma à nobis defendi, quod non quouis tempore publicos præcones habuerit, nempe per sollemnem prælectionem textus Biblici.

Pag. 382. *Habemus ergo hîc duplicem conseruatæ fidei modum, dum semper extitit: Primò, ratione sui, in Scripturis ipsis; Secundò, Ratione publici præconij, in sollemnibus Scripturarum præconibus.*

Refutatio.

Primò, Constat hæc falsa & ridicula esse, vel ex ipsis Meisneri verbis pag. 375. versu 4. à fine: *Certò,* ait, *infertur,* [ex consensu cum Scripturis] *Religionem nostram semper extitisse, etiamsi nos vbi locorum fuerit exponere non valeamus.* Si non valeat

leat exponere vbi locorum fuerit, quomodo hîc exponit Meisnerus, *fuisse publicè lectam à publicis præconibus inter Papistas in omnibus Academiis & Ecclesiis Papisticis?*

Secundò, Ex verbis etiam Brandij pag. 73. *An igitur ob nostram ignorantiã rei alicuius veritas periclitaretur?* Prô dolor, Brandi, eâ fide vir es, nósque eâ simplicitate homines sumus, vt tibi ex ignorantiâ affirmanti quantumuis multa, nihil credamus.

Tertiò, Cui homini sano hæc non videbuntur insana, & Anticyris digna? Catholicos, dum publicè legerunt Biblia, præcones fuisse Religionis Lutheranæ, eamque tum apud Catholicos extitisse? Ita enim etiam apud Lutheranos extiterit Religio Caluinistica & Anabaptistica (quod negabunt tamen Lutherani) eodemque modo omnes hæretici (qui semper vsi sunt patrocinio Scripturæ) dicent nouas olim hæreses suas extitisse in Ecclesiâ primitiuâ.

Meisneri secunda Assertio.

Pag. 384. *Dicimus secundò, benè multos nominari posse, qui verè ad Deum conuersi, fideique nostræ Lutheranæ ante Lutherum in Papatu addicti fuerunt: quod vt demonstretur perspicuè & distinctè, nominamus*

Primò, *Infantes baptizatos*, &c. *Ne autem existiment, nostram Ecclesiam tantùm fuisse infantilem; nominamus*

Secundò, *Moribundos, quorum multos in agone mortis fuisse conuersos, nullum est dubium*, &c.

Pag. 385. *Verùm ne vlteriùs cauillentur, nos moribundam tantùm habuisse Ecclesiam; nominamus*

Ter-

Tertiò, *Christianos viuos, sed latentes*, &c.

Pag. 386. *Tandem ne calumnientur, nos dumtaxat mutam habuisse Ecclesiam; ideò nominamus*

Quartò, *Martyres, & constantes veritatis Confessores, qui Papatui sese publicè opposuerunt.*

Pag. 387. *In primâ classe locamus integros cœtus, quò referimus Ecclesias VValdensium vel Pauperum de Lugduno; quorum doctrina Lutheranæ conformis fuit.* Pag. 389. *VValdensibus simul adiungimus Ecclesias Græcas*, &c.

In secundâ classe ponimus Imperatores, Reges, & Principes, qui sæpiùs restiterunt Pontificibus, &c.

Tertia classis comprehendit Doctores & Martyres, quorum catalogum hîc texere nimis prolixum foret.

Refutatio.

Quantum, quamque immensum Lutheranorum hîc nobis numerum Meisnerus

——— *demensum recitat*

Non modio, neque trimodio, verùm ipso horreo.

Cunas infantibus, sandapilas morientibus, speluncas tenebrionibus plenas. Papæ! quàm triumphantem Ecclesiam!

Sed primò, Quomodo moribundi & infantes in Papatu ante Lutherum baptizati, Lutheranam fidem habuerunt, cùm Lutherana fides ea sola sit, quæ à Luthero est purgata? Docent enim ipsi Lutherani, Papisticam fidem vniuersam ante Lutheri tempora fuisse corruptam, Lutherum autem primum fuisse illius purgatorem. Atqui Lutherus non potuit priùs purgasse fidem, quàm ipse inter homines extiterit; nec moribundi nec infantes ante Lutherum potuerunt habere fidem Lutheranam,

nam, quæ non est alia quàm quæ à Luthero fuit purgata.

Deinde, si per Baptismum Papisticum infantibus Lutherana fides infunditur, cur Lutherani ipsi dum baptizant infantes (quos sciunt etiam tum ratione vti) verbis concionatoriis suam eis fidem instillant? Commenta sunt hæc, quæ nec pro lallis possint ad infantium cunas memorari. Ita enim facetissimè argumentantur Lutherani: Luc. I. v. 44. dicitur de Ioanne, *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Si Ioannes infans in vtero habuit actum fidei, ergo etiam reliqui infantes habent actum fidei cùm in Baptismo sanctificantur. Ita nempe maturiùs sapiunt Lutherani pueri, quàm Phryges, qui semper sapiunt serò. Planè simile argumentum est, ait P. Becanus Tit. 1. Caluin. ac si dicas, *Asina Baal locuta est, cùm à Domino suo percuteretur, Num. 22. Ergo omnes aliæ asinæ percussæ etiã loquuntur alibi.* Quis iam non etiã putet verum esse:

Cruda puerperia, & viridis puer excidit alno.

Secundò, Qui viui latentes fidem Lutheri in latebris sunt professi, nondũ etiam noto natoque Luthero? Si latuerunt etiam viui, quomodo iam mortui patuerunt Meisnero? Si in latebris, vbi hæc eorum latibula, tam diu inaccessa, iam demum Meisnero patefacta? An Caci, an Trophonij Iouis antrum?

Tertiò, Quis vmquam ex vllo Scriptore intellexit, Græcas Ecclesias (etiamsi quidem à Pontifice desciuerint) abiisse ad dogmata Lutheranorum? Nec Græcia vmquam tam mendax fuit.

Quartò, Quis vmquam vllos Imperatores aut Principes ante Lutherum ea solâ re fidem Lutheranam

ranam habuisse dixit, quia nonnulli à Pontifice discessionem fecerunt? Tam inepta sunt hæc, vt nec audiri à cordatis, nec vllius calamo refutari mereantur. Quod verò de Waldensibus Meisnerus dicit, infrà discutiam aptiore loco. Sanè, veteri illi fabellæ citiùs credam, quæ Arcades facit lunâ antiquiores, quàm Lutheranam fidem credam ante Lutherum extitisse.

Minorem porrò hanc propositionem, *Lutheri, Caluini, Mennonis religiones sunt nouæ*, Lessius probauit hisce sequentibus Argumentis.

Primum Lessij Argumentum.

Quia possumus assignare eorum primos auctores, & locum, & tempus, & modum quo sunt introducta, & ostendere quinam se illis opposuerint, quantæ propter illas vbique commotiones & turbæ sint excitatæ, denique quomodo & à quibus damnatæ.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 591. *Sunt hæc signa fidei non prorsus innouatæ, sed tantùm renouatæ. Aliud est enim nouare, & aliud renouare*, &c. *Fuit nostra Religio non primùm instituta, sed restituta: reducta, non nouiter introducta*, &c. *Quare negamus, Lutherum fuisse primum eius auctorem, ideoq; non est noua, sed antiqua.*

Brandius pag. 95. *De Protestantibus assero, illos primum religionis suæ auctorem habere Christum. Illa Religio cœpit paulatim post Apostolorum tempora magis magisque collabi, & vergere ad Papismum*, &c. *donec Deus Ecclesiæ suæ misertus, eam à sordibus repurgare voluit, atque in eum finem aliquot viros excitauit*, &c.

Pag. 96. *Sed illi non debent tum illius Religionis auctores dici.*

Refutatio.

Primò, Lutherum fuisse primum Lutheranicæ fidei auctorem, constat vel ex verbis eius proximè recitatis Præfat. Tomi 1. Latini: *Primò solus eram.*

Secundò, Ex verbis M. Georgij Spalatini in Relatione de Confessione Augustanâ, ipsius Lutheri Tomis insertâ: *Confessio talis non solum non à mille annis, sed nec à condito quidem Orbe vmquam facta est. Neque vel in vllâ historiâ, neque apud vllum antiquum Patrem seu Doctorem talis confessio vspiam reperitur.*

Tertiò, Idem probatur posteriore Argumento Lessij, quod adfert in hæc verba: *Constat, veteres Patres & Doctores, qui singulis sæculis floruerunt, Lutheranæ Religionis non fuisse. Atqui in Ecclesiâ non fuit vmquam aliqua Religio habita pro antiquâ, aut Religione Christi, præter eam quam Patres & Ecclesiæ Doctores tenuerunt. Sequitur igitur, Lutheranam Religionem nec antiquam esse, nec Christi.*

Maiorem (prætèrquam quòd à nobis probata sit Libro superiore, Cõsideratione octauâ) probat Lessius his verbis: *Quia nec Lutherani nec Caluinistæ negare eam possunt, sed dicunt esse veterum næuos ea ipsa fidei capita, quibus secum dissenserunt. Pulchri sanè næui, superstitio, idololatria, impietas!* Quod verò huic responsioni Meisnerus & Brandius opponunt, explosum est superioris Libri eodẽ loco. Si autem (quod hîc Brandius addit pag. 97. vers. vltimo) *ex sacrâ Scripturâ, & non ex Doctoribus, doctrinæ vetustas discenda est*, iam nulla vmquam hære-

hæresis fuerit noua, cùm omnes habuerint Scripturam sacram.

Secundum Lessij Argumentum.

Ante annum Domini 1517. *Religio Lutherana non erat in mundo, similiter nec Caluiniana, nec Anabaptistica, quæ duæ sunt soboles Lutheranæ.*

Responsio Meisneri.

Pag. 392. *Clarissimum* ψεῦδος. *An enim Scriptura tum non fuit in mundo? Ergo & nostra Religio fuit, quia hæc in Scripturâ continetur.*

Refutatio.

Clarissimum Meisneri delirium. Nam Primò, Sic etiam Lutherana Religio fuisset ante ipsum Christum in mundo.

Secundò, Vel Religio Lutherana continebatur in Scripturâ habente spiritum internum Lutheranicum, vel non habente spiritum & sensum Lutheranicum. Non in non-habente spiritum & sensum Lutheranicum; quia sic Scriptura nihil de Lutheri doctrinâ habet. Non etiam in habente spiritum & sensum illum Lutheranicum; quia ille spiritus seu sensus primùm in Luthero ortus est, neque in mundo fuit ante annum 1517. Hunc enim spiritum (quo nempe Ecclesia nouiter reformata & repurgata fuit ad normam solius Scripturæ) Luthero primùm Deus instinxit, fatente Meisnero pag. 417. affirmante eodem Luthero Tom. 6. German. Wittenb. fol. 451. *Scripturam sacram ac Verbum Dei ita in lucem produxi, vt à mille annis numquam fuit*. Vnde & Ecclesiæ renouator

 saltem

ſaltem dicitur à Lutheranis. Non igitur Religio Lutherana potuit ante Lutherum in Scripturâ contineri.

Deinde, quis non videat eodem modo ab hæreticis omnibus reſponderi poſſe, nouas ſuas hæreſes antiquiſſimas etiam eſſe, quia contineantur in Scripturis? Nulla enim hæreſis non ſe tuetur patrocinio Scripturæ.

Reſponſio Brandij.

Pag. 96. *Quid ergo Leſsius reſpondebit de Huſſo, VViclefo, Albigenſibus, VValdenſibus, & aliis? Illi fuerunt ſeculis* 1400. 1300. 1200. 1100. *& ante; Albigenſium autem Religio,*&c. *in præcipuis fidei capitibus omnino eadem eſt cum Proteſtantium Religione. Fatetur etiam Leſsius, Huſsiticam iam antè fuiſſe: illa verò à Proteſtantium Religione in doctrina fundamentis nihil differt.*

Refutatio.

Primò, Haud grauatè conceſſero Brandio & Meiſnero hanc ſtirpis ſuæ inſignem propagationem; eorumque protoplaſtos Lutherum & Caluinum pleraſque ſepultas Huſſi, Wiclefi, Waldenſium ſeu Pauperum de Lugduno, & Albigenſium hæreſes ſuſcitaſſe.

Secundò, Sed horum omnium doctrina tamquam hæretica, & id temporis noua ab Eccleſiâ damnata fuit. Quomodo igitur per horum conteſſerationem cum primæuâ Eccleſiâ ſe Meiſnerus & Brandius concatenant?

Tertiò, Si Lutherana & Caluiniſtica Religiones cum iſtorum præcipuis fidei articulis conueniunt,

niunt, oportet nefandas hasce sententias (ex istorum singulorum præcipuis aliquot articulis descriptas apud Gabrielem Prateolum) doctrinam esse Lutheranicam & Caluinisticam.

Nefandi aliquot errores VValdensium seu Pauperum de Lugduno.

1. Vrente libidine quæuis carnalis commixtio & virorum inter se & feminarum est licita.

2. Eucharistiæ Sacramentum conficitur dicendo septies *Pater & Aue.*

3. Nullus Iudex potest damnare aliquem hominem ad vllum supplicium aut pœnam.

4. Numquam licet Christiano iurare, quacumque ex caussâ.

5. Nemo vir perfectus debet manibus laborare, etiam si sustentandæ vitæ caussâ.

6. Omnis potestas, etiam ciuilis, amittitur peccando mortaliter.

Nefarij errores aliquot Albigensium.

1. Duo sunt rerum omnium principia, Deus, qui animarum; diabolus, qui corporum est creator.

2. Nulla est resurrectio corporum.

3. Animæ improborum immigrant in corpora pecudum; bonorum, in corpora Principum aut Heroum.

4. Baptismus aut nullus est, aut prorsus inutilis est.

VVicleſi doctrina selecta.

1. Deus dedit obedire diabolo.

2. Omnia absolutâ necessitate eueniunt.

3. Iuramenta, quæ fiunt ad humanos contractus & commercia ciuilia roboranda, illicita sunt.

4. Sacerdos in peccato mortali existens, inualidè consecrat & baptizat.

Ioannis Husi aliquot paradoxa.

1. Omnia fiunt necessitate absolutâ.

2. Soli boni continentur in Ecclesiâ.

3. Prædestinatus ne malè agendo quidem fieri potest membrum diaboli; reprobatus verò ne benè agendo quidem membrum Dei.

Hæc fundamenta sunt ex dogmatibus singulorum: quibus si consentire se glorientur Lutherani & Caluinistæ, non habeo quod magnopere reclamem.

Tertium Lessij Argumentum.

Si dicas illarum aliquam, verbi gratiâ, Lutheranam, semper fuisse, sed latuisse: peto, in quo loco fuerit, in quibus Regnis & oppidis? qui fuerint eius defensores? Deinde vnde nosti, illam anteà extitisse, cùm id non nisi ex Scriptoribus constare possit, qui nihil tale insinuant, sed contrarium.

Responsio Meisneri.

Pag. 392. *Impudens postulatum! Hæc enim non latentis sed patentis Ecclesiæ signa sunt.*

Refutatio.

Impudens negatum! Vt enim dicatur latuisse Ecclesia, oporteret deprehensas fuisse latebras. Sicut, vt credatur latuisse thesaurus, oportet lo-

cus

cùs deprehensus sit: si non deprehenderis, dicam non fuisse potiùs thesaurum, quàm credam latuisse. Quærit enim Lessius, *Quis auctor Ecclesiam illam antea extitisse scripserit.*

Quartum Lessij Argumentum.

Cùm vbique fuerint hæreticæ prauitatis Inquisitores, quo pacto latere potuit hac Religio per tot centurias annorum, vt numquam detegeretur, numquam aliquis eius sectator incideret in illorũ manus?

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 392. Primò, *Etiam tempore Eliæ erant Inquisitores & persecutores Baalitici, & tamen septem millia latebant.* Secundò, *Nihil concludit hac ratio contra Græcos, qui Pontifici non fuère subiecti, nihil etiam contra VValdenses, moribundos & infantes.* Tertiò, *Falsum est, numquam vllum fidei nostræ sectatorem incidisse in manus Inquisitorum*, &c. *Contrarium euincunt Historiæ.*
Brandius pag. 97. *Quod de Inquisitoribus suis ait Lessius, nihil derogat veritati.*

Refutatio.

Ad Primum respondet Lessius, Primò, Quòd aliquid fortè coloris haberet exemplum illorum septies mille latentium tempore Baälitarum, si de tam exiguo breuis vnius persecutionis tempore ageretur: sed fieri non potuisse, vt tot retrò sæculis Lutherana Religio penitus lateret. Sicut nec diu vmquam latuit inter persecutiones Christiana Religio, nec hæresis vlla, quantumuis tecta inter Christianos,

Secundò, Etiamsi in Samariâ ad tempus latuerit Ecclesia, absolutè tamen & vniuersè non fuit occulta: nam in Iuda publicè verus Deus ritè colebatur: neque verò vspiam dicit Scriptura, vmquam quæsitum esse in eos qui abiurabant Baal. Atque ad vtramque hanc solutionem nec Meisnerus nec Brandius responderunt.

Græcorum Waldensiumque exemplum etiamsi nihil ad Lutheranos faciat, tamen & illorũ schisma, & horum hæresis quàm citissimè fuit deprehensa.

De infantibus vt nihil dicam, saltem in moribundos, credo, non fuisset prætermissa quæstio, quando & in mortuos, vt Wiclefum aliosque, non semel habita est.

Denique, cùm vti probatum est, fides Lutherana nusquam fuerit ante Lutherum, non potuit vllus eius sectator antè etiam incidisse in manus.

Quintum Lessij Argumentum.

Si ante Lutherum Lutherana Religio erat in mundo, quomodo eius cultores, qui hactenus latuerant, Luthero prædicante non se prodiderunt, agnoscentes suæ fidei Doctorem, & suæ Religionis contesserationẽ? &c. *Nulli tales comparuerunt, sed omnes qui Luthero se adiunxerunt, anteà Catholicam fidem fuerant professi, sicut & ipse Lutherus anteà Catholicus & Monachus fuerat,* &c. *Missas per quindecim annos celebrarat seriò & deuotè, vt ipse fatetur.*

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 393. *Illud negari nec potest, nec debet, multos primo statim tempore Lutheri scripta appro-*

approbaße, & se idem credidisse constanter affirmaße.

Brandius pag. 97. *Et cùm Lutherus cœpit prædicare, an non cum magno omnium bonorum applausu receptus est? Imò hoc Papatus adhuc sentit & dolet.*

Refutatio.

Primò, Meri fumi sunt, quos hi ambo vendunt, cùm nullum testem laudent pro ijs, qui se dixerint eadem pridem credidisse.

Secundò, Brandius videtur de Caluinisticæ suæ Religionis caussâ desperare, qui relicto Caluino Lutherũ in arenam traxit, vt suæ Religionis fidem ostendat ab optimis quibusque pro antiquâ fuisse acceptam. Qui verò hi optimi quique Lutheri sectatores, præter vomicas quasdam plebis, &, vt Augustæâ formulâ loquar, carcinomata?

Sextum Lesŝij Argumentum.

Etiamsi Lutherana & Caluinistica Religiones aliqua dogmata ab hæreticis veteribus acceperint, non tamen idcirco eædem sunt Religiones cum Religionibus hæreticorum, nisi secundùm partem: nam Religio est complexio omnium capitum quæ ad fidem pertinere statuuntur.

Nemo ante Lutheranos & Caluinistas eamdem dogmatum complexionem docuit.

Prima responsio Meisneri.

Pag. 394. *Eamdem omnium capitum fidei nostræ complexionem in Scripturâ proposuerunt sancti Apostoli: hæc cùm semper in Ecclesiâ permanserit, ideò & totum doctrinæ nostræ corpus semper extitit.*

Refutatio.

Eheu! quàm frigida reſponſio! Nam in quâ Eccleſiâ poſt Apoſtolos? Iam de Waldenſibus, de Albigenſibus, de Wiclefo, de Græcis (qui ad Apoſtolos vſque conteſſerati iactabantur) dicendum teſtimonium fuerat: & cur iam ſiletur horum Eccleſia? Foras, lumbrice, foras.

Secunda reſponſio Meiſneri.

Pag. 394. *Diſtinguendum eſt inter articulos fundamentales, & minus principales. Secundum illos æſtimatur conſenſus fidei*, &c. *In quibus quòd multi ante Lutherum cum Luthero conſenſerint, docent exempla VValdenſium.*

Refutatio.

Quaſi verò ſex iſti Waldenſium articuli ſint minùs principales!

Primò, Licitam eſſe promiſcuam Venerem etiam inter viros.

Secundò, Euchariſtiæ Sacramentum confici pronuntiando ſepties Dominicam & Angelicam Orationes.

Tertiò, A nullo iudice hominem vllum ſupplicio addici poſſe aut pœnæ.

Quartò, Nullâ vmquam ex cauſſâ licere Chriſtiano iurare.

Quintò, Virum perfectum nullum poſſe operari manibus.

Sextò, Omnem poteſtatem, etiam ciuilem, vel vnico peccato mortali amitti.

Oportet profectò magna eſſe Lutheranorum gut-

guttura, quæ has articulorum trabes pro miculâ glutiant.

Septimum Lesſij Argumentum.

Eſto, temporibus Apoſtolorum, & aliquamdiu poſteà, fuerint Lutherana & Caluiniſtica Religiones, tamen tertio ſaltem & quarto ſæculo cœperunt omnino deficere, quod ipſi Lutherani fatentur. Ergo ſaltem per 1300. *annos Eccleſia Chriſti collapſa eſt & intercidit: nam vt minimùm tamdiu conſtat Lutheranam Caluiniſticamque Religiones non fuiſſe. Extincta itaque fuit tot ſæculis vera Religio, euerſa Eccleſia,*&c. *At ſi Eccleſia Chriſti tot ſæculis intercidit, quomodo verum eſt, ipſam ædificatam eſſe ſupra petram, & non potiùs ſuper arenam? Quomodo portæ inferi aduerſus eam non præualuêre? Quomodo ipſa eſt domus Dei? firmamentum & columna veritatis,*&c.

Prima reſponſio Meiſneri.

Pag. 396. *Quòd ipſum fidei fundamentum planè defecerit, diffitemur. Quòd tertio & quarto ſæculo ab antiquâ fidei ſimplicitate paulliſper diſceſſum fuerit, fatemur.*

Refutatio.

Deus bone! An non ſunt hæc fidei fundamenta quæ tertio & quarto ſequentibuſq; ſæculis, contrà atque nunc apud Lutheranos & Caluiniſtas docta fuerunt, de Arbitrij libertate (quem articulum Lutherus in Aſſertione articul. 36. *dicit eſſe optimum, & ſummam rerum ſuarũ.*) de Bonorum operum neceſſitate, de Meritis, de Legis diuinæ poſſibilitate, de Sacrificio Miſſæ, de Inuocatione Sanctorum. Sunt ne hæc tantùm quiſquiliæ quædam,

meta-

metaphoræ, & cærimoniæ indifferentes, &c. Quanta oportet ibi ſint fundamenta, vbi res tam grandes tantummodò ſunt puluiſculus?

Secunda reſponſio Meiſneri.

Pag. 396. *Sicut non interijt Eccleſia Dei in vetere Teſtamento, licet per aliquot ſæcula ante Chriſtum Religio, prout publicè à Phariſæis proponebatur, corrupta eſſet; ita nec in nouo Teſtamento putandum eſt intercidiſſe penitus veritatem, licet ab illâ diſceſſerint Pontifices Romani.*

Refutatio.

Vel ipſius Chriſti teſtimonio conuincitur falſum eſſe quod hîc Meiſnerus dicit, *Religionem veteris Teſtamenti per aliquot ſæcula, prout publicè proponebatur, fuiſſe à Phariſæis corruptam.* Mat. 23. verſ. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite.* Sanè enim non id præcepiſſet Chriſtus, ſi ex Cathedrâ Moyſis Phariſæi aliquot ſæculis publicè docuiſſent doctrinam corruptam.

Tertia reſponſio Meiſneri.

Pag. 399. *Promiſſiones de perpetuitate Eccleſiæ ſunt impletæ, ſi non in Eccleſiâ viſibili, tamen inuiſibili; ſi non in florente aliquo cœtu, tamen in latente.*

Refutatio.

Apage inuiſibilem illam Eccleſiam ex atomorum quaſi concretione conflatam.

Lucifugarum perfugium eſt, ſemper in cœtus alicuius inuiſibilis latebras ſe abdere. Et hæc omnes

nes de perpetuitate promissiones, Petro factæ sunt, qui Petra fuit visibilis Ecclesiæ, non ignoti alicuius latibuli, nec ipse inuisibilis Pastor.

Prima Brandij responsio.

Pag. 98. *Concedit Lessius, Apostolorum temporibus, & aliquamdiu posteà fuisse Protestantium Religionem,* &c. *Gratulor Lessio liberale illud ingenium, quod concedit, quod necessitas concedere compellit.*

Refutatio.

Ego verò Brandio gratulor simplicitate suâ, ne dicam delirio, qui tam facilè sibi aliquid concessum putat. Hoc ne concedere est, an disputandi more loqui? dicere: Esto, Fuerit.

Secunda Brandij responsio.

Nego Lutheranos fateri quòd illa Apostolicæ Religionis sinceritas cœperit saltem tertio, & quarto sæculo omnino deficere, nisi illud accipias pro vehementer deficere.

Refutatio.

Imò Centuriâ secundâ cap. 4. articulo De Libero arbitrio scribunt Centuriatores: *Hæc obscuratio* (Liberi arbitrij) *simul etiam aliarum doctrinæ partium tenebras secum, & corruptelas varias traxit.* Articulo sequente De Lege: *Vsitata & vera est sententia, Dato vno inconuenienti, sequi solent infinita. Posito igitur hoc fundamento* (Liberi arbitrij) *posteà inde colligunt, Legi posse satisfieri humanis viribus.* Articulo De Pœnitentiâ: *Si quisquam alius hoc sæculo de Pœnitentiâ periculosas opiniones spargit, Clemens*

mens facit. Articulo De Rebus adiaphoris : *Succreuit paulatim error de Traditionibus obseruandis.* Articulo De Statu post resurrectionem : *Mirum est, tam crassas ac phantasticas opiniones potuisse venire in mentem Doctoribus huius sæculi,*&c.

Item Centuriâ tertiâ ceterisque vsque ad decimam Centuriis, cap. 4. singuli passim tituli sunt, *Inclinatio doctrinæ*; adeoque prolixè ibi numerantur *Patrum antiquorum errores* circa hæc capita, quæ sunt omnino fundamentalia : de Deo, de Christo, de Spiritu sancto, de Lapsu hominis, de Libero arbitrio, de Peccato, de Lege, de Iustificatione, de Bonis operibus, de Pœnitentiâ, de Baptismo, de Sacrificio, de Inuocatione Sanctorum, de Ecclesiâ, de Coniugio, de Castitate, de Antichristo, de Loco animarum, de Purgatorio, de Salute & præmiis bonorum, denique de Pœnis reproborum.

Fatentur ergo Lutherani, cœpisse omnino deficere sinceritatem doctrinæ ijs sæculis, quandoquidem hisce tot grauissimis fidei articulis testantur fuisse corruptã. Mentitur igitur quoque Brandius, qui negat id fateri Lutheranos.

Tertia responsio Brandij.

Pag. 98. *Dixerint id tamen Lutherani, an proptereà sequetur, Ecclesiam Christi collapsam fuisse & intercidisse? Illa certè, quatenus Ecclesia Christi, collabitur numquam: sed latet aliquando in frumentis Dominicis, & dicitur collapsa propter externam formam ac speciem corruptam.* Pag. 99. *Est ergo Lessij Argumentum Sophisma accidentis : Ecclesiæ enim*

externa illa facies etsi absit, nihil tamen hoc ipsi Ecclesiæ obest.

Refutatio.

Scilicet, Brandi, *doctrina* tantùm quædam externa Ecclesiæ forma seu accidens est; cùm ipsi Centuriatores scribant Centuriâ 2. cap. 4. *Nunc ad descriptionem interioris*(Ecclesiæ) *status ac propriæ formæ accedimus, quæ quidem in ipsâ doctrinâ*, &c. *sita est*. Certè Ecclesiæ doctrina interior eius forma ac quasi vita est, non externum accidēs aliquod. Sequitur igitur certò, si ea defecerit, defecisse non solùm externam Ecclesiæ faciem, sed ipsam Ecclesiam, vt ritè Lessius est ratiocinatus.

Octauum Lessij Argumentum.

Sed, demus occultam fuisse Ecclesiam Lutheranam & Caluinianam; ergo illæ non erant Ecclesia Christi. Hæc enim est ciuitas supra montem posita, quæ abscondi non potest, Matth. 5. *Hæc est mons domus Domini præparatus in vertice montium, & eleuatus super omnes colles, omnibus conspicuus, ad quem fluent omnes Gentes*, Isaiæ 2. *Hæc est regnum Christi diffusum à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum*, Psal. 71. *Hæc est mons ille magnus, replens vniuersam terram*, Daniel. 2. *Ecclesia enim Christi mundo debet esse conspicua, tum vt suo cultu & decore, suisque moribus & externâ specie Gentes ad se alliciat; vt qui volunt fieri Christiani, sciant quò se debeant conferre, quos adire, à quibus instructionem petere.*

Prima responsio Meisneri.

Pag. 396. *Duplex Ecclesiæ splendor est: alter internus*

ternus consistens in fide, spe, & charitate; alter externus positus in frequentiâ hominum, absentiâ persecutionum, ministerio publico, &c. *Ille perpetuus est, hic temporalis.*

Refutatio.

Hoc verò, Meisnere, est captiosè agere: nusquam enim dicit Lessius, Ecclesiam semper debere esse in perpetuo aliquo externo splendore, qualem tu in hominum ingenti frequentiâ, vacuitate à persecutionibus, aliisq; id genus ornatibus ponis. Hoc dicit tantùm, *debere semper orbi esse spectabilem instar montis, instar ciuitatis, instar regni.* Concedit posse oppugnari, imminui, in exilia dissipari; sed affirmat, etiam dum paruo numero censetur, maximis lucescere solere miraculis; dum Tyrannorum incursionibus vexatur, Martyrum solere triumphare victoriis.

Prima responsio Brandij.

Pag. 98. *An adeò absurdum esset, dixisse, quòd vera Christi Ecclesia, id est, externa vera Ecclesiæ species, etiam* 1300. *annos continuos collapsa fuisset? Id adeò prædixerat Ioannes Apoc.* 11. 12. *&* 13. *cùm diceret Gentes sanctam ciuitatem calcaturas mensibus* 42. *tantùm duos Martyres prophetaturos; Mulierem, quæ Christum parit, id est, Ecclesiam, in solitudinem fugituram, ibique latituram,* &c.

Refutatio.

Omnino id absurdissimum esset dicere. Nec iniuriâ Pontificij negant, Ecclesiam potuisse esse tot sæculis omnino occultam.

Nam

Nam Primò, Quomodo tunc paſtor aliquis, Eccleſiæ gregem illum ſuum inuiſibilem paſcere potuiſſet? Quis non rideret, ſi paſtorculus aliquis in campis fiſtulâ gregem ſe diceret conuocare, aut pedo glebarumque iactu coërcere, quem nec ipſe nec alius quiſquam videret aut videre poſſet?

Tityre paſce gregē, quē nec Lynx, nec videt Argus,
Quemque nec ipſe vides. ———

Secundò, Quomodo tunc poſſibile fuiſſet ſaluari eos qui voluiſſent fieri Chriſtiani? non enim hi potuiſſent inuenire Eccleſiam in ſecreto illo Democriti puteo latentem, extra quam tamen nulla erat vſpiam ſalus.

At hi, ait Meiſnerus pag. 44. *potuiſſent ſpirituali acceſſione, hoc eſt mente, accedere ad Eccleſiam.*

Sed quomodo, inquam, mente hi acceſſiſſent, quibus nec in mentem tam occultæ & ignotę Eccleſiæ, ne per amentiam quidem, venire potuiſſet?

Si, inquit, *conſideraſſent conſtantiam Martyrum.*

Sed quæ, malùm, hæc inconſtantia Meiſneri eſt? Si occulta erat Eccleſia, quomodo manifeſti eſſe poterant eius Martyres? Si manifeſti erant, quomodo occulta erat eorum Eccleſia?

Nihilo verò meliùs huic ratiocinationi occurrit Brandius dicens pag. 100. *vam eſſe Sophiſma non cauſſæ: eò quòd neque externa Eccleſiæ facies, neque doctrina propriè gentes conuertat, ſed Deus, qui eas ad Eccleſiam ſuam adducit, vt Saulum, vt Eunuchum, vt Sergium Paulum*: ea ipſa enim exempla cõfirmant Eccleſiam debere eſſe manifeſtam, vt ad eam gentes accedant: nam & Paulus etiamſi id temporis cæcus, à Chriſto tamen ad Ananiam miſſus eſt, Eunuchus inſtructus à Philippo, Cor-

 nelius

nelius in Ioppen ablegatus ad Petrum, Sergius Paulus denique accersiuit ad se Barnabam & Paulum. Quantus Sophista est Brandius!

Secunda Responsio Meisneri.

Pag. 398. *Licet Pontificij imaginentur sibi, Ecclesiam semper debere visibilem & palpabilem esse, contrarium tamen firmissimè probari potest.*

Primò, *Ab Ecclesiâ populi Israelitici in deserto, de quâ Exodi* 32.

Secundò, *Ab Ecclesiâ Iudaicâ tempore Eliæ & Achabi, lib.* 3. *Regum* 19. *tempore Pharisaismi, & prædicantis Christi & patientis.*

Tertiò, *A diuinis prædictionibus, Lucæ* 18. *Apoc.* 3. *&* 4.

Quartò, *Ab Ecclesiâ tempore decem persecutionū.*

Quintò, *Ab Ecclesiâ tempore hæreseon, præsertim Arrianismi.*

Secunda Responsio Brandij.

Pag. 99. *Quis verò credat, eum hominem* (Lessium) *esse Theologum, cùm non meminerit à Christo quæsitum Lucæ* 18. *an sub eius aduentum etiam fides inueniretur? & ab Apostolo prædictum* 2. *ad Thessal.* 2. *Antichristum sessurum in templo Dei. Quænam posset externa Ecclesiæ facies tum monstrari.*

Refutatio.

Quis credat, Brandium & Meisnerum tam voluisse esse corniculas Horatianas, vt nullum nisi Bellarmino subreptum & refutatum huc attulerint Argumentum?

Nam Primò, Dum Israëliticus populus Idolatriam

triam exercuit in deserto, restitit ei Moyses cum totâ tribu Leui, eodem cap. Exod. 32. quod dolo malo subticuit Meisnerus. Et non erat tum visibilis Ecclesia in Moyse & tribu Leui?

Secundò, Eliæ & Achabi tempore, Ecclesia latuit solùmodò in Samariâ, manifesta autē fuit in Iudâ.

Tertiò, Pharisæorum tempore Synagoga (vera tùm Ecclesia) omnibus erat nota.

Quartò, Prædicante & moriente Christo, exilis fuit quidem Ecclesia noui Testamenti, sed profectò vix vmquam aliàs illustrior, publicè fidem profitentibus latrone & Centurione, multisque qui reuertebantur percutientes pectora sua. Veteris autem Testamenti Ecclesia nondum id temporis tota obligabatur statum suum immutare statim moriente Christo.

Quintò, Prædictiones allatæ non aliud arguunt, quàm temporibus Antichristi inuentum iri paucos, non verò nullos, aut omnino in latebris occultos: quando pauci illi miraculis etiam futuri sunt clariores Aarone ipso & Moyse, vt demonstratum suprà Libro 2.

Sextò, Temporibus decem persecutionum tantum abest vt occulta fuerit Ecclesia, vt fuerit etiam infinitis propè Martyrum cædibus illustris.

Septimò, Arrianismi denique tempore etiam Generale Concilium ab Ecclesiâ aduersus Arrium coactum est. Quomodo tum Ecclesia latuisset? Tam stultum profectò videri debet, dicere, tum latuisse Ecclesiam quando ab hæreticis tyrannisque oppugnata fuit; ac si quis diceret, quoties respublica aliqua oppugnatur, toties eam fieri inuisibilem, & hostes pugnare tantùm cum vmbris

more Gallorum. Sunt igitur hæc ipſa Meiſneri Brandiíque argumenta potiùs ad Eccleſiæ ſplendorem illuſtrandum quàm obſcurandum comparata.

Reſponſio vtriuſque ad Scripturæ teſtimonia à Leſsio pro Eccleſiæ perpetuâ viſibilitate allata.

Meiſnerus pag. 402. *Quod attinet ad* teſtimonia *allegata à Leſsio, reſpondemus, Primò, eſſe intelligenda cum exceptione perſecutionis & probationis. Secundò, de perpetuitate Eccleſiæ, non de viſibilitate. Tertiò, de ſplendore interno, non externo. Quartò, Eccleſia ſemper eſt conſpicua δυνάμει ſaltem ſeu virtute, etiamſi non actu ipſo. Quintò, Eccleſia etiam cùm latet conſpicitur ſaltem ab Orthodoxis coniunctim latentibus, imò ab infidelibus etiam conſpici poſſet ſi attenderent.*

Brandius pag. 100. *Quis neſcit illa loca ſimpliciter eſſe intelligenda, & ſecundùm floridam illam Eccleſiæ faciem externam?*

Refutatio.

Primò, Non poſſunt ea Scripturæ teſtimonia (de Monte, de Ciuitate, de Regno) intelligi cum exceptione perſecutionis, ſeu de tempore ſolùm ſtatus florentis.

Primò, Quia Chriſtus diſertè dicit Mat. 5. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*: quod falſum eſſet, ſi tempore perſecutionis abſconderetur.

Secundò, Quia ipſe loquendi modus, quo Scriptura vtitur ad ſignificandam Eccleſiæ claritatem, non

non patitur eam interpretationem Brandij aut Meisneri. Vocatur enim *mons præparatus in vertice montium, eleuatus super omnes colles*, Isaiæ 2. Et quomodo, si tota latere posset in cauernosis vallibus, diceretur eleuata super omnes colles in vertice montium? Vocatur regnum à mari vsque ad mare, Psal. 71. Et quomodo si tantillis latibulis circumscriberetur, diceretur tam longè pertinere? Vocatur mons implens vniuersam terram, Daniel. 2. Quomodo verò lateret in terrâ mons ille, *qui implet vniuersam terram*? Rectiùs cum Aristophanico Socrate pulicum saltus metirentur Meisnerus & Brandius, quàm magnitudinem Ecclesiæ.

Tertiò denique, Quia sic Deus Ecclesiæ suæ maximam dedisset ansam ignauiæ, si statim in cuniculos suos se totam instar pauidi lepusculi abdere potuisset, imminente bello; at certè non receptui canere, sed velut classico Ecclesiam suam Deus prouocare in aciem perpetuò consueuit. Ita nempe Lucæ 12. *Qui negauerit me*, ait, *coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. Si igitur tot sæculis latuisset Ecclesia, indigna prorsus eo nomine fuisset*, ait Lessius. *Quomodo enim dici potest Ecclesia Christi, quæ Christi sinceram doctrinam non audet confiteri? quæ tam pusilli est animi, & ita mortem timet, vt se abdat in tenebras, & tot sæculis non audeat prodire in lucem? denique, quæ tot sæculis non solùm se occuluit, & sinceram fidei professionem suppressit, sed etiam professa est fidem falsam, nempe Papisticam, adorauit idola, contaminauit se mille superstitionibus*? &c. *Miserabilior itaque fuisset & deformior Christi Ecclesia ruinis Synagoga, seu sectâ Iudaicâ,*

câ, &c. *miserabilior & deterior sectis omnibus hæreticis. Nulla enim secta vnquam fuit alicuius nominis, quæ non sua templa, vel domos Religiosas, suos conuentus, suæ Religionis formam & professionem habuerit ita vt passim cognosci possit.*

Meisnerus huic toti ratiocinationi respondet pag. 407. *Miserrimum fuisse Ecclesiæ statum, lubenter agnoscimus: quem nemo mirari potest, qui diuinas de eo prædictiones considerauerit.*

Brandius verò pag. 102. *Quòd Ecclesia miserabilior sit atque deterior omnibus sectis hæreticis, nequaquam absurdum est,* &c. *Nec pudet nos crucis & ignominiæ, sed & in eâ gloriamur.*

Impudentem sanè vtriusque hominis frontem! quos non pudeat tam prodigiosam, imò sceleratam facere Ecclesiam, *quæ deterior sit omnibus sectis hæreticis!* Et verò, hoccine est *crucem & ignominiam ferre*, crucis & ignominiæ metu, dûm fatenda esset fides, instar lepusculi perfugere in antra & lucos, ne crucem & ignominiam feras?

Secundò, Non possunt hæc testimonia accipi de perpetuitate solâ, sed de visibilitate: ait enim expressè Christus Matth. 5. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi,* &c. Nec vlla fit temporis mentio in aliis Scripturæ sententiis allatis.

Tertiò, Non possunt item accipi de splendore interno; quia ineptè splendor ille explicaretur similitudine ciuitatis in monte, montis in vertice, Regni tam latè fusi. Neque enim cum his quidquam commune habent Fides, Spes, Charitas, quæ sunt Meisnero splendor Ecclesiæ internus.

Quartò, Non sufficit dicere, quòd Ecclesia semper visibilis sit potentiâ, etiamsi non actu. Quia Chri-

Christus manifestè dicit: *Non potest ciuitas abscondi*,&c. Quibus verbis ostendit, eam semper actu esse visibilem. neque aliàs sanè satis hominibus illis consuluisset, qui ad Ecclesiam debebant eius splendore adduci. Estque hæc aperta Augustini sententia lib. 2. Contra Petilian. cap. 104. *Ecclesia certum signum habet, quòd abscondi non possit.*

Quintò, Omnino ridiculum est, dicere, quòd sufficiat Ecclesiam conspici saltem ab ipsis Orthodoxis simul latentibus & exulantibus; cùm ob caussam iam dictam, tum quia sic nulla familia aut hominum cœtus (licet in remotissimam solitudinem abditus) posset vmquam dici latere: quoniam se inuicem homines illi nempe nossent & viderent, nisi cæci essent, aut dormirent. Ioculare commentum profectò: nam latere dicitur, non qui suos, sed qui alienos oculos latet; vnde vt videri dicatur Ecclesia, non satis est eam à se ipsâ videri.

Antilogia Meisneri.

Pag. 406. *Non omnes Christiani in Papatu latuerunt, sed multi confessionem suam publicè ediderunt. Hinc tanta Martyrum multitudo*,&c. *Excipi etiam possunt & debent omnes infantes, omnes in agone conuersi, & tota VValdensium Ecclesia.*

Pag. 407. *Miserrimum Ecclesiæ statum fuiße agnoscimus, quem mirari nemo potest, qui diuinas de eo prædictiones considerauerit.* Quomodo tum miserrimus fuit Ecclesiæ status iuxta prædictiones diuinas, vt vix fides reperiretur in terris,&c. quando tam multi publici Confessores, tanta Martyrum multitudo, tot infantes, tot agonizantes, tota

denique VValdensium Ecclesia? Sanè neque hoc ipso tempore, quo tamen visibilis admodum est ac spectabilis, tam numerosa Martyribus est Ecclesia Lutherana.

Secunda Lessij Ratio, ex defectu Successionis.

NVLLA *Ecclesia, quæ caret successione Ministrorum ab Apostolis continuato ordine deductâ, potest esse Ecclesia Apostolica.*

Sed Lutheri, Caluini, & Anabaptistarum Ecclesia caret successione, &c.

Ergo nec Lutheri, nec Caluini, nec Anabaptistarum Ecclesia potest esse Ecclesia Apostolica.

Ad hanc aiunt se Meisnerus & Brandius abundè respondisse suprà Consideratione septimâ.

Ego credo, ibidem vtriusque dicta me satis superque refutasse. Ergo nihil addo.

Tertia Lesij Ratio, ex defectu Missionis.

NVLLA *Religio quæ ab ijs inducta, qui absque legitimâ auctoritate venerunt, missi à se ipsis, potest esse vera Religio Christi.*

Sed Lutherana, Caluiniana, Mennoniana Religio, ab iis inducta est, qui absque legitimâ auctoritate venerunt missi à se ipsis. Ergo, &c.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 413. *Maiorem concedimus,* &c. *Minorem simpliciter negamus. Illam multis Argumentis*

mentis Lessius probare nititur, sed omnia sunt prater rem, & statum non attingunt: affingit enim nobis sententiam, ac si statuamus Lutherum immediatè à Christo missum. Verùm non ita sentimus, sed Lutherum ordinariè vocatum, missumque esse docemus. Et consideretur eius promotio, Doctoratus, &c. *Missus tum fuit ordinariè, & iuramento insuper obstrictus ad docendam veritatem, & puram doctrinā.* Pag. 415. *In quo ipso tamen opere aliquid extraordinary meritò agnoscimus, dum Deus singulariter Lutherum illuminauit, excelso & heroico spiritu donauit,* &c.

Brandius pag. 106. *Negantur primi illi Religionis Reformatores more mero extraordinario esse missos;* (voluit dicere, *esse missi*) *antè enim ostendi, eorum alios fuisse Doctores, alios Pastores.*

Refutatio.

Primò, Cùm scribat hoc loco ipse Meisnerus, *à suis meritò agnosci aliquid extraordinarij in missione Lutheri:* & pag. item 282. *in reformatione Ecclesiæ à Luthero susceptâ, & feliciter peractâ aliquid extraordinarij delitescere*: manifestum est, eam sententiam à Lessio non esse falsò Protestantibus affictam, sed verè assignatam; adeoque Meisnerum sui suorumque dictorum esse immemorem.

Secundò, Ipse Lutherus Tom. 6. Germ. VVittenb. pag. 165. vocat se *Domini nostri Iesu Christi Euangelistam.* & Tom. 2. VVittenb. Lat. *Os meum,* inquit (ô cloacinum os!) *eius est, cuius verbum loquitur, nempe Christi.* Dicit igitur Lutherus, se extraordinariè fuisse missum, quia nemo iam mittitur ordinariè *vt Euangelista,* aut *os ipsum Christi.*

Tertiò, Dicere, Lutherum, aliósve Ministellos

 tunc

tunc ordinariâ missione missos esse, cùm apud Catholicos, ipsi Doctores aut Pastores creati sunt, tam stolidum est, ac si quis militari sacramento facto, alicui Reipublicæ auctoratus, ab eaque pòst profugus, diceretur tum ex sacramento suo legitimè agere, quando Rempublicam ipsam oppugnaret. Prorsus enim ita Lutherus cùm Doctor crearetur, iurauit se defensurum veritatem (non in genere, vt Meisnerus fabulatur, sed ex mente ipsius Academiæ, in quâ iurabat) illam ipsam, quæ in illâ Academiâ id temporis pro veritate habebatur: alioqui Lutherus illusor, impostor, & mendax fuit, qui aliud iurauit, aliud se iurare simulauit. Mox ergo apostata factus, cœpit eamdem Academiam, totamque Ecclesiã (contraria omnia docendo) oppugnare. Quis iam dicat eum id fecisse legitimè, & vi iuramenti sui, ad id missum & vocatum? Insania est, ne dicam furor plusquam Orestéus.

Porrò pro Minore suâ probat Lessius decem Rationibus, dici non posse, Lutherum, aut Caluinum immediatè à Christo esse missos; quarũ plerasque quia recantatis tantùm ratiunculis Meisnerus oppugnat, eas præteribo, ijs vindicatis, quas nouis & non antè dictis rationibus hîc demum conati sunt expugnare.

Tertia igitur inter Lessij probationes erat ista: *Si Caluinus à Deo missus est, ergo Lutherus non est missus à Deo: & è contrario. Quia si vterque à Deo missus est, Spiritus Dei sibi ipsi aduersatur: vterque enim alterius doctrinam erroris & hæresis damnat.*

Respon-

Responsio vtriusque.

Meisnerus nos hoc loco remittit ad responsionem datam suprà pag. 282. Lib. 2. Consideratione septimâ, vbi sic scribit : *Non video quid hoc contra nos concludat. Sanè quatenus Caluinus neglexit claram Scripturæ literam, eatenus non Doctor, sed seductor censeri debet*, &c. *In quantum ex Sacris literis Papales idolomanias demonstrauit, eatenus Dei Ministrum fuiße, ipsum non negamus. De Apostolo Petro legimus, Galat. 2. vers. 14. quòd in nonnullis non rectè ambulauerit ad veritatem Euangelij, & tamen quoad cetera erat Legatus Christi.*

Deinde addit hoc loco pag. 422. *Potest esse aliquis Minister Dei, veritatem ex verbo Dei docendo, & simul minister diaboli, falsitatem ex propriâ ratione docendo*, &c. *Exemplum habemus in Pharisæis, qui Ministri Dei erant, quatenus ipsas Leges Moysaicas proponebant*, &c. *In quantum verò suis expositionibus Legem corrumpebant, eatenus Dei Ministri nequaquam erant, sed fures & latrones*, &c. *Simile contigit in Pastore Ecclesiæ Laodicensis, Apoc. 3. vers. 14. partim verum docebat, partim falsum : & sic Dei Minister fuit, prout verum; & non Dei Minister, prout falsum aßeruit. Certum igitur est, quòd idem queat esse mißus à Deo, & simul non à Deo missus, alio atque alio respectu.*

Brandius pag. 106. *Hoc postremum* (quòd vterque alterius doctrinam damnet erroris & hæresis) *non est verum: quia si dissensio inter eos est, ea tantùm est in doctrinæ circumstantiâ quadam, non in eius fundamento*, &c. *Potuerunt illi non minùs à Deo esse mißi, quàm Ierosolymitani illi discipuli & Paulus,*

quorum

quorum illi, existimabant cerimonias Legis adhuc esse obseruandas: Act. 21. vers. 26. Hic verò docuit eas abrogatas esse, ad Gal. 5. vers. 1. 2. 3.

Refutatio.

Primò, Sicut ingenuè fatetur hebetudinem suam Meisnerus, scribendo se non videre quid contra suum Lutherum concludat illo Argumento suo Lessius; ita necessariò sequitur, imperitè admodum ab eo ad id Argumentum esse responsum.

Secundò, Nam quis ferat, eumdem hominem esse & dici posse eodem tempore ministrum Dei, & ministrum diaboli? verum Ecclesiæ Doctorem, & seductorem? à Deo missum, & à Deo non missum? Quis Oedipus hæc ænigmata capiat? Christi in Euangelio vox est: *Nemo potest duobus dominis seruire*, &c. *Non potestis Deo seruire & mammonæ*, Matth. 6. Quomodo possibile est, vnum aliquem eodem tempore Dei & diaboli esse ministrum? Quomodo esse potest Ecclesiæ Doctor, qui etsi in multis verax, in multis tamen fidei articulis est mendax? cùm sit, habeaturque absolutè mendax, omniique exciderit apud homines fide & auctoritate, quisquis vel semel est mendacij compertus, licet aliàs semper constiterit vero? Nam bonum aiunt constare oportere ex integrâ caussâ, malum etiam ex singulis defectibus. Sed nimirum distingueret etiam in hoc genere Meisnerus, diceretque, talem quempiam non posse vocari simpliciter mendacē, sed veracem partim, partim mendacem. —— *Samij Lucumonis acumen!*

Denique si quis potest simul minister esse diaboli & Dei, Doctor & seductor, missus à Deo & non

non missus; quam fidem, quam auctoritatem is homo inter homines esset habiturus? Quam certitudinem doctrinæ item habituri ij, ad quos talis mitteretur? Quomodo illi credent, quem sciunt esse seductorem? Nemo Rex ita delirat, vt cùm credi sibi volet, missurus sit Legatum, quem scient omnes tam hosti quàm Regi seruire, & tam crebrò falsum quàm verum affirmare.

Sed hæc non sunt Lutheranis mysteria, qui simul suam fidem habent & non habent, simul fortè saluabuntur & non saluabuntur.

Tertiò, Impiè verò Meisnerus sanctissimum Christi Apostolum Petrum hac in parte parem Caluino facit, quasi S. Petrus quoque fuerit in doctrinâ minister Dei simul & diaboli, Doctor & seductor, missus à Deo & non missus. Nam destitit Petrus statim atque à Paulo erroris fuit admonitus. Neque sanè error Petri ad fidem vel doctrinam pertinebat, sed ad mores & modum conuersandi: neque tantus (omnium Doctorum consensu) vt ob eum minister esset diaboli, aut graue peccatum committeret, vt multi Doctores Catholici perspicuè ostenderunt.

Quartò, Pharisæi non fuère ministri à Deo immediatè & extraordinariè missi ad fundandam aut erigendam Ecclesiam aliquam penitus collapsam; sed Pastores ordinarij. Hi subinde priuatos errores suos habent, etsi sint Pastores; illi verò nullos habere possunt.

Quintò, Imperitissimè falsissimeque adfert in rem suam Laodicensis Episcopi exemplum, quasi is Apoc. 3. vers. 4. accerseretur falsæ doctrinæ: nulla enim ibi doctrinæ mentio, sed operum, vt

ex

ex ipsis verbis constat: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus*. Desidero hîc sapientiam Meisneri calidam aut frigidam.

Sextò, Manifestissimum orbi toti mendacium hîc obtrudit Brandius, negando, à Lutheranis Caluinisticam, Caluinistis Lutheranam doctrinam hæreseos condemnari. Nam, vt omittam quamplurimas Cyclopicę huius dimicationis historias à Iudoco Coccio diligentissimè collectas lib. 8. art. 10. Lutherus ipse de Cœnâ Domini Tom. 2. Germ. hanc ipsam in Sacramentarios execrationem scripsit: *Ego tamquam alterum iam pedem in sepulchro habens, hoc testimonium & hanc gloriam ad tribunal Domini adferam, quòd hostes Sacramenti Carlstadium, Zuinglium & Oecolampadium, eorumque discipulos toto pectore damnarim ac vitarim; nec habeo cum quoquam eorum familiaritatem, neque literis, neque verbis, neque factis; sicut Dominus præcepit*. Caluinus verò Admon. 3. ad Ioachimum VVestphalum, hisce encomiis laudauit Lutheranos: *Lutherani homines sunt vertiginosi, Cyclopes, superba factio Gigantum, phrenetici, bestiæ, prodigiosè cæci, desperatè impudentes, falsarij, & improbi calumniatores, proterui, plus satis bardi, fastuosi*, &c. *Bruti homines, qui quid valeat, quorsum spectet Cœna, numquam gustarunt*, &c. *In nos fulminando, omnes Papæ scribas & Datarios superant, atque ita debacchando optimam Euangelij caussam se obruere posse sperant*. Iterùm Lutherus in Colloquiis mensalibus fassus est, eam inter suos Caluinistasq; sperari posse concordiam, quæ inter Christum & Iudam intercessit. Si quæ verò alia coëunda esset, eam non in Dei nomine, sed

in

in nomine omnium diabolorum esse coituram, quòd Caluinistæ essent *diaboli incorporati*. Denique loco iam indicato Coccius ingentem numerum librorum censet, quos vltròcitrò Lutherani & Caluinistæ in se inuicem tamquam βιβλιομάχοι scripserunt, ad se mutuò lacerandum. Quamquam & hac de re latiùs dicturus sim infrà Notâ 5. de dissensionibus hæreticorum.

Septimò, Illud item impudentissimum mendacium Brandij est, *contentionem inter hosce non de fidei fundamento, sed de aliquâ tantùm circumstantiâ esse*, vt contrà constat ex Theologiâ Caluinisticâ, quam libris tribus conscripsit Conradus Schlusselburgius, in quâ adnotantur valdè supra 223. errores contra omnes propè Articulos fidei Christianæ. editus est hic liber Françofurti anno 1592. Quâ item de re latiùs infrà Notâ 5.

Octauò, Denique exemplum Ierosolymitanorum discipulorum, atque etiam Pauli, nihil Brandium iuuat; quia id temporis Lex vetus vix mortificata erat, nedum mortifera. Vnde neque errabant in fide, cùm fides non tam erat vulgata, quàm vulgari cœpta.

Sexta Leßij probatio erat ista:

In politiâ humanâ ad auctoritatem regendi non satis est dicere, se à Principe, qui procul, absit, ad hoc missum; sed Patentes idoneæ exhiberi debent sigillo Principis munita: quod idem fieri videmus in Legatis & Nuntiis Apostolicis.

Quanam ergo fatuitas est, in Ecclesiâ & Regno Christi admittere nouos non solùm Pastores, sed reforma-

formatores totius Religionis nullis ostensis Patentibus, nullis exhibitis signis?

Responsio Meisneri.

Pag.425. *Exhibuit Lutherus noster patentissimas magni Iehouah literas, Biblico codice comprehensas.*

Refutatio.

Quantò verò hæc maior est Meisneri fatuitas! Nam vbi magnus ille Iehouah Luthero Biblia dedit pro Patentibus? & vbi in Bibliis mandatur Luthero Prouincia reformandi Ecclesiam? vbi vel Lutheri nomen in hisce Patentibus indicatum est? Possent, nisi fallor, eodem etiam modo Bibliopolæ omnes, dum Biblia venalia ostendunt, dicere, hæc suas Patentes esse ad reformandam Ecclesiam.

Iam hunc in locum reiiciendum duxeram Lessij Argumentum à contrario, suprà positum Consideratione septimâ, vt meliùs hæc quæstio exhauriretur. Argumentum erat huiusmodi: *Nullus ex nouarum Religionum Ministris ostendere potest se ab Apostolis descendere, aut eorum esse successorem, seu quoad potestatem Ordinis, seu Iurisdictionis. Ergo,* &c.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 277. *Detrahunt Pastoribus nostris primò Successionem; secundò Ordinationem; tertiò Vocationem. omnia falsò. Nam Primò, quod successionem attinet, Apostolicam doctrinam tenent. Quamuis igitur ante ipsos in Ecclesiis nostris sederint lupi, atque sic interrupta fuerit vera successio; tamen hoc nihil derogat puritati doctrinæ.*

Se-

Secundò, Quod spectat Ordinationem, cuius vsus cùm non sit Physicus, sed Ethicus, nimirum vt per illam Primò, ministerij dignitas ostendatur; Secundò, minister de suâ vocatione certus fiat; Tertiò, ouiculæ coràm velut in eius sinum deponantur, &c. *hanc Ordinationis cærimoniam in nostris quoque Ecclesiis obseruamus.*

Tertiò, Quoad Vocationem,&c. *respondemus breuiter, Primò, Ministros nostros legitimè vocari ad prædicandum ab Ecclesiâ, cui hoc ius propriè competit. Secundò, Lutheri vocatio respectu prædicationis fuit ordinaria: Primò, cùm ad Ecclesiasticum munus ordinaretur; Secundò, cùm professio Theologicæ illi demandaretur; Tertiò, cùm signa Doctoralia illi conferrentur. Respectu autem reformationis in eo aliquid extraordinarij delitescit: procul dubio enim à Deo excitatus est.*

Brandius pag. 66. *Protestantes cùm habeant eamdem cum Apostolis doctrinam, & Ordinem & Iurisdictionem ab Apostolis habent. Instat Lessius, & rogat à quo Lutherus & Caluinus eam potestatem habeant,* &c. *Audiat, Lutherum docendi auctoritatem vel in Scholâ vel in Ecclesiâ habuisse, & fuisse sacræ Theologiæ Doctorem, vel Ecclesiæ Pastorem, vel simile quid; Caluinum ab Ecclesiâ Geneuensi iam reformatâ ad docendum vocatum. Esto tamen, extraordinariè sint vocati, an propterea id non factum legitimè?*

Refutatio quoad Successionem.

Primò, In Apostolicam doctrinam non successisse Lutheranos aut Caluinistas, est suprà ostensum, & pòst ostendetur iterùm.

Secundò, Ridiculè vocat Meiſnerus *ſuas Eccleſias*, antequam *ſui* in ijs reſiderent. Nam vbi quæſo ante Lutherum vlla Eccleſia Lutherana fuit?

Tertiò, Si per ingreſſum luporum in ſuam Eccleſiam, vt Meiſnerus fatetur, *interrupta fuit vera ſucceſſio* (hæc enim ipſa Meiſneri verba ſunt) quomodo contendit in ſuâ Eccleſiâ ſemper eſſe, aut fuiſſe veram ſucceſſionem? Hæc enim inter ſe maniſeſtè pugnant.

Quartò, Cùm omnes SS. Patres (vt ſuprà oſtenſum eſt, & à Meiſnero etiam conceſſum) *ex verâ ſucceſſione* non interruptâ, colligant Eccleſiæ & doctrinæ veritatem; quomodo doctrinæ non derogat, ſi per luporum ingreſſum vera ſucceſſio interrupta ſit in Eccleſiâ Lutheranâ?

Quoad Ordinationem.

Primò, Si Ordinatio conſiſtat in triplici illâ cærimoniâ, certum eſt, Lutherum non eſſe ordinatum, neque à Lutheranis, neque à Catholicis, neque ab vllis aliis. Non à Lutheranis, quia hi ante Lutheri prædicationem ſchiſmaticam nulli fuerunt; ipſi à Luthero Lutherani facti ſunt. fuit enim Lutherus primus Lutheranicæ reformationis auctor. Non poteſt ergo ab ijs eſſe ordinatus ad primam ſuam prædicationem aut reformationem. Non à Catholicis, aut vllis aliis; quia Catholici, fatente Meiſnero, ſunt lupi, qui illegitimè ſucceſſionem interrupêre: neque verò apud eos, aut apud vllos alios tres illæ Ordinationis cærimoniæ ante Lutherum fuerunt obſeruatæ.

Secundò, Stultiſſimum eſt illud Brandij Argumentum: *Proteſtantes habent eamdem cum Apoſto-*

lis

lis doctrinam.Ergo habent ab ijs Ordinem & Iurisdictionem. Hinc enim sequitur, omnes omnino pueros, viros, feminas, opiliones, subulcos Protestantium, habere Ordinem & Iurisdictionem, quia omnes habent eamdem cum Apostolis doctrinam,ex sententiâ Brandij.

Quoad Vocationem.

Si Ministri Lutherani vocati sint ab Ecclesiâ, ergo vel à Catholicâ, vel à Lutheranâ, vel ab aliquâ aliâ.

Non à Catholicâ. Primò, Quia sic ius vocandi legitimè ministros esset penes Catholicam: cùm verò Catholici omnes iamdudum fuerint iudicio aduersariorum idololatræ & ministri diaboli, sequeretur, ministros Dei legitimè mitti ab idololatris & ministris diaboli. Secundò,Quia numquam Catholica Ecclesia vllum vocauit ad prædicandam fidem Lutheranam,sed solummodò Romanam Catholicam Pontificiam. Tertiò, Etiamsi vocaret, non esset vocatio valida; quia Catholica non habet potestatem vocandi vllum ministrum, nisi ad prædicandam fidem suam Catholicam. Quartò, Quia si à Catholicâ, tum eodem modo, qui deserto Lutheranismo post Lutheranicam vocationem legitimâ prædicaret Catholicam apud Catholicos, is deberet dici à Lutheranis legitimè vocatus ad prædicandam Catholicam. Quintò, Eodem modo omnes antiqui hæretici ex Episcopis & Sacerdotibus hæretici facti,deberent dici à Catholicâ illâ veteri Ecclesiâ vocati fuisse legitimè ad prædicandas suas hæreses; quæ omnia sunt absurdissima.

Non à Lutheranâ,aut ab vllâ aliâ Ecclesiâ;quia nec illa, nec vlla alia, aut collectim sumpta, aut per partes sumpta, habet vllam auctoritatem à Deo,mediatè vel immediatè,vt legitimè vocet & mittat aliquem ministrum.

Non immediatè;Quia numquam Deus immediatè vel congregationem, vel vnam aliquam personam vocat,nisi eas,velut patentibus litteris, instruat præsidio & ornatu miraculorum. Ita enim instruxit Moysem,Eliam,Elisæum,alios Prophetas, Ioannem Baptistam, Christum, Apostolos, Discipulos, denique omnes & singulos, quos vel nominare possit Meisnerus aliquando vocatos à Deo. Adeoque neque Christus voluit credi sibi tamquam immediatè vocato & misso,nisi per confirmationem miraculorum, Ioan. 10. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Atqui neque Lutheranam, neque vllam aliam nouam Ecclesiam, aut aliquam eius Ecclesiæ personam, vmquam Deus miraculorum patrandorum Patentibus instruxit. Ergo, &c.

Non mediatè; neque enim mediante Ecclesiasticâ potestate,aut ciuili. Non mediante ciuili;quia non potest spiritualis auctoritas vlla dari à ciuili, cùm auctoritas illa sit superioris ordinis. Non mediante Ecclesiasticâ; quia nec Lutheranâ, nec aliâ. Nulla est enim Catholica, aut alia talis potestas, quæ possit aut Ecclesiæ, aut personæ, aut Ecclesiæ alicui Lutheranæ legitimam auctoritatem dare prædicandi fidem Lutheranam. Certum est igitur, ministros nullos Lutheranos esse legitimè ab vllâ Ecclesiâ missos.

Se-

Secundò, Nec Lutherus legitimè missus aut vocatus est; quod eodẽ modo probat firmissimè Tannerus noster Part. 1. Anatom. Demonst. 5. quia nec mediatè à Deo, nec immediatè. Non immediatè, cùm ob caussas iam dictas, tum præcipuè, quia nullo modo credibile est à Deo immediatè missum esse hominem moribus tam impuris ad reformandam Ecclesiam, atque fuit Lutherus. Possum addere, quia suprà obiecit nobis ipse Meisnerus, *iam nullum hominem doceri ampliùs aut vocari ἀμέσως à Deo.* Non mediatè, quia nec à ciuili, nec ab Ecclesiasticâ potestate. Non à ciuili, ob caussam dictam. Non ab Ecclesiasticâ, quia nec à Catholicâ, nec à suâ. Non à Catholicâ ob res dictas. Non à suâ, quia priùs debuisset ab ipso Luthero eam potestatem accepisse, ac proinde recepisset Lutherus à se ipso.

Iterùm, Vel vocatus fuisset Lutherus ante suam apostasiam, vel post. Non ante, quia à Catholicis Præsulibus fuit vocatus ad prædicandam Catholicam, & cùm Sacerdos, & cùm Doctor factus est; nec potuit ab ijs mitti ad prædicandam Lutheranam. Non post, quia neque à suis, qui ipsi eam potestatem debebant accepisse ab illo. Neque à Catholicis, quia illi Lutheri prædicationi se opposuerunt. Non à Catholicorum apostatis Præsulibus, quia iam illi potestatem eo ipso amiserant. Certissimum igitur est, Lutherum nec ordinariè seu mediatè, nec extraordinariè seu immediatè à Deo esse vocatum, siue ad prædicandum, siue ad reformandum.

Quarta Ratio Lessij, ex defectu Miraculorum.

OMNES illæ Religiones cum suis auctoribus meritò habendæ sunt suspectæ, quæ introductæ sunt absque vllis miraculis aut signis diuinis. Sed Lutherana, Caluiniana, Anabaptistica Religiones introductæ sunt absque vllis miraculis. Ergo meritò cum suis auctoribus habendæ sunt suspectæ.

Prima responsio vtriusque.

Meisnerus pag.430. *Non sunt nunc necessaria miracula, quia veritas doctrinæ æstimatur ex Scripturis: & Doctorem quoque arguit sua doctrina, prorsus vt miraculis opus non sit, neque ad euincendam Doctoris legitimam missionem, nec ad demonstrandam doctrinæ veritatem.* Pag.431. *Fatemur quidem miraculis claruisse plerosque Prophetas immediatè missos, non tamen omnes. Nihil enim legitur de miraculis Ieremiæ, Ioëlis, Oseæ, & Amos, qui tamen omnes veri & extraordinarij vocati Doctores fuere.*

Brandius pag.110. *Dico noxium fore, si post confirmatum ab Apostolis per miracula Euangelium, denuò miracula fierent, eaque signa praui Antichristianismi fore.* Pag. 111. *Tum etiam neque omnes qui immediatè missi fuerunt, instructos fuisse miraculis, nos docent exempla quorumdam Prophetarum,* &c. *inter alios Amos.*

Refutatio.

Primò, Ad probandam veritatem doctrinæ, non solùm collatione Scripturarum, sed etiam miraculis

culis esse opus, manifestum est exemplo Christi ipsius, qui licet manifestissimè doctrinam suam Scripturarum testimoniis confirmarit, eamdem tamen maximis prætereà miraculis stabiliuit: *eum in finem* (fatetur Meisnerus pag. 431.) *vt eò citiùs hominum animi commouerentur*, præsertim cùm doctrina Euangelica Leges Moysaicas abrogaret, atque sic quodammodò noua esset. Vnde ita argumentor:

Si Christus, qui solùm inducebat nouum Religionis statũ (quem clarissimè ex Scripturis poterat demonstrare) nec veterem falsitatis arguebat, vsus est tamen miraculis, vt eò citiùs hominum animi mouerentur: oportuit igitur multò magis Lutherum & Caluinum (qui nouam omnino induxerunt Religionem, & veterem in plurimis articulis falsitatis condemnarunt) miraculis vti ad hominum animos cõmouendos. Nam etiamsi quidem Meisnerus & Brandius negent Religionem suam esse nouam; fateri tamen debent, toti Ecclesiæ, quæ ante Lutherum fuit, omnino nouam esse. Quare à Papistis iure meritò exigi miracula ad nouitatem tantam persuadendam.

Secundò, Ad probandam Doctoris legitimam missionem opus esse saltem signis aliquibus diuinis, etsi non miraculis, apparet exemplo omnium omnino quotquot vmquam fuère missi Doctores.

Nam Primò, etiam Ieremias, Ioël, Oseas, & Amos, (quos solos Meisnerus Brandiusque excipiunt) claruerunt saltem Spiritu Prophetico, vt patet ex Scripturâ; quod solùm Lessius postulauit.

Secundò, Hi ipsi Prophetæ non fuere missi ad renouandam Ecclesiæ doctrinam, sed tantùm ad

corrigendos populi mores: vnde, vt miraculis clarerent, nihil erat opus.

Tertiò, Ioannes Baptista (quamquàm portentosum omnino habuerit natalem) quia & ordinarius minister erat (vtpote filius Sacerdotis) neque contra communem doctrinam quidquam docuerit, miraculis non eguit, maximè quando eius aduentus etiam ab Isaiâ Prophetâ fuerit Scripturæ vaticinio prænuntiatus, vaticinium interpretante ipso Christo. Quid verò horum omnium simile fuit in Luthero aut Caluino?

Quartò, Ridiculum est quod Brandius scribit, *noxia potiùs iam fore miracula quàm vtilia Ecclesiæ demonstrandæ.* Nam ita noxia fuissent quoque miracula Christi post miracula Moysis, Eliæ, & Elisæi, miracula Apostolorum post miracula Christi, miracula edita quatuor primis sæculis post miracula Apostolorum.

Secunda responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 438. *Suprà docui, Religionem Lutheranam miracula habere, tum antiqua Prophetarum, Christi,* &c. *tum noua, nempe admirandum reformationis opus, & repentinam Euangelij propagationem: quod posterius Lessius contendit non esse miraculum, Primò, quia id ortum traxit ex permissu licentiæ viuendi, ad quam omnes propendemus; Secundò, quia id miraculum ab omnibus aliis Religionibus adferri possit, cùm ad eas plurimi etiam affluxerint. Sed Prima obiectio est instantia Pharisaica, nam & illi sic calumniabantur Christum & Apostolos. Deinde, licet Religio nostra ductu Scripturæ libertatem Christianam asserat, nec ieiunium, chameuniam,* &c. *impe-*

imperet: attamen cum magnis persecutionibus carni molestissimis, primo potissimùm tempore, coniuncta fuit,&c. *Denique calumnia est, Religionem Lutheranam viuendi licentiam tribuere.*

Ad Secundam obiectionem quod attinet (pag. 441.) *non argumentamur ex solo confluxu, sed ex caussâ confluxus*,&c. *efficaciâ solius doctrinæ*,&c.

Anabaptistarum Religio nihil est quàm subditorum seruitij impatientium seditio. Caluinianos quod attinet, multos ij decipiunt,&c.

Brandius pag. 111. & 112. *Circa primos Religionis reformatores etiam mira acciderunt, quòd hominum secundùm carnem tam viliũ operâ Antichristianismus tam breui tempore conuulsus est*. Pag. 117. *Calumniatur verò Lessius, cùm ait Protestantium doctrinam carni licentiam aliquam, nedum omnem tribuere*, &c. *Quòd verò illud miraculum non omnibus Religionibus commendandis seruit, inde est, quòd etiam necesse sit vt doctrinæ sinceritas ijs quoque adsit.*

Refutatio.

Primò, Cùm fateatur Meisnerus, Lutherum ordinariâ missione ad prædicandum accessisse, clarum est, eâ ex parte nihil fuisse miraculi. Non fuit autem etiam miraculi quidquam circa opus reformationis (ad quod Meisnerus ait eum extraordinariè missum) quia nec in modo, nec in re. Non in modo; quia non reformauit Ecclesiam, nisi prædicatione, scriptione, & exemplo: ad prædicationem autem ordinariè vocatus est; scriptio eius mendaciis, exemplum vitiis scatet. Primò, Prædicationem Lutheri nullam accepimus fuisse miraculosam, qualis fortè illa Petri, Act. 2. cap.

quâ *appoſitæ ſunt animæ circiter tria millia*; & illa Act.4. quâ *quinque hominum millia* ad Chriſtum fuêre conuerſa. Secundò, Scriptionem item Lutheri tantum abeſt vt quis credere poſſit miraculoſam fuiſſe, vt etiam certum ſit, vix vllum vmquam hominum ſcripſiſſe ab omni retrò memoriâ inconſtantiùs, mendaciùs, atq; inuerecundiùs, quemadmodũ Libro primo oſtenſum eſt. Tertiò, Exemplum denique qui ſequi volet, nepos fiat oportet, gurges & ganeo, aut ſi quid eſt ad omnem turpitudinem proiectius, vt mox oſtendemus. Non etiam in re; quia nec reformatio morum nec doctrinæ fuit miraculoſa. Non morum, quia, vt probatum ſuprà, mores Euangelicorum in peius lapſi ſunt, quam ad rem non fuit opus peculiari miraculo. Non doctrinæ, quia, vt etiam antè demonſtratum, Scriptura à Luthero pluribus locis corrupta, ex eaque peſtilentiſſima dogmata plurima ſunt producta. Nullum igitur miraculum eſt ipſum opus reformationis, niſi fortaſſe miracula ſunt, *templa vaſtata incendio, diſſipatæ ſacrarum imaginum ſtatuæ, Monachorum Virginumque diſturbata Monaſteria, Reſpublicæ ſubuerſæ, cædes denique & laniena Eccleſiaſticorum*: qualia Lutheri exemplo à Caluiniſtis in ſolâ Galliâ perpetrata ex Fonteno innumera refert Adrian. Iungius noſter lib. 1. De moribus Euangelicorum cap. 13. in hæc verba: *In vno Galliæ Regno, duobus tumultibus anno* 1562. *&* 1567. *templa ſupra decem millia à Caluinianis partim incenſa, partim diruta. Monaſteria ſupra ſexcenta ſolo æquata, plurima incenſa. Sanctorum oſſa aut concremata, aut in profluentem deiecta, inter quæ D. Martini oſſa apud Turones*, &c. *Sacer-*

dotes

dotes supra quinquies mille lentis variisque suppliciis excarnificati. Sacræ Virgines innumeræ partem violatæ, partem occisæ; plurimæ vrbes ferro igniq́ue vastatæ. Denique vndecim annorum spatio, in Galliâ & Belgio quingenta minimùm hominum millia sunt interfecta. O Neroniana miracula!

Secundò, Non est Pharisaica instantia dicere, ex vitæ concessâ licentiâ tantam tam subitò factam esse Lutheranismi propagationem, cùm nec Christo nec Apostolis eius vmquam obiecta sit vlla à Pharisæis laxioris vitæ licentia, ne quidem cùm apud Iudices falsorum testium criminationibus traduceretur; sed tantùm violatio quorumdam cærimonialium præceptorum, baptismatum, & leuioris alicuius ieiunij. Quin contrà, Christus arctiorem longè disciplinam à suis exigebat, quàm à se Pharisæi; vt apertè professus fuerit, suos numquam fore saluos, *nisi iustitia eorum abundaret plusquàm iustitia Pharisæorum*. Vnde & eos inuitabat ad intrandum *per angustam portam, ad tollendam crucem, ad diligendos inimicos*, ad seruanda *consilia paupertatis & castitatis:* quæ omnia longè arctiora magisq; ardua erant, quàm illæ hypocrises Pharisæorum.

Tertiò, Ridiculum planè est, à Meisnero hìc adduci persecutiones Lutheranismo illatas, in exemplum susceptæ auctoritatis: nam furciferi & patibularij eodem modò venditare possent carnis afflictionem, post habitas in se quæstiones, & sumptum virgarũ supplicium; quamquam neque tam durè cum Lutheranis ferè vspiam actum sit.

Quartò, Hoc ipsum est quod Lessius scire contendit, cur potiùs apud Lutheranos, quàm Caluini-

uinistas aut Anabaptistas, credemus esse Scripturarum sinceritatem,quę caussa sit tanti confluxus? Nam hîc Meisnerus eam ait apud suos esse, & Caluinianos deceptores appellat. Brandius contrà ait apud suos esse. Anabaptistæ dicunt apud se esse. Quibus tandem sciemus esse credendum? Denique addo Argumentum Lessij à contrario suprà ex Consideratione quartâ, huic loco opportuniùs reseruatum.

Argumentum Lessij à contrario, de miraculis, ex Consideratione quartâ.

Numquam mortui ab vllis hæreticis excitati, aut cæci illuminati, aut claudi erecti, aut paralytici curati, aut dæmones è corporibus hominum fugati. Numquam talia à Luthero, vel Caluino, vel horum sectatoribus profecta. Mox addit, contrariis miraculorum successibus turpiter illusos fuisse Lutherum & Caluinum, ex Cochlæo & Bolseco.

Prima vtriusque responsio.

Meisnerus pag. 233. *Nota Primò, Religionem nostram Lutheranam non esse nouam, sed antiquam & Apostolorum. Quare iamdudum confirmata est, & luculenter euicta omnibus istis miraculis quæ ediderunt Prophetæ, Christus, & Apostoli,* &c.

Brandius pag. 47. *Apostoli fecerunt miracula, & Protestantes in illis sua miracula habent.*

Refutatio.

Ne quid ex antedictis Refutationibus fortè cum nauseâ hîc iterùm ingeram, Lutherus ipse non solùm se miraculis Apostolorum ac Patrum, sed

&

& doctrinæ consensu & antiquitate destitutum esse scripsit ad Erasmum anno M. D. XXV. lib. De seruo arbit. Tom. 2. Latino VVittenb. fol. 469. col. 2.

Ex hac parte (Catholicæ) *stat eruditio, ingenium, multitudo, magnitudo, altitudo, fortitudo,* SANCTIMONIA, MIRACVLA, *& quid non? ex meâ verò parte vnus VViclef, & alter Laurentius Valla (quamquam & Augustinus, quem præteris, totus meus est) sed isti nihil ponderis habent præ illis. Reliquus est Lutherus vnus priuatus, nuper natus cum suis amicis, in quibus neque tanta eruditio, nec tantum ingenium, nec multitudo, nec magnitudo, nec* SANCTIMONIA, *nec* MIRACVLA, VT NE CLAVDVM VNVM EQVVM *sanare queant. Nihil igitur apud nos, quàm vt lupus ad philomelam damnatam dixit, Vox es, prætereà nihil. Dicunt enim, & hoc solo, ais, sibi credi volunt. Fateor, mi Erasme, te non immeritò istis omnibus moueri.*

Lutherus eodem lib. De seruo arbit. vult *nulla abs se miracula, neque noua neque vetera exigi ad fidem suam stabiliendam*. Cur igitur vetera requirit Meisnerus, vt necessaria Religionis suæ.

A nobis (inquit Lutherus) *qui negamus liberum arbitrium, miracula exigi non debent: à vobis, qui asseritis, debent*. Nimirum Lutherus instar Mahumetis volebat vocari *Elnabi*, id est Interpres Dei; & credi sibi omnia solâ auctoritate suâ plusquam Pythagoricâ, absque omni testimonio miraculorum, quæ ipse tamen ab aliis fidei nouatoribus perpetuò scripsit exigenda.

Respon-

Responsio secunda Meisneri.

Pag. 234. *Iniquum postulatum est, requirere à nobis miracula, cùm nulla extet promissio, velle Deum vltimis mundi temporibus per magna & varia signa veram doctrinam notificare.*

Refutatio.

Ambula mecum in Ius, Meisnere, ad Trisviros, ad *Lutherum, Melanchthonem,* & *Erasmum*, quos suprà mihi Iudices tulisti. Lutherus æquissimum id esse præiudicauit libro De seruo arbitrio: *Nobis mandatum est, prorsus nullum dogma admittere signis diuinis non antè probatum.* Id ipsum postulauit fieri à Muncero Neoapostolo, scribens ad Senatum Mulhusinum, Tom. 2. *prudenter eos facturos, si Muncerum interrogarent, a quo prædicandi acceperit potestatem? Si dicat, à Deo; id ei probandum, & vocationem suam miraculo aliquo confirmandam. id si facere non possit, extrudendum; quòd Deo proprium sit, voluntatem suam per miracula declarare, quoties vsitatum ordinem mutari velit.* Eodem modo scribit Tom. 5. ad Anabapt. lib. 3. cap. 4. *Si quis fortè,* inquit, *ad vos venit, & concionandi potestatem petit; quærite an habeat missionis seu vocationis suæ testimonia: si à Deo se missum dicat; quærite vbi ipsius sunt miracula?*

Melanchthon in cap. 3. Matthæi: *Sic posteà sæpè, quando mundus ferè fuit oblitus promissionem & doctrinam Euangelij, tunc vocauit Deus nouos Doctores. Sic quando magnæ tenebræ erant, Deus vocauit Ioannem: & semper addit Deus miracula, vt certò sciamus à Deo missos.*

Eras-

Erasmus in Diatribe suâ De libero arbitrio: *Apostolis*, inquit, *quoniam excutiebant viperas, sanabant ægrotos, excitabant mortuos*, &c. *ita demum creditum est, & vix creditum est illis paradoxa docentibus. Nunc cùm iuxta opinionem communem adferant paradoxotera, nullus illorum adhuc extitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.*

Addo Bullingerum in quartum subscriptorem, si quem fortè ex tribus Iudicem cieret Meisnerus. Is enim cum Anabaptistis disputans de vocatione Pastorum, *miracula ab ijs exigit, vt se diuinitus missos probent.*

Et quid? An non suprà iam demonstraui ex promissione Christi, miraculorum gratiam numquam ab Ecclesiâ ablatum iri? Dixerint Augustinus, Chrysostomus, à Costa noster, *miracula subinde cessasse, cùm ijs opus non esset*; an dixerunt illi, à Christo sponsæ suæ Ecclesiæ, dotis suæ partem, miraculorum inquam potentiam, vmquam fuisse ereptam? Aliud longè est, miracula subinde cessare, aliud, miraculorum non habere potestatem.

Denique æquissimum id esse postulatum, videor mihi demonstrare posse ex his ipsis principiis aduersariorum. Primò aiunt, *suam doctrinam ipsissimam esse illam veterem Apostolorū.* Secundò aiunt, *nostram iam à sexcentis retrò annis cœpisse mutari & corrumpi.* Tertiò aiunt, *à Luthero & Caluino (diuinis scilicet hominibus!) nostræ fidei cœptam esse nouam reformationem.*

Quæ si ita sunt, quæro, cur non sit æquum nos exigere miracula, saltem ad confirmationem nouæ illius reformationis, quam & ipsi aduersarij esse nouam fatentur, & à Luthero Caluinoque cœptam?

ptam? Etenim saltem nobis reformatio illa aduersariorum noua est, & sexcentis iam annis ignorata.

Non iniuriâ itaque postulamus, dogmata, etiamsi antiqua, nobis saltem inaudita, miraculis confirmari. Numquid Christus, etsi ipsemet fidem suam tot illustribus miraculis probasset, pòst tamen eamdem voluit ab Apostolis & discipulis confirmari prodigiis nouis? Numquid Apostoli, quoties ad nouã Gentem (cui inaudita erat Christi fides) veniebant, noua miracula perpetrabant, etiamsi alibi miraculis eamdem fidem antè ipsi comprobassent? Numquid post Apostolorum miracula Sancti plurimi, etiam primis quadringentis annis, eamdem Apostolorum fidem nouis miraculis illustrarunt?

At, quid erat opus, postquam eadem illa fides tot prodigiis fuerat confirmata? Nempe id Gentibus illis (quibus & fides & miracula erant inaudita) parum profecisset, nisi noua ijs fuissent miracula perpetrata. Meritò igitur & iure nos etiam miracula poscimus, quibus Lutherana Caluinianaque reformatio hucusque fuit inaudita.

Tertia responsio Meisneri.

Pag. 234. *Quod si vsque adeò morosè in postulato suo, licet iniquo, perseuerent, loco miraculi allegare possumus magnum illud & admirandum reformationis opus. Erat Lutherus misellus Monachus, nec ferro, sed verbo Domini aggrediebatur Papam. Omnes Academiæ, doctrinæ eius se opponebant: omnes Cardinales & Episcopi execrabantur, omnes Reges & Principes persequebantur eum: ipse terror Orbis Imperator Carolus vnum istum Monachum debellare, veraque*

ræque doctrinæ prædicationem impedire, cùm maximè vellet, non potuit. Eiecta sunt è claustris dæmonia [monachi,] *captiui sub tyrannide Papali potenter sunt educti,*&c. *Magna hæc fuerunt miracula & opera Domini, adeò vt qui attentè legit Historias illorum temporum, non possit non exclamare, A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Refutatio.

Primò, Qui vel ipsa Lutheri scripta tantùm legit (ne longiùs abeamus) exclamabit, *A dæmone factum est istud!* ipse enim Lutherus quo auctore hæc miracula fecerit, scripsit Præfatione Tomi sui primi Latini: *Solus eram,* inquit, *& certè ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus: casu enim, & non voluntate nec studio in has turbas incidi, Deum ipsum testor.* Non ergo auctore Deo, sed *casu ita ferente* Lutherus ad Religionem suam disseminandam accessit.

Iterùm Respons. ad Hircum Lipsiens. *Cor meum,* inquit, *ita affectum est, vt sperem me in Dei nomine hoc opus esse aggressum: non tamen eius audacia sum, quòd de eo iudicium feram, prædicemque publicè pro certo, aliter non esse. Nollem libenter diuinum iudicium super hac re sustinere.*

Nesciuit ergo Lutherus, an auctore Deo, an diabolo ageret partes suas? Certè, quòd contra conscientiæ suæ instinctũ fecerit, adeoque fecisse doluerit, apertè fassus est verbis illis Colloq. mensal. *Numquam eas cogitationes ex animo dimitto, nimirum quòd optarem & cuperem, negotium hoc à me inceptum non esse.* Sed nimirum, quòd Cæsari dubitanti, an vrbem Romanam porrò euertere per-

P gerer,

geret, in mentem venit, Rubicone iam traiecto, vt diceret, *Iacta alea est*; id Lutherus imitatus videtur, cùm in Mensalib. colloq. pag. 24. seipsum adhuc animi pendentem ita excitauit: *Quia caussam hanc ingressus sum, videndum mihi nunc est, & dicendum, eam iustam esse.* Ingenuè alioqui non à Deo se fuisse instinctum confessus est, ne dubitare possemus; cùm in Disputatione Lipsiensi contra Eckium exclamauit, *Hæc caussa neque propter Deum cœpta est, neque propter Deum finietur*, vt de eo scribit Cochlęus in Actis Lutheri, anno M.D.XIX. Non igitur à Domino factum est istud, sed *à dæmone* principe hæreticorum; nec mirabile, sed *miserabile est in oculis nostris.*

Secundò, Non magis miraculum est, impios multos abiectâ Legis Christianæ seueritate, Monachos flagitiosè effractis Monasteriorum claustris, ad Lutheri mollissimam libertatē accurrisse, quàm vultures ad cadauer, Ægyptios ad ollas & pepones aduolasse. Quid enim mirum, inueniri multos, qui in eâ Religione esse velint, in quâ sine omni pœnitentiâ, sine omni opere bono, solius fidei pretio venale proponitur regnum cælorum? in quâ nec fornicationes, nec libidines vllæ, sunt peccata pœnâ vllâ punienda? Imò miraculū esset, perniciosos homines plerosque ad Religionem tot tantisque elegantiarum priuilegiis illustrem non aduolare.

Tertiò, Ita miracula erunt primus conuentus opilionum & flagitiosorum ad asylum Romuli, seruorum supra viginti millia ad præstigias Euni, accursiones nefariorum hominum ad Religionem Mahumetis, quæ multò fuêre frequentiores & maio-

maiores omnibus societatibus Protestantium.

Quartò, Ita denique miraculum erit, copiosiùs crescere lolium, quàm sanam frugem. Sed è contrario certè hoc ipsum Christus reliquit nobis pro indicio errorum & seductionis, Matth. 24. *Et multi Pseudopropheta surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

Quintò, Etsi fortasse multos Lutherus à Catholicâ Romanâ fide abstraxerit, non tamen eos omnes ad vnam aliquam sectam suam adduxit, cùm iam Lutheranismus sit multorum capitum & schismaticorum hydra, vt ostendemus infrà.

Sextò, Mendacium est, à Carolo Cæsare, omnibusque Principibus, tantos adhibitos fuisse conatus ad coërcendam audaciam Lutheri. Iam enim ante quinquennium circiter Lutherus turbatâ potiebatur Germaniâ, quàm Cæsar Carolus in Germaniam veniebat, anno nempe 1521. cùm à Luthero anno 1517. incendium cœptum esset excitari. Deinde, tantum potuit Wormatiæ apud Cæsarem Friderici Saxoniæ Ducis auctoritas, vt ab hoc passus sit intercedi postulatis Pontificij Legati Alexandri, qui ob XL. articulorum hæresim Lutherum ad pœnas vocabat. Denique & ipse Cæsar omnesque Imperij Principes, Luthero, vt Wormatiam veniret, Saluiconductus literas dederunt; nec verò (quod iure potuisset Cęsar) Luthero contra mandata sua concionanti, fidemque frangenti in viâ, fidem fregit.

Quid? quòd Caietanus Cardinalis Lutherum, aliquando nullâ Cæsaris auctoritate aut Saluoconductu (vt vocant) munitum, liberè vagari

permiserit Augustæ & alibi, quem nullo negotio comprehendere potuisset: quod prætermissum fuisse, iure meritò dolet cum bonis plurimis Florimondus Ræmundus, Historiæ suæ De origine hæreseon, lib. 1. cap. 9.

Ipse verò Cæsar Carolus edicto suo quod aduersus Lutherum scripsit anno 1521. 19. Aprilis, *Meam*, ait, *ego vobis sententiam restatam facio, pœnitere me moræ, quâ contra ipsum Lutherum & falsam eius doctrinam procedere distuli. Mando ergo, vt quamprimùm ex mandati præscripto reducatur, caueatque ipse ex conditionibus in Saluoconductu præscriptis, ne publicas conciones habeat*. Sed neque conditionem hanc Lutherus seruauit, ausus etiam publicè concionari Isennaci in Thuringiâ, remisso Cæsaris caduceatore, qui ei tamquam actionum custos testisque appositus erat.

Septimò, Mendacium est, Lutherum sine ferro ac viribus tot homines subiugasse, cùm toties ipse velut tuba quædam seditionum, omnes ad capessenda arma aduersus Catholicos excitarit, Assert. artic. sui 13. Tom. 2. Latini Wittenbergensis: *Qui habet aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub cælo valet*. Et lib. contra Siluestrum Prieratem: *Si fures furcâ, latrones gladio, hæreticos igne tollimus; cur non magis hos magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & in eorum sanguine manus nostras lauamus?* Denique Tom. 2. Ienens. fol. 132. lib. contra Ordinem falsò Ecclesiast. dictum: *Quicumque opem ferunt, corpus, bona, & famam in hoc impendunt, vt Episcopatus deuasten-*

uastentur, & Episcoporum origo extinguatur, hi sunt dilecti filij Dei, & veri Christiani.

Atque hoc veluti classico rustici omnes inflammati, correptis armis, non modò Ecclesiasticorum, verùm etiam Principum Nobiliumque aliorum multorum bona vasta fecerunt: quo audito Lutherus velut receptui canens, nouo libro aduersus rusticos scripto, Nobilium arma vicissim in rusticorum internecionem prouocauit, vt his ipse verbis scripsit Colloq. mensal. 250. *Ego Martinus Lutherus in bello rusticano omnes rusticos occidi: iussi enim eos trucidari. Omnium eorum sanguis in meis humeris est.* Quis igitur non videat à dæmone factum esse istud, quod à Domino factum Meisnerus vociferatur?

Alterum Lessij Argumentum, ab infelici miraculorum successu:

Quæ frustrà tentata à Luthero scribunt Staphylus & Cochlæus; à Caluino, Bolsecus.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 235. *Manifesta sunt impudentissimi Cochlæi mendacia, qui publicorum ψευδογεγραμμάτων aliquoties conuictus fuit.*

Brandius pag. 55. *Quod ad Lutherum verò & Caluinum, quòd illi conati fuerint miracula patrare, quomodo illud probat? Testibus Friderico Staphylo, Cochlæo, & Hieronymo Bolseco, qui quoniam malè viros illos bonos oderant, quis non habebit testimonium illud suspectum?*

Refutatio.

Primò, Vnde, quæso, manifestum hæc esse mendacia? Nemo in hunc vsque diem de Lutheranis omnibus aut Caluinistis, vllo scripto libro, aliquem ex hisce tribus testibus refutauit. Si falsum scripserunt, cur id temporis nemo inuentus est Lutheranorum vel Caluinistarum, qui honorem suorum Apostolorum tueretur?

Secundò, Staphylus testis fuit oculatus; vt impudentissimæ frontis sit, iam demum post tam diuturnum silentium illi fidem abrogare.

Tertiò, Meisnerus scribit, *Cochlæum falsi fuisse conuictum*; sed silet quo in iudicio, quibus testibus.

Quartò, Si eâ re suspecta est horum trium fides, quia Lutherum & Caluinum oderant; eodem nomine suspectæ erunt omnes narrationes SS. Patrum de similibus miraculis hæreticorum; hos enim illi semper oderunt: multò verò minoris fidei haberi debebunt omnia testimonia Protestantium de Catholicis, quia Catholicos oderunt odio Vatiniano.

Quinta Lessij Ratio, ex vitæ morúmque Conditione.

INCREDIBILE *est eas esse veras Religiones, quæ introductæ sunt ab hominibus malæ vitæ, & infamiâ notatis, superbiâ, inuidiâ, & maledicentiâ singulari, & nihil minus quàm spiritum Apostolicum præ se ferentibus.*

Sed Religio Lutherana & Caluiniana à talibus homini-

minibus, Luthero & Caluino sunt introducta. Ergo incredibile est eas esse veras Religiones.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 443. *A prauitate vitæ ad falsitatem doctrinæ non est argumentari,* &c. *Moyses fuit impatiens & incredulus,* Num. 11. *Aaron idololatra,* Exod. 32. *Dauid homicida & adulter,* 2. Sam. 11. *& tamen doctrina ipsorum fuit verissima.*

Brandius pag. 117. *Esto, fuerint illi primæ reformandæ Religionis instauratores tales, indéne dependet Religionis probitas? An, quia Iudas Iscariotes erat fur, diabolus, proditor, Euangelium, quod prædicauit, falsum est?*

Refutatio.

Primò, Omnino maximæ efficacitatis ponderisque argumentum est apud omnes cordatos à prauitate vitæ ad falsitatem doctrinæ, maximè cùm prauitas etiam tum perseuerat, quando doctrina primùm inducitur aut reformatur. Nam cùm fidei prima inuectio aut reformatio sit omnino insigne opus Spiritus sancti, scribente Apostolo Petro Epist. 2. cap. 1. *Omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit: non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines:* quis credat, tantum, tam sublime opus committi homini alicui nefario & improbo, & in sceleribus perseueranti, quando Sap. 1. dictum est: *In maleuolam animam non introibit sapientia?*

Quamobrem, vt Lessius scribit, *Apostoli, etiamsi fuerint conditione humiles, & primùm indocti, repentè*

facti sunt sapientiâ, vitæ sanctitate, & miraculorum gloriâ admirabiles. Mira in illis erat animi demissio, mansuetudo, mirus gloriæ terrenarumq; voluptatum contemptus, adeoque similes mores fuere in omnibus, quibus Deus vsus est vel ad Gentium conuersionem, vel ad morum reformationem.

Alia verò huius rei caussa non est, quàm quòd fides non fuisset facilè ijs habita, si fuissent improbi & scelerati.

Secundò, Nullum omnino exemplum ex ijs, quæ contrà allata sunt, quidquam probat. Nam Primò, mendaciū est, Moysen fuisse incredulum: Num. c. 11. Quantus autem vir fuerit, quàm innocentis vitæ, Scriptura legatur Num. cap. 12. Secundò, Aaron numquam fuerat idololatra ante missionem suam. Tertiò, Dauid nec primus vspiam inuexit fidem, nec fidem renouauit. Quartò, Iudas Iscariotes fur & proditor fuit, sed post suam vocationem ad Apostolatum, nec vmquam missus à Christo est post proditionem, per quam infamis factus est, ad prædicandum Euangelium, cùm gulam sibi fregerit ante Christi mortem, post quam priùs Apostoli missi sunt. Inepta igitur sunt hæc Meisneri Brandiique exempla: neque vel vnicum est, quo probari possit, vllum vmquā infamiâ aut flagitiis nobilem missum à Deo esse ad docendam aut reformandam fidem, tum etiam cùm in flagitiis perseueraret, qualis id temporis erat Lutherus, cùm ad Ecclesiæ reformationem est aggressus. Vnde apparet, futilem quoque esse tertiam Meisneri responsionem, quâ ait plerosque Pontifices fuisse homines nefarios: nàm vt ita sit, nullum tamen omnino Meisnerus potuit

potuit nominare ex primis Pontificibus, qui fidem primùm disseminabant; sed ex ijs tantùm qui sunt æuo posteriores.

Meisneri responsio pro vitâ Lutheri.

Pag. 444. *Quæ de Lutheri vitiis & sceleribus profert Less.us, nihil sunt quàm calumniæ & mendacia*, &c.

Refutatio.

Non esse mendacia, constat ex Luthero, quem Conrardus Andreæ Germanicè edidit. Quo in libro, omnia hæc vitia in Luthero hæsisse, ipsius Lutheri verbis est demonstratum.

Responsio vtriusque de sacrilegio Lutheri.

Meisnerus pag. 446. Primò, *Sacrilegum dicunt, quia Monasticen, quam vouit, deseruit, & Monialem sibi copulauit*. Pag. 447. *Sed votum Monastices & perpetui cælibatus esse illegitimum & impiū, Parte 2. Consid. 1. Art. 3. probatum est. Quare Lutherus benè fecit, quòd istud infregerit, & Monasteriū deseruerit.*

Brandius pag. 118. *Putat Lessius eiusmodi Monachos & Monachas Christi coniuges esse, ideoque adulterio pollui, si coniugio sæculari iungantur*, &c. *En os blasphemum! Matrimonium, quod Hebr.* 13. *honorabile inter quosuis & impollutum dicitur, hoc os dicit esse sacrilegium & adulterium*, &c. *Coniugium eiusmodi cum Christi coniugio non pugnat. Itaque quiuis fidelis, quamuis Christi coniux, si donum continentiæ non habet, ex doctrinâ Pauli ad coniugium se conferto ne vratur*, 1. Cor. 7.

Refutatio.

Etiamsi superiore Libro satis refutata sit Monastices criminatio, adscribam hîc tamen quædam ex Ambrosio, Hieronymo, Chrysostomo, & Augustino (quos Meisnerus & Brandius pro suis agnoscunt) quæ abundè sint pro responsione præsentis rixæ.

S. Ambrosius lib. ad Virginem lapsam cap. 5. *Dicit aliquis, Melius est nubere quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, & nondum velatam. Ceterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro; etiamsi voluerit nubere communi lege connubij,* ADVLTERIVM *perpetrat.*

S. Chrysostomus Epistolâ 2. ad Theodorum Monachum lapsum: *Bonum quidem nuptias, & ipse confiteor;* HONORABILES NVPTIÆ, ET CVBILE IMMACVLATVM, ad Heb. 13. *Sed te Monachum iam seruare non conuenit priuilegia nuptiarum. Angelorum enim societati semel iunctum, illam relinquere, &* VXORIS LAQVEIS IMPLICARI, *adulterij crimen incurrere est. Quamuis frequenter hoc ipsum, nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Angelus. Neque vllus tibi fortè persuaserit, dicens: Nihil de non accipiendâ vxore Dominus præcepit. nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, non autem nuptias vetuit; verùm in te adulterij nomen accepit,* &c. *Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur?* &c. *stupere desiste: si nuptiæ peiores adulterio iudicantur, quoties Christus offenditur,* &c. *Nunc nihil penitus in te tui iuris*

iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti. Nam si mulier proprij corporis non habet potestatem, sed vir; multò magis hi qui Christo potiùs quàm sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt?

S. Hieronymus lib. 1. aduerſ. Iouin. cap. 7. *Si nupſerit virgo, non peccauit; non illa virgo quæ ſemet Dei cultui dedicauit: harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit*, &c. *Virgines enim, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt quàm inceſtæ.*

S. Auguſtinus in Pſalm. 75. *Neſcio quæ Caſtimonialis nubere voluit. Quid voluit? quod & virgo qualibet. Quid voluit? quod & mater ipſius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia iam vouerat Domino Deo ſuo*, &c. *Quid ait Apoſtolus de quibuſdam quæ vouerunt & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt, Primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt. Nemo ergo poſitus in Monaſterio Frater dicat: Recedo de Monaſterio; neque enim ſoli qui ſunt in Monaſterio, peruenturi ſunt ad Regnum cælorum*, &c. *Reſpondetur ei: Sed illi non vouerunt, tu vouiſti.*

Dicat iam Brandius, etiam ſanctis hiſce Patribus, quod Leſſio obiecit, *En os blaſphemum!* Quanto maiore iure ei reſponderetur, *En os mendax!* qui ſcribit coniugium ad Hebr. 13. vocari honorabile *inter quoſuis*; cùm nuſquam dicat Paulus, *inter quoſuis*, contrarium autem dicat Scriptura frequentiſſimè.

Re-

Responsio Meisneri de Lutheri ebriositate.

Pag.448. *Probent ipsi quod dicunt. Aliud est honestum conuiuium, aliud Epicurea compotatio: illud concessum, hæc prohibita: illi Lutherus sæpè interfuit, hanc numquam exercuit.*

Refutatio.

Habemus confitentem Lutherum ipsum, qui Tom. 6. German. VVittenbergensi se vocat *ebriosum lurconem. Ita ergo miser ego ac ebriosus lurco euomebam amissas hasce literas, quas nunc porci deuorant.* Tomo verò 2. cap. De Christianis, *Ego,* inquit, *Martinus Lutherus vix vllam consolationem ex Resurrectione & morte Christi capere possum; bonis autẽ corporalibus, vt edere panem, & bibere ceruisiam, optimè possum.* Testem præterea habemus Bughenhagium Pomeranum, Tom. 9. VVittenb. Germ. *Si quando Lutherus in mensâ moderatæ lætitiæ limites excedebat, id ipsimet posteà displicuit.*

Fertur verò in symposiacis solitus siccare ingentem calicem vno ductu, à quo omnes etiam Nouellij & Tricongij abhorrebant.

Prima responsio Meisneri, de libidine Lutheri.

Pag.448. *Lutherus in coniugio castè vixit, & scortationibus operam numquam dedit,* &c.

Refutatio.

Quid hîc aliud dicam, quàm illud Maronianum de Elisâ,

Coniugium vocat, hoc prætexens nomine culpam?

Quomodo enim coniugium castum esse potest,

Mona-

Monachi cum Monachâ frequentatus supra viginti annos incestus? Nolim alterius stare iudicio, quàm vel vnius Henrici Octaui Angliæ Regis, qui de his nuptiis ita ad Lutherum ipsum eruditè sanè &elegāter scripsit: *Ego non paullò magis admiror, quòd te non pudet cælo leuare palpebras, & vel in Deum vel in hominem quempiam probum oculos intendere; qui te passus sis, instigante diabolo, in eā ingenij leuitatem cadere, vt ob carnis ineptas & obscœnas libidines, cùm Frater Augustinianus esses, Monacham Deo dicatam scelerato compressu violaris. Quid, quòd non compressisti solùm (quale flagitium si designasses olim apud Romanos Ethnicos, & illa terram viua subiisset, & tu ad mortem vsque verberibus esses multatus) verùm etiam, quòd nimio est execrabilius, publicè pro vxore incestuosissimis nuptiis traduxisti, atque palàm, summo cum totius mundi stupore, summo per orbem totum opprobrio vestro, summo cum sacrosancti coniugij contemptu, summâ cum sanctissimorum votorum contumeliâ, per nefas abuteris in quotidianum prostibulum.*

Secunda vtriusque responsio de libidine Lutheri.

Meisnerus pag. 449. *Necessarium verò dixit vsum feminæ, partim ratione finis, propter conseruationem speciei humanæ; partim ratione instinctus naturalis. Lutheri porrò sententia nequaquam fuit, vt si vxor coniugale debitum recusaret, maritus cum ancillâ concumbat,* &c. *sed potiùs hoc dedit consilij, vt vir primùm admoneat coniugem sui officij; deinde si recuset, pertinaciam illius aliis significet; & tandem si obedire prorsus nolit, ad Magistratum deferat,*

qui

qui illam vel cogat ad cohabitationem, vel à marito iuxta monitum Apostoli separet, & tum licere in matrimonium sumere ancillam, non secùs ac Assuerus inobedientem Vasthi reiecit, & post famulam Esther sibi sociauit.

Brandius pag. 119. *Si quid leuius Lutherus dixit quàm quod virum grauem decet*, &c. *id non reddit propterea eum improbum*, &c. *si ipse à flagitiis & vitiis abstinuit.*

Refutatio.

Non aliter Ethnicus ille respondebat, quàm Brandius;

Nam castum esse decet bonum Poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Quod ad primam Lutheri sententiam attinet de necessitate ducendæ vxoris, ea ita claris verbis perscripta est, vt nullo fuco velari possit: *Quàm parum*, inquit, *in meâ potestate situm est, vt vir non sim, tam parum etiam in meâ potestate situm est, vt absque muliere sim*, &c. *Quia hæc res non est arbitraria, seu consilij, sed res necessaria ac naturalis, vt omnis vir mulierem habeat*, &c. *Estque hoc plusquam præceptum, magisque necessarium quàm comedere & bibere, purgare & expuere, dormire & vigilare:* Tom. 6. Wittenb. Germ.

Non igitur agit Lutherus tantùm de necessitate aliquâ quæ sit ratione finis, vel ratione naturalis instinctus, sed de necessitate absolutâ, quæ maior est quàm edendi, bibendi, & dormiendi; maximè cùm scribat Tom. 7. Wittenb. Latin. & Tom. 6. Germ. Ἄγαμος [*calebs*] *viuere volens, planè* ἀδύνατα θηρεῖ, καὶ ὅλως θεομαχεῖ. id est, *impossibilia tentat, & prorsus Deo repugnat.*

Quod

Quod ad postremam sententiam de *vocandâ ancilla in locum recusantis vxoris*, ea etiam ex Meisneri sensu explicata repugnat Euangelio Christi Matth. 5. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem, exceptâ fornicationis caussâ, facit eam mœchari.* Eo enim loco Christus abrogauit inueteratam inter Iudæos consuetudinem repudiandi vxorem quacumque ex caussâ.

Reliquæ verò Meisneri Brandiique spongiæ, quibus effingere conantur carcinomata Lutheri, ita parum tergunt, vt nulla ei sit abluta macula.

Ego verò eiusdem generis frusta aliquot præterea conferam ad pertexendum Lutheri de castitate centunculum, quò meliùs hircum hunc extraham è capreis Tiberianis, mundo spectandum.

Primò ergo, sicut dispensauit cum quouis priuato, vt nolente vxore vocet ancillam, Tom. 2. Germ. Ien. De vitâ coniugali, & Tom. 6. German. Wittenb. fol. 177. ita quoque dispensauit

Secundò, Vt si cui mulieri maritus frigidus, caballus ille in cliuo scilicet, aut lorum in aquâ obtigisset, posset illa á marito licentiam postulare concubendi cum illius patre aut cognato proximo, eamque licentiam maritus dare tenetur; si negaret, vxorem fugere posse, & alteri alibi nubere: Ibidem in Germanico Wittenb. fol. 173.

Tertiò, Dispensat, si alter coniugum adulterium committat, posse sine peccato alterum cum altero tertio contrahere, planè ac si mors ei alterum coniugem abstulisset: Ibidem.

Quartò, Dispensat, vt Christiani omnes simul plures vxores possint habere: Tom. 4. Germ. Ien. in cap. 16. Genes. & Tom. 5. Germ. Wittenb.

Quin-

Quintò, Dispensat, vt quiuis Christianus possit simul duas sorores habere pro vxoribus, Tom. 4. Germ. Ienens. & Tom. 5. Germ. Wittenb. Comment. in c. 29. Genes. Quâ doctrinâ inuitati Philippus Lantgrauius Hassiæ, & Oldendorpius vir aliàs Iuris cõsultissimus, duas simul vxores duxerunt. Alius verò non nemo Anabaptista scribitur à Luthero simul vigintiquatuor habuisse vxores. Narratur à Lindano Ludouicus Hetserus, celebris Anabaptista, simul habuisse vxores tredecim. Adeoque in Poloniâ plurimi, vt Winthoniensis scribit, Lutheri auctoritate freti, plures simul vxores duxerunt.

Sextò, Dispensauit secum Lutherus, vt deposito Philosophico pallio, vxorem ipse duceret, quæ pridem desierat esse Vestalis; tam auspicatis nuptiis, vt pauculis post decantatum hymenęum diebus noua nupta pepererit, teste Erasmo in Epist. ad Danielem Mauchium.

Responsio Meisneri de Lutheri maledicentiâ in Reges.

Pag. 454. *Quod duriora Lutheri verba attinet, semetipsum satis excusauit in fine libri contra Regem Angliæ, vbi sic scribit: Si quem offenderit mea in Regem asperitas, hoc sibi responsum babeat: cum insensatis monstris me hoc libro agere, &c. Viget etiam exemplum Christi, Pharisæos nominantis hypocritas, homicidas, cæcos, stultos, &c. itemque Apostoli Pauli, qui falsos Doctores appellauit canes, filios diaboli, &c. Quòd ergo nonnumquam seueriùs errores errorumque patronos taxauit, ex heroico magnanimoque zelo, ex nullo maledicentiæ studio profluxit.*

Re-

Refutatio.

Primò, Pulchrè ſanè Lutherus ijs ſe verbis excuſat, quibus etiam Regem denuò *monſtrum* appellat. Hoccine ſe purgare eſt, an nouo petulantiæ crimine obſtringere?

Secundò, Magnam Principibus omnibus gratiam facit Meiſnerus, qui eos non minùs ritè docet à Luthero vocatos fuiſſe *maximos fatuos, nebulones peßimos, lictores, carnifices Dei,* &c. quàm à Chriſto Phariſæos fuiſſe hypocritarum nomine appellatos. Sunt enim hæc ipſa Lutheri encomia de poteſtate ſæculari ad Ioannem Ducem Saxoniæ: *Ab initio mundi rara admodum auis eſt Princeps prudens, adhuc multò rarior Princeps probus. Sunt communiter maximi fatui, aut peßimi nebulones ſuper terram,* &c. *Ipſi ſunt lictores & carnifices Dei, quibus vtitur ira diuina in vltionem malorum.*

Quamquam ex nullo maledicentiæ ſtudio, ſed ex heroico magnanimoque zelo Lutheri (vt vir erat ardentiſſimo zelo) hæc omnia ſunt profecta, affirmante Meiſnero.

Sexta Leſſij Ratio, ab erroribus & inconſtantiâ doctrinæ.

QVICVMQVE *vel in vno errat in ſuâ doctrinâ, hic non eſt miſſus à Deo. Lutherus & Caluinus in plurimis errant in ſuâ doctrinâ. Ergo non ſunt miſſi à Deo.*

Maior probatur, Primò, *Exemplo Prophetarum, Apoſtolorum, ceterorumque omnium, quotquot vmquam*

quam à Deo missi sunt, in quorum scriptis ne minimus quidem error est repertus.

Secundò, *Ipsis verbis Lutheri, quæ septies repetit variis Operum suorum locis: Qui semel mentitur, hic certissimè ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.*

Minor probatur Primò, *Quia Lutherus & Caluinus grauissimè saltem in hisce duabus rebus errarunt, in tollendâ arbitrij libertate, & Deum faciendo auctorem peccati.*

Secūdò, *Quia Lutherus, vt ex Cochlæi libro De Luthero Septicipite patet, in omnibus propè fidei capitibus secū pugnat: adeoq; in solâ eius tractatione de sumēdâ Eucharistiâ, notatæ sunt à Gaspare Querhamero contradictiones 36. In tractatione Communionis sub vtrâque specie, capita contradictoria septem à D. Cochlæo.*

Caluinus verò à Coccio deprehensus est contradixisse sibi vicies quater. Errant ergo toties Lutherus & Caluinus in alterutrâ contradictoriarum, quarum semper alteram necesse est esse falsam.

Responsio Brandij ad Maiorem.

Pag. 121 *Syllogismus, quem Lessius struit, non cohæret; quia Maior non est simpliciter vera,* &c. Ibid. superiùs: *Patres enim aliqui subinde sibi ipsis contradicunt, tamen Lessius vult illis stari. Aaron errabat,* Exod. 32. *Errauit Petrus,* ad Galat. 2.

Refutatio.

Primò, Nota medullam Philosophicam. *Syllogismus non cohæret,* ait Brandius, *quia Maior non est vera;* ac si diceret, Mala est consequentia, quia falsa est Maior. Sophos! Sophos!

Se-

Secundò, Oportebat nominaſſe Patres illos, qui ſibi contradixerunt.

Tertiò, Aaron, cùm auctor fuit populo vituli adorandi, & Petrus cùm docuit exemplo ſuo Gentes Iudaizare, non admiſerunt vllum errorem doctrinæ, ſed conuerſationis, vt Tertullianus monet lib. De Præſcript.

Prima reſponſio Meiſneri ad Minorem pro Luthero.

Pag. 477. *Caluinianorum hæc eſt ſententia, non Lutheranorum* (De arbitrij ſublatâ libertate, & Deo auctore peccati) *ſtatui enim à Luthero & noſtris contrarium, patet ex Auguſtanæ Confeſſionis artic.* 18. & 19. Pag. 478. *Non equidem diffitemur, Lutherū lib. De ſeruo arbitrio aliquas duriores phraſes adhibuiſſe*, &c. Pag. 479. *Sed quoniam pugnandum ipſi erat contra nimios liberi arbitrij aſſertores, duriuſcula nonnumquam verba protulit.*

Refutatio primæ reſponſionis.

Hanc vtramque de libero arbitrio, & Deo auctore peccati, eſſe Lutheri & Philippi ſententiam, commodiùs infrà oſtendam Ratione nonâ pluſquam duodecim teſtimoniis ipſius Lutheri, & decem Philippi. Cùm verò contrarium hîc ab ijs dictum eſſe in Auguſtanâ Confeſſione, fateatur Meiſnerus; fatetur haud dubiè id quod hîc Leſſius contendebat, *Lutherum fuiſſe in doctrinâ inconſtantem*.

Secundò, Operæpretium eſt expendere, quas Meiſnerus vocet phraſes tantulùm duriuſculas. Verbi gratiâ, lib. De ſeruo arbitrio: *Iuſti non agunt,*

 ſed

ſed aguntur Spiritu Dei, ſicut ſerra aut ſecuris agitur. Ibidem: *Perpetuò aſſerui vſque in hanc horam, liberum arbitrium eſſe nihil.* Item: *Hoc fulmine ſternitur & conteritur penitus liberum arbitrium.* Iterùm in Aſſert.artic.36.Tom.2.Latin.Ien.impreſſo anno 1557. & Tom.2. Latin. Wittenb. impreſſo anno 1562. *Liberum arbitrium eſt figmentum in rebus, ſeu titulus ſine re; nihil poteſt niſi peccare. Dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter: ſi aliud poteſt liberum arbitrium quam peccare & perſeuerare in peccatis, Chriſtus mentitur. Satanâ magiſtro venit in Eccleſiam hoc nomen liberum arbitrium, ad ſeducendos homines à viâ Dei! Nulli eſt in manu ſuâ quidquam cogitare boni aut mali; ſed, quod Poëta voluit, quando dixit, —— certâ ſtant omnia lege.*
Hæc omnia de libero arbitrio dicta, tantùm *ſunt phraſes duriores*, iudicio Meiſneri.

Secunda reſponſio Meiſneri ad Minorem pro Luthero.

Pag.489. *Aliud ſunt ἀντιλογίαι veræ, aliud apparentes & ficta: has Cochlæus & Querhamerus in ſuis libris obiecerunt, illas numquam demonſtrarunt,* &c. *Quæ opponuntur ad idem, ſecundùm idem, eodem reſpectu & tempore,* &c.

Tertia reſponſio Meiſneri ad Minorem pro Luthero.

Pag.491. *Præterea aliud eſt contradictio, aliud prioris ſententiæ mutatio,* &c. *Qui ſcripta primo tempore retractat poſtmodū, & aliud docet, is ſibi non contradicit,* &c. *Fecêre hoc ipſum ſancti etiā Patres,* &c. *Idem planè cenſeri debet de Luthero noſtro, in cuius ſcri-*

ſcriptis reperiri fatemur quædam diſſentanea, ſed ea tantùm ſententiæ in meliùs mutationem arguunt. Fuit ille primùm Monachus, & in Papiſticis tenebris educatus. Mirum ergo non eſt, quòd primo tempore non ſtatim in omnibus fidei articulis veritatem ſit aſſecutus, ſed quoſdam errores Papiſticos defenderit.

Refutatio ſecundæ & tertiæ reſponſionum.

Primò, Apertiſſimas eſſe Lutheri antilogias, patet ex ſententiis ſingulis, ſibi è regione oppoſitis à Gaſpare Querhamero, quarum nullam (vti neque vllam à Cochlæo collectam) vllus vmquam Lutheranorum propugnauit. Et cur Meiſnerus non excerpſit vllam aliquam ad refutandum Cochlæum aut Querhamerum?

Secundò, Riſu quàm refutatione dignius eſt, dicere quòd non tam ſibi contradixerit Lutherus, quàm ſententiam mutarit exemplo Patrum antiquorum, qui multa item retractarunt. Nam quis, oro, ſanctorum Patrum vmquam retractauit doctrinam aliquam fidei, quam ſe dixerat aut ſcripſerat accepiſſe à Deo? ad quam diſſeminandam ſe iactauerit primitus miſſum vt Euangeliſtam & Prophetam?

Quis vmquam adeò Vertumnus fuit, vt toties eodem de fidei articulo fidem variaret? Nam, quod æternâ memoriâ dignum eſt, Lutherus de ſolo *libero arbitrio* diuerſis temporibus ſexies ſententiam ſuam in ſcriptis ſuis mutauit, vt obſeruatum à Sixto Sartorio quondam Lutherano, pòſt Catholico.

Anno 1518. in Explicatione Orationis Dominicæ. Anno item 1520. in Commentariis

Epist. ad Galatas, *docuit esse liberum arbitrium.*

Anno 1521. in Assert. artic. 36. Anno item 1525. lib. De seruo arbitrio, *liberum arbitrium negauit.*

Anno 1528. in Visitatione Saxonicâ denuò *docuit esse liberum arbitrium.*

Eodem anno in confessione de Cœnâ Domini, *iterùm negauit.*

Anno 1530. in approbatione Confess. Aug. art. 18. *docuit esse liberum arbitrium.*

Anno 1538. in Art. Smalkald. (quos Lutherum scripsisse aiunt Theologi Wittenb.) *rursus negauit.*

Tamen non est hæc (si Dîs placet) vocanda inconstantia, aut contradictio, sed mutatio tantùm sententiæ in melius, iudicante Meisnero. Quantò rectiùs (quod & in Lutherum quadrat) de Manichæo olim Epiphanius hæresi 66. *Quanta est huius præstigiatoris nugacitas, & ebrietatis obliuio! Nam quæ ab ipso dicta sunt, obliuioni tradit; & quæ dicere videtur, transmutat & destruit, propria dogmata dissoluens, aliàs aliter atque aliter narrans. Et posteriora destruunt priora; & quæ in prioribus destruxit, rursus posteà ædificat ac extruit, ita vt ostendat, quòd à seipso non consistat: sed dum à Spiritu immundo impellitur, alia pro aliis narrat, quemadmodum qui ex phrenesi mente capti sunt.*

Tertiò, Neque eâ re excusari potest Lutheri de libero arbitrio error & inconstantia, quòd primùm Monachus fuerit, Papisticisq; tenebris immersus. Quia non è Monachatu aut Papismo hic ei error negatæ libertatis adhæsit (qui numquam in Papismo auditus fuit, sicut nec ille de Deo auctore peccati) sed contrà in Papismo veritatem de arbi-

arbitrij libertate, deque verâ peccati causſâ, didicit, quam & tenuit quinque ferè primis euangelizationis ſuæ annis, donec eam anno 1520. primùm abiecit. Non igitur tum ſententiam in melius, ſed in peius mutauit, in errorem (vt Meiſnerus fatetur) Caluinianorum.

Denique, Cur Lutheri inconſtantiam frigido illo inuento excuſemus, quòd Spiritus ſanctus non ſtatim primo ſuſceptæ reformationis tempore, ſimul ei omnem veræ ſcientiæ doctrinæque lucem inſtillarit, cùm Lutherus ipſe non tulerit Carolſtadium eodem ſcuto inconſtantiam ſuam vindicantem? *Carolſtadius*, ait Lutherus Tom. 2. contra ſceleſt. Prophet. *eo ſe excuſat, quòd initio ſpiritum ſatis fortem non habuerit. At Dei Spiritus hac excuſatione non vtitur. O dæmon, iam ſcio quis ſis!*

Prima reſponſio Brandij ad Minorem pro Caluino.

Pag. 122. *Caluini quoque antilogias Leſſius perſtringit vigintiquatuor ex Coccio; ſed cùm duas tantùm narret, reliquas habeo calumnias.*

Refutatio.

Optimum factum, facillimaque reſpondendi ratio! Ita poterant dicenti Chriſto, *Multa habeo de vobis loqui, & iudicare*, Ioan. 8. reſpondere Phariſæi: Sed quia nihil eorum narrat Chriſtus, ſunt calumniæ. Dicenti Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*, poterant reſpondere Apoſtoli: Quia ea non explicat,

reliqua habemus calumnias. Bellè, præclare! Sed an ceteras antilogias quoque non satis narrat Lessius, cùm ad eas apud Coccium indicato loco expressas etiam digitum intendat?

Secunda responsio Brandij.

Pag. 123. *Si Lessius* verba Caluini *non ita mutilasset,* &c. *fraus se ipsâ detexisset.*

Refutatio.

Conferamus tabulas Brandij & Lessij. Verba quæ Brandius è Caluino adfert pro sinceris, sunt hæc: *Commentum illud de absolutâ Dei potentiâ, quod Scholastici inuexerunt, execranda blasphemia est.* Quæ Lessius adfert, sunt ista: *Illud somnium de potestate absolutâ in Deo, quam Scholastici introduxerunt, execranda blasphemia est.*

In his hæc tantùm differunt: *Commentum,* pro *somnio: potestas Dei,* pro *potestate in Deo: inuexerunt,* pro *introduxerunt.* En quantum crimen falsi admissum à Lessio! certè eodem modo item vt Lessius, eadem verba Caluini recitarunt Feuardentius & Coccius; vt ita in aliis exemplis ea haberi mihi sit persuasum.

Tertia Brandij responsio.

Pag. 124. *Non dicit* (Caluinus) *simpliciter Patri Filium subiectum esse, vel minorem eo, etiã secundùm diuinitatem; sed tantùm eorum sententiam non approbat, qui illud Christi, Pater maior me est, ad humanam eius naturam restrinxerunt, cùm ille non dubitet illud extendere ad totum complexum: quia, tametsi Deus sit æternus, cùm tamen ad nos descendit,*

medius

medius esse cœpit inter nos & Deum. Aliud est autem, Christum respicere θεάνθρωπον; aliud, eius naturas seorsum considerare, &c.

Refutatio.

Primò, Hoc ipsum est Christi diuinitatem simpliciter minorem facere diuinitate Patris, dicere hanc sententiam, *Pater maior me est*, extendi ad totum complexum seu suppositum Christi. Si enim Christus, quà totum suppositum est, seu quà Deus simul & homo est, minor Patre est; igitur etiam simpliciter quà Deus est, minor Patre est. Neq; enim natura humana hypostasi diuinæ coniuncta, hypostasim illam infra Patrem imminuit vllo modo, vt eam fecerit Patre minorem.

Secundò, Etsi Christus, quà totum suppositum, mediator sit inter homines & Deum, non tamen est medius interuallo aliquo inæqualitatis. Indoctè igitur Brandius medetur erroribus Caluini.

Septima Lessij Ratio, ex dolo malo & fraudibus quibus vtuntur.

EA *Religio suspecta habenda est, cuius auctores & propugnatores vtũtur dolo malo, fraudibus, & mendaciis ad eam propagandam. Atqui auctores & propugnatores Religionis Lutheranæ & Caluinisticæ, multùm vtuntur fraudibus & mendaciis ad suæ sectæ propagationem. Ergo suspecta meritò habenda est.*

Minorem probat Lessius sex omnino Argumentis.

Primum Lessij Argumentum.

Lutherani & Caluinistæ Catholicis multa dogmata falsò imponunt, vt eos faciliùs oppugnent, & eorum Religionē infament. Verbi gratiâ, Primò, *A Papistis adorari statuas, ligna, truncos, saxa, sicut ab Ethnicis idola.* Secundò, *Ab ijs adorari panem pro Deo.* Tertiò, *Omnem ab ijs fiduciam poni non in Christi meritis, sed in suis, & in Sanctis.* Quartò, *Doceri ab iis, iustificari hominem non per fidem Christi, sed ex propriis meritis.*

Prima responsio vtriusque ad primam partem primi Argumenti: Falsò accusari Catholicos quòd adorent imagines sicut Ethnici idola.

Meisnerus pag. 497. *Papicolas colere imagines eodem cultu quo colunt Deum, præterquam quòd ipsa experientia satis doceat, ex sequentibus insuper testimoniis euidentißimum erit.* Adfert autem testimonia ex D. Thomâ Aquinate, Concilio Nicæno II. Stellario Coronæ, & Bonauenturâ; quibus clarè illi affirmant Imaginem Trinitatis & Trinitatem, Imaginem Christi, Crucem Christi, & Christum, eodem adorationis genere, latriâ nempe, debere adorari.

Brandius pag. 128. *Hîc miror, Leßium, dum alios fraudum accusare vult, tam fraudulenter agere. Ille negat statuas Sanctorum in Ecclesiâ tamquam Deos adorari: sed de imagine Dei Patris, Filij, Spiritus sancti, imò & Crucis, magis mutus est quàm piscis: quæ tamen imagines, teste Bellarmino, ita adorantur.*

Refu-

Refutatio.

Quod de furibus quibusdam crumenisecis audisse memini, ita rapinis fuisse assuefactos, vt etiam in viâ eas exercerent, dum ad furcam ducerentur; id vsu venisse videtur Brandio & Meisnero, qui se adeò mendaciis fraudibusque assuefactos ostendunt, vt ne tum quidem ab iis sibi temperare potuerint, quando fraudis vel mendacij se purgare vel maximè sunt conati. Etenim hæ ipsæ Meisneri Brandiique pro excusandis fraudibus suis responsiones, nouâ fraude dolóque sunt consutæ. Nam cùm Lessius solummodò questus sit, accusari falsò Catholicos, tamquam qui Sanctorum statuas latriæ cultu adorent, sicut Ethnici sua idola; id à Catholicis nihilominùs fieri, probant iterùm isti impostores per illa Catholicorum testimonia, quibus Catholici docent, Dei tantùm & Christi imagines, & sacrosanctam Crucem, eodem latriæ cultu esse adorandas: quod se docere numquam Catholici sunt inficiati, nedum questi, se falsò eius criminis fuisse aliquando accusatos.

Primo, An nō sunt hæ manifestæ strophæ & circulationes, cùm agitur solùm de imaginibus Sanctorum (quas numquā docuerunt Catholici latrię cultu esse adorandas) perfugere ad imagines Dei & Christi? & quia has docent ita adorandas, vel impropriè, vel per accidens tantùm propriè, inde conficere, quòd idem doceant de imaginibus Sanctorum? Quid magis fraudulentum?

Secundò, Cùm numquam docuerint Catholici vlli Doctores, imagines Dei, Christi, Crucis,

aut

aut Sanctorum, adorandas distincto aliquo adorationis actu, qui primariò tendat in ipsas imagines, æqualiter atq; in ipsa prototypa (sicut adorant idola sua Gentiles:) an non est egregiè conflata calumnia, vociferari quòd doceant Sanctorum imagines adorandas iuxtà ac Gentiles adorabant deastros suos?

Tertiò, Aiunt pugnare inter se Lessiū & Bellarminum, quòd Lessius hîc scribat, cultum apud Catholicos non terminari in ipsis imaginibus, quasi illis aliquid excellentię insit, sed ita, vt transeat ad prototypum; Bellarminus verò scribat lib. 2. De imagin. Sanct. cap. 21. *Imagines Sanctorum venerandas esse etiam per se, ita vt ipsæ terminent venerationem vt in se considerantur, & non solùm vt vicem gerunt exemplaris.* Sed & hæc iterùm manifesta fraus est & calumnia: nam statim eodem cap. explicat Bellarminus, quomodo etiam tum cùm ipsæ imagines per se terminent cultum, cultus nihilominùs transeat ad prototypum, his verbis: *Quando imago honoratur per se & propriè, ita vt in ipsam verè terminetur honor, tunc honor eius transit ad exemplar, non immediatè, sed mediatè: quemadmodum, qui facit pauperi eleemosynam, Christo illam fecisse dicitur; pauperi nempe immediatè, Christo mediatè.* Manifestum igitur est, mentiri Brandium & Meisnerum, cùm aiunt *pugnare Lessium & Bellarminum:* loquitur enim Lessius de terminatione vltimâ & remotâ, Bellarminus de primâ & proximâ.

Secunda vtriusque responsio ad eamdē partem.

Meisnerus pag. 501. *Præterea quidquid sit, licet non*

non imaginem, sed in imagine Christum Sanctosque venerari se cogitent; attamen & hoc ipsum gentile, superstitiosum, & idololatricum est. Nam & Gentiles & Iudæi idololatræ in deserto non fuerunt adeò stupidi, vt existimauerint, sculptilia, quæ ipsi effecerant, esse verum Deum creatorem cæli & terræ, &c. *sed per cultum sculptilium honorare voluerunt deos suos, quos illa repræsentabant. At verò hunc ipsum cultum reiecit & damnauit Dominus.*

Brandius pag. 129. *Addo, Ethnicos etiam satis sciuisse, simulacra illa non fuisse ipsos deos suos, nec ita vt deos suos coluisse, sed illum ipsum simulacrorum cultum ad deos suos retulisse,* &c. *Conatur Lessius commentum illud excusare imagine Regis erectâ; cui si honor exhibetur, honoratur ipse Rex. Sed similia nihil probant.*

Refutatio.

Primò, Et hæc altera iterùm amborum fraudulentia & insigne mendacium est à Caluino acceptum, refutatumque à Bellarmino lib. 2. De imagin. cap. 13. *Iudæi in deserto*, ait Meisnerus, *non erant tam stupidi, vt existimauerint, sculptilia, quæ ipsi effecerant, esse verum Deum.* At Meisnerus ita stupidus est, vt crediderit non venturum nobis in mentem illius Psal. 105. *Fecerunt vitulū in Horeb, & adorauerunt sculptile,* &c. *Obliti sunt Deum qui saluauit eos.* & illius Sap. 13. *Aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam,* &c. *rectores orbis terrarum deos putauerunt.* Et Brandius æquè videtur ignarus etiam Grammaticalium literarum, quàm ignarus, quid putarint Ethnici esse sua simulacra. Neque enim

enim negasset, Ethnicos sua simulacra pro veris diis habuisse, si vel illud Satyrici legisset:

——— Felices quibus hæc nascuntur in agris
Numina! —— vel illud Venusini:
Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cùm faber incertus, faceret scamnũ, anne Priapum,
Maluit esse deum.

Secundò, Nouum Brandij paradoxum est, *Similia nihil probant.* Erit itaque expungendus in posterum ex Argumentorum sedibus, Locus à Similibus.

Tertia responsio Meisneri.

Pag. 504. *Sanctis in Papatu deferri cultum latriæ (vt maximè negent Iesuitæ) probari tamen firmissimè potest, Primò, Quia adorant Mariam ceu victricem & conculcatricem serpentis. Secundò, Quia inuocant Sanctos vt saluatores, redemptores, & liberatores ab irâ Dei, à peccato, satanâ, & æternâ damnatione. Tertiò, Quia spem & fiduciam suam in Sanctis habent defixam. Quartò, Quia Sanctis defunctis gratiæ & cælestium donorum elargitionem & applicationem tribuunt. Quintò, Quia in suis preculis offerunt Sanctis sacrificium laudis,* &c. *templa ipsis & altaria erigunt, festa instituunt, candelas accendunt, thura adolent, suffitus faciunt, flamines & sacrificulos constituunt, per illos iurant, vota ipsis nuncupant, & quæ sunt alia his similia.*

Refutatio.

Hæc item omnia dolo malo in Catholicos fabricata sunt, & maximâ parte falsa. Primò, Quod ad sacratissimã Virginem Mariam attinet, eam vt serpentis victricem colimus, sed nullo victoris

ctoris Christi præiudicio; quia per Christum vicit, Christi ope adiuta: sic inquam vicit serpentem, sicut nos iubet Apostolus resistere diabolo serpenti cum Christi gratiâ. Hoccine est cultu latriæ Virginem colere?

Secundò, Sanctos colimus non vt saluatores, redemptores aut liberatores primarios, sed vt salutis nostræ procuratores & patronos; quemadmodum Paulus de seipso loquitur ad Rom. 11. *Vt saluos facerem aliquos ex illis.* & 1. Cor. 9. *Vt omnes facerem saluos.* quemadmodū clientuli, adiudicatâ sibi lite, Aduocatos suos vocant Deos fortunarū suarum.

Tertiò, Spem in Sanctis ponimus item vt patronis, quemadmodum inter homines fieri amat, non vt in diis.

Quartò, Mendacia sunt, Sanctis apud nos attribui gratiæ applicationem & largitionem, aliter quàm impetratiuè: templa illis & aras ædificari aliter quàm pro memoriæ monumentis & sepulchris: soli enim Deo consecrantur templa & aræ. Flamines illis consecrari & sacrificulos, impudentissimum est mendacium. Vota illis nuncupari aliter quàm vt deprecatoribus, gratitudinis ergô, impostura. Festos dicari, vt dijs, nota in vulgus calumnia; Festos dicari, vt triumphatoribus palatinis magni Imperatoris Dei, non est latriæ cultus. Ita enim Augustinus lib. 8. De Ciuit. cap. vlt. *Nec tamen nos eisdem Martyribus templa, Sacerdotia, sacra, sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus.* cùm tamen idem Augustinus scribat lib. 20. contra Faust. c. 21. *Populus Christianus memorias* (basilicas intelligit) *Martyrum religiosâ solemnitate concelebrat.*

Re-

Responsio vtriusque ad secundam partem primi Argumenti: Falsò accusari Catholicos, quòd sint ἀρτολάτραι, seu adoratores panis.

Meisnerus pag. 508. *Etsi statuant Catholici, panem non ampliùs in Eucharistiâ esse, sed in Corpus Christi verè & realiter transsubstantiari; videndum quid faciant, non quid facere se existiment.*

Brandius pag. 130. *Non quæritur quid illi credant, sed quid credere debeant.*

Refutatio.

Primò, Imò certè id solùm sufficeret ad eos idololatriæ crimine absoluendos, sicut suffecit Patriarchæ Iacobo sua fides ad purgandum se de adulterio cum Liâ, quam crediderat fuisse Rachelem. Sicut suffecit Paulo, ad purgandum se de contumeliâ in ignotum Pontificem iactâ. Malâ igitur fide accusant Catholicos, vt Panicolas, qui verè credunt se adorare Christum, non panem.

Secundò, Non esse panem quem adorant, sed reuerà Deum, ab infinitis propè Catholicorum Scriptoribus est certissimò demonstratum, frustrà oblatrantibus hæreticis omnibus, & nihil alicuiùs momenti adferentibus.

Responsio vtriusque ad tertiam partem primi Argumenti: Catholicos accusari, vt qui fiduciam ponant non in Christi, sed Sanctorum & suis meritis.

Meisnerus pag. 510. *Non culpamus Papicolas, quòd penitus tollant, aut directè negent meritū Christi;*

sti; sed quòd fiduciam suam non vnicè ponant in obedientiâ & satisfactione Christi.

Brandius pag. 131. *Accusantur Papistæ, quòd fiduciam suam non collocent solùm in meritis Christi, sed & in suis meritis, & in Sanctis.*

Refutatio.

Nouæ sunt sycophantiæ: nam Lutherus in cap. 50. Genes. scribit apertè, *Asini isti Louanienses palàm negant Christum esse Prophetam; negant nos habere remissionem & vitam æternam per Christum, & abolent sententiam: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Confessio Mansfeldensium cap. De erroribus Iesuitarum: *Error secta Iesuiticæ est, quòd Christus, etsi mediator & intercessor noster fuerit, nunc tamen non sit ampliùs, sed iam solos Sanctos intercessores ac mediatores nostros esse.*

Imò Meisnerus ipse pag. 85. hoc ipsum doceri à Catholicis probare nititur isto argumento: *Si nostris operibus vitam æternā meremur, & si per Legem datur iustitia, igitur frustrà Christus mortuus est.* Quod argumentum non valeret, si à Catholicis putaret Meisnerus admitti aliquâ ex parte meritum Christi. Tum enim eâ ex parte Christus non esset frustrà mortuus, adeoque pag. 86. scribit, *tantum detrahi λύτρῳ Seruatoris nostri, quantum opellis monachalibus tribuitur.* Cùm è contrario tantò nos plus Christi merito tribuamus, vtpote per quod etiam bona opera nostra vim nacta esse merendi doceamus.

Brandius quoque hoc ipso loco, vbi se accusare Catholicos eo solo crimine dicit, quòd non collocent fiduciam solùm in meritis Christi, ita addit

versu sequenti: *Deinde cùm ita* Catholici *coniungant merita sua & Sanctos Christo, an non ipsum Christum suo solio deturbant? Gratia Dei in Christo, & merita nostrorum operum non concurrunt.* Vbi manifestè docet, à nobis *Christum solio suo deturbari, & merita nostra non stare cum gratiâ Dei in Christo, seu meritis Christi.* Accusant igitur, quasi tollamus omne meritum Christi. Et quæ frons istorum hominum, qui tam apertè mentiuntur, etiam dum profitentur se excusare mendacia sua?

Responsio vtriusque ad quartam partem primi Argumenti: Falsò accusari Catholicos, quòd doceant iustificari hominem meritis propriis, non per fidem Christi.

Meisnerus pag. 514. *Esse hanc Pontificiorum sententiam, mirum est reperiri quemquam qui neget. An non enim fidem specialem, quâ meritum Christi apprehendimus, impugnant, & nequaquam illi iustificationem acceptam ferunt?* &c. *Equidem non diffitemur, fidem illos in iustificatione cum operibus coniungere; sed non intelligunt fidem specialem & saluificam, quæ est apprehensio meriti Christi, sed tantùm generalem, in nudo assensu, qui diabolis etiam communis, consistentem.*

Brandius pag. 131. *An non & hoc verum est? An in iustificationis caussis fides & operum nostrorum merita concurrere possunt? Nihil magis quàm gratia Dei & opera hominum.*

Refutatio.

Quid impudentius vel hoc ipso Meisneri mendacio?

dacio? Catholici, quia negant fidem illam specialem, non aliam fidem habent, quàm quæ diabolis est communis: cùm semper omnes Catholici docuerint actum fidei suæ supernaturalis, imperari per pium voluntatis motum, qualis nullus in diabolis esse potest.

Ecce vt etiam fraude & mendacio excusant hæretici fraudes suas.

Secundum Lessij Argumentum.

Lutherani & Caluinistæ, &c. non solùm dogmata, sed etiam crimina falsa imponunt, præsertim ijs quos maximè putant suis successibus obstare: nimirum cædes, proditiones Principum, & varia turpitudinem genera. Id quod probat ex famosis libellis eorũ, nuper non vno loco editis, in viros Religiosos innocentissimos, Magistratuum iudicio absolutos.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 515. vers. vltimo: *Lessius, abiecto omni pudore & perfrictâ fronte affirmat, cædes, proditiones, & turpitudines falsò obijci Romanẽsibus, cùm tamen id ipsum testentur Historiæ*, &c. Quarum pluta exempla Meisnerus adfert.

Brandius fol. 132. *Iesuitas notat Lessius*, &c. *Sed quidni credam eiusmodi libellos aliquando ab ipsis Papistis edi*, &c. *vt, si quando alij eduntur qui vera continent, minus fidei illis habeatur*, &c. *Sed tamen, quoniam Iesuitæ se ab omnibus flagitiis tantopere excusant, quare non respondent libello illi supplici Vniuersitatis Parisiensis*, &c. *vbi ostenditur, doctrinam Iesuitarum tendere ad Regicidia. Cur non respondent Anticottonio?*

Refutatio.

Iesuitas præcipuè indicari à Lessio, benè obseruauit Brandius: vnde Meisnerus malitiosè respondet, quasi generatim de Romanensibus egisset Lessius, adeoque tam stulta est eius responsio, vt risu excipi mereatur. Qualis enim ista est ratiocinatio; A Catholicis multa millia Waldensium & Hussitarum occisa sunt, multæ cædes aliæ editæ sunt, &c. Verè igitur in Religiosos viros (qui præcipuè Protestantium successibus intercedunt) omnia illa crimina conferuntur, quæ tot libellis editis sunt conficta. Sed mirè quoque felix Brandij in diuinando ingeniũ. Credit ille nempe, ab ipsis Papicolis, aduersus seipsos spargi calumniosas illas chartas; vt cùm vera aliàs produntur ab aliis crimina, fidem quoque amittant. Vaferrimum consilium! Iam credam quoque in posterum, Flores Caluinisticos, & Caluini Vitam non à Bolseco, sed Caluiniano aliquo esse conscriptam, vt vera Caluini crimina perderent fidem. Tota autem hęc Brandij diuinatio nititur exemplo libelli à F. Costero editi, quo ille scribit, de se inter hæreticos iactatum, Costerum à Catholicorum castris ad Protestantium signa transfugisse. De quo rumore Brandius non habuit aliud dicere quàm, *Non puto* Prote stantium *quemquam vel per somnium de eâ re aliquid cogitasse, imò vix credo vel millesimum quemque sciuisse adhuc eum esse in viuis.* Insolubilia argumenta! *Non puto, non credo*: fabulas igitur finxit Costerus.

Denique Anticottonio, quod Brandius postulat, responsum est ab Andreâ nostro Eudæmon-Ioan-

Ioanne, aliiſque: & nupera Ieſuitarum in Galliam reſtitutio, & recens in Pariſienſem Vniuerſitatem adlectio, pro magno Apologetico eſt aduerſus eiuſdem Vniuerſitatis accuſationes.

Tertium Leſsij Argumentum.

Caluiniſtæ & Lutherani dolo malo vtuntur in ſuis dogmatibus confirmandis, Scripturarum & Patrum ſententiis aliquid addendo, vel detrahendo, vel immutando, vel omiſsis perſpicuis, proferendo quaſdam obſcuras.

Lutherus enim ad Rom. 3. vbi Apoſtolus ait, *Arbitramur hominem iuſtificari per fidem*; adiecit *ſolam*. 2. Pet. 1. vertens illam ſententiam Petri, *Quapropter, fratres, magis ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis*; omittit illud, *per bona opera*.

Pſal. 75. verſ. 12. *Vouete, & reddite*: addit ad marginem hoc gloſſema: *Quòd pro Deo veſtro illum habere velitis, quemadmodum requirit primum præceptum, & nolite vouere Sanctis, vel alia vota.*

Ad illud Prou. 31. *Mulierem fortem*, &c. in margine adſcribit: *Nihil amabilius in terrâ mulierum amore, cui is obtingere poteſt.*

1. Cor. 9. *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi*; Lutherus de ſuo addit, *in vxorem.*

Zwinglius loco illorum, *Hoc eſt corpus meum*; in editione Germanicâ poſuit, *Hoc ſignificat corpus meum.*

Beza Act. 2. v. 7 loco illius, *Non derelinques animam meam in inferno*, ſcribit, *Non relinques cadauer meum in ſepulchro*: ψυχὴν *animam* vertit in

cadauer; ᾅδlω *orcum* in *sepulchrum.*

Caluinus elidit omnem vim Scripturarum, quibus SS. Patres asseruerunt Trinitatem personarum, Diuinitatem Filij & Spiritus sancti.

Totum cap. 53. Isaiæ, quod manifestè loquitur de morte & passione Christi, exponit metaphoricè de molestiis, quibus populus Iudaicus affecit Deum peccando.

Illud Matth. 19. [Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,] vult ironicè dictum esse.

Illud ad Hebræos 5. v. 7. [Exauditus est pro suâ reuerentiâ] exponit [pro suo metu.] εὐλάβειαν interpretans [metum & dubitationem] ita vt Christum præ metu mortis significet propè incidisse in desperationem salutis æternæ.

Dominus de Plessis Caluinista plusquam centum testimonia Patrum & Doctorum corrupisse conuictus coram Christianißimo Rege ab Illustrißimo Cardinale d'Eureux.

Responsio vtriusque pro corruptelis Lutheri.

Meisnerus pag. 518. *Rectissimè facit Lutherus, addendo [solam] suique facti aliquot rationes attulit Tom. 5. Ienens. Germ. edit. anno 75. Desumitur autem prima ab officio Interpretis fidelis, cuius est, verum & natiuum sensum exprimere,* &c. *Secundùm idiotismum linguæ Germanicæ, exclusiuam meritò addidit. Secunda ab exemplo Scripturæ, & tertia ab exemplo Interpretum, in aliis Scripturæ testimoniis*, &c. Pag. 521. *His rationibus qui contenti esse noluerunt, sed morosè Luthero crimen falsi sine omni ratione obiecerunt; eos meritò nominauit asinos,*

nos, &c. *atque istos Aristarchos versiculo hoc rectè excepit:*

Sic volo, sic iubeo; sit pro ratione voluntas.

Non quòd rationes suæ versionis nec velit nec possit adferre, &c. *sed vt illorum petulantiam redargueret, & iura Interpretis assereret.*

Pag. 522. *Lutherus omisit* 2. *Petri* 1. *vers.* 10. *illa verba* [*per opera bona*] *quia vertere debuit non ex Latinâ impurâ versione, sed ex fontibus Græcis, in quibus illa verba non reperiuntur.*

Pag. 523. *Ad Psal.* 75. *vers.* 12. *Vouete & reddite, apposuit in margine: Quòd pro Deo vestro illum habere velitis, quemadmodum requirit primum Præceptum. Et nolite vouere Sanctis, vel alia vota. Respondeo: Scriptura vbi mentionem facit votorum, Deo tantùm esse vouendum innuit*, &c. Pag. 524. *Ideoque peccant Papales Monachi, qui vota sua ad homines etiam dirigunt.*

Pag. 524. *Ad Prouerb.* 31. *vers.* 20. [*Mulierem fortem*] *Lutherus apposuit rhythmum amatorium. Respondeo: Omnia munda mundis*, &c. *ad Tit.* 1. *v.* 15. Pag. 525. *Nihil autem esse amabilius matrimoniali mulierum amore* (*quem solum Lutherus intellexit*) *ipsa aliquoties Scriptura subinnuit.*

Pag. 525. 1. *Cor.* 9. *v.* 5. *Numquid habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, Lutherus de suo addidit* [*in vxorem.*] *Respondeo: Nihil de suo addidit, sed sensum Apostoli perspicuè reddidit. Loquitur enim Paulus de continuâ vnius mulieris circumductione. Ea autem fuit concubina, aut legitima vxor. Prius absurdum, posterius igitur verum.*

Brandius pag. 134. *Ad Rom.* 3. [*Per fidem*, &c.] *Textus illius circumstantia, & eius cum aliis Scri-*

 ptura

ptura locis collatio, illum ita intelligendum euincunt. Non corrumpit ergo hunc locum Lutherus addendo [solam.] 2. Pet. 1. vers. 10 Verba illa [per bona opera] omittit, &c. Non sunt in textu Græco; non malè ergo illa omisit, &c. Glossema ad marginem Psal. 75. Glossema item ad marginem Prou. 31. ego neutrum in meo inuenio. Et vt vtrumque in margine appositum sit, sicut posterius improbo, ita dubium est an id à Luthero sit factum. Deinde marginalis nota non est ipse textus.

Pag. 135. *An non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, 1. ad Cor. 9. de suo accusatur addidisse [in vxorem] &c. Meum exemplar non habet illud [mulierem] & Lessius scit (si Græcè scit) textum, ad verbum, seruato ipso verborum ordine, ita posse transferri: An non habemus potestatem sororem vxorem circumducendi? Γύνη enim non solùm mulierem, sed & vxorem significat.*

Refutatio.

Primò, Lutherum posse meritò vocari murem Ponticum, ab arrosâ Scripturâ (vt Marcionem olim eâdem de caussâ argutè appellauit Tertullianus) nemo, credo, negabit, cùm ea non modò Catholicorum, sed & aliorum fuerit de Lutheri falsitate opinio. Bucerus enim ipse Dialogo contra Melanchthonem scripsit, *Lutheri in vertendis Bibliis lapsus nec paucos esse, nec obscuros*: testaturque Mansfeldensis Confessio, *Lutherũ ab Osiandrinis egregiæ falsitatis in explicandis Scripturis fuisse notatum, referente Petro nostro Canisio, De corruptelis verbi Dei.*

Secundò, Cochlæus in Vitâ & Actis Lutheri anno

anno 1522. narrat, notatas fuisse mille circiter Lutheri corruptelas in nouâ translatione Testamenti noui. Solus Hieronymus Emserus Præfat. in nouum Testamentum, *mille & quadringentos errores fatetur in Lutheri versione repertos.*

Tertiò, Nulla omnino ratio à Meisnero allata Lutherum excusat falsitatis; quia Luthero etiam monito suorum errorum, nulla earum rationum in mentem vmquam venit: neque aliam rationem pro se attulit, atque illam, *Sic volo, sic iubeo.* Nusquam vllum exemplum Scripturæ, aut Interpretis eo modo Scripturam interpretantis, produxit, vt interpretationem suam vindicaret. Non fuit ergo motus rationibus illis Meisneri ad versionem suam condendam.

Quartò, Etiamsi Luthero alicuius harum rationum venisset in mentem, illa tamen nihilo magis eum purgaret falsi; quia etiam hæ ipsæ omnes rationes falsæ sunt. Nam Primò, addendo *solam,* tantum abest vt natiuum eius loci sensum expresserit (quod fidi fuisset Interpretis) vt etiam sensum peruerterit, iudicio totius Antiquitatis, atque adeò ipsius Scripturæ. Secundò, Nusquam Scriptura seipsam explicauit alibi in contradictorium sensum, vt eam facit hîc se interpretari Lutherus. Contradicũt enim sibi ista: *Arbitramur iustificari hominem per fidem* SOLAM, ad Rom. 3. & *Ex operibus iustificatur homo, &* NON *ex fide* TANTVM, Iacobi 2. Non ergo pro Luthero facit: quia nullus ante Lutherum interpres aut Græcus, aut Syrus, aut Latinus, aut etiam Germanus, hunc Pauli ad Romanos locum ita est interpretatus. Quare aut dicendus est Lutherus malefidus Interpres, aut

omnes alij ante Lutherum fuisse malefidi.

Quòd verò alibi subinde Græcus Latinusque Interpretes addiderint etiã particulas, *Soli* & *Tantùm*, vbi eas Hebræus textus non habebat; id illi fecêre ijs tantùm in locis, quibus eas addi posse saluo sensu, Scripturæ ipsius sententia ostendebat. Verbi gratiâ, Deuteron. 6. vers. 14. Hebręus textus habet: *Dominum Deum tuum timebis, & ipsi seruies*. Matth. 4 vers. 10. id Christus ita reddit: *Illi soli seruies*, quemadmodum & Græcè reddiderunt Septuaginta; quia nempe loco Deuteronomij citato expressè dictum erat, *Non ibis post deos alienos*. Vnde sequebatur necessariò, Ergo *soli Deo seruies.* Deuteron. 4. vers. 35. dicitur de Deo, *Non est alius præter eum*; id quod Deuteron. 32. vers. 39. redditur: *Videte, quòd ego sim solus.* quod posterius necessariò sequebatur ex priore.

At nihil simile est in loco illo Pauli ad Rom. 3. vnde colligi potuit, addendam fuisse particulam *solam*. Est autem secundum caput Iacobi, vnde demonstratur addi eam non potuisse: *Non ex fide tantùm*. Denique, Lutherum id egisse solâ deprauãdi libidine, vel ex eo patet, quòd scribat, *dolere se, quòd non etiam addiderit prætereà duas hasce particulas*, OMNIS & OMNIBVS, ad reddendam huiusmodi sententiam: *Arbitramur hominem iustificari per fidẽ* SOLAM, *sine* OMNIBVS *operibus* OMNIS *Legis*. Quo verò aut Scripturæ aut Interpretis alterius simili hîc se defendet exemplo? Facetè suggerit Becanus noster Titulo 1. Caluinistarum, fore admodum è re & priuilegio Vestalium, quas pro vxorculis habent Prędicantes, vt ad illud 1. Timoth. 2. vers. 15. *Mulier saluabitur per filiorum generationem*,

nem, addant etiam, SOLAM. sic viuent nempe cum Venere Martialem vitam.

Quintò, Ineptè perfugit Meisnerus ad Germanicæ linguæ idiotismum; quasi verò verba illa, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus Legis*, non possint saluo idiotismo explicari sine particulâ *solam*! Quid ergo? Interpretes omnes Germani fuerunt tam idiotæ, qui ante Lutherum Biblia Germanico idiomati reddiderunt, vt contra idiotismum peccauerint omnes eo Pauli loco?

Sextò, Nimis absurdum crassumque fuit Lutheri in deprauandis Scripturis consilium, quàm vt quemquam oculatiorem præterire posset. Quis enim, nisi planè hebes, non sentiat, has quas dicam corruptelas deditâ operâ à Luthero commissas esse, ad stabiliendam doctrinam suam aduersus opera bona? Nimirū ad Rom. 3. *per fidem* SOLAM. 2. Petri 1. expunctum *per opera bona*, de quo dicturus sum infrà. 1. ad Thess. c. 4. omissum, *Abstineatis vos à fornicatione:* Tota denique Iacobi Epistola (semper ab omni retrò Antiquitate iudicata Canonica) sacro Canone proscripta, quia docet *iustificari hominem ex operibus, non per fidem tantum; fidem autem sine operibus esse mortuam.* Quis non videat, hanc harmoniam deprauationum dolo malo esse conflatam?

Denique ferulâ quàm responsione dignius est illud Meisneri argumentum; *Feminæ quas perpetuò Apostoli circumducebant, vel erant concubinæ, vel vxores. Prius absurdum est, igitur posterius verum est.* Acutè! ac si dicas, *Feminæ, quæ Luc. 8. sequebantur Christum, vel concubinæ erant, vel vxores. Prius ab-*

absurdum est, posterius igitur verum est. Reliquæ verò Brandij obiectiunculæ à Bellarmino sunt difflatæ cap. De cælibatu Clericorum.

Iure igitur concludo, Lutherum fuisse impudentissimum Bibliomastygem, qui tot locis Scripturam sacram deprauauit.

Responsio vtriusque pro corruptelis Zvvinglij, Bezæ, Caluini.

Meisnerus pag. 526. *Subiungit Lessius exempla quædam vitiosarum Scripturæ interpretationum ex libris Caluinisticis; ad quas respondere opus non est, cùm ipsi illas improbemus. Quod addit de Mornæo, de eo nihil nobis constat: fortassis est veritas Iesuitica, hoc est, mendax calumnia.*

Brandius pag. 136. *Zvvinglium Lessius accusat, quòd loco illorum verborum, Hoc est corpus meũ, &c. posuit, Hoc significat corpus meum. Non credo. Consului Germanicam versionem quæ in Ecclesiâ Tigurinâ in vsu est, illud non inueni. Et quamquam ita esset, prætereà tamen Auctorum sententias corrupisse accusari non posset. Si enim Patribus veteribus credimus, ille est eorum verborum sensus, &c. Subiungit Lessius, Bezam, &c. quòd* ψυχὴν *[animã] vertat in [cadauer]* ᾅδην *[orcum] in [sepulchrum.] Si quid Beza peccauit, id correxit, veterem translationem restituendo, &c.* Pag. 137. *Intereà Beza demonstrat, animam apud Hebræos interdum significare cadauer, &c. & infernum, sepulchrum, &c. illumque esse illius loci sensum, euincit adductâ oratione Petri Apostoli. Caluinus, ita est, multa Scripturæ loca de Trinitate, &c. aliter intelligit, quoniam vidit eorum circumstantias id exigere.* Pag. 138. *Quòd cap. 53. Isaiæ de Christi passione*

ne,&c. *loquatur metaphoricè*, &c. *illudque Matthæi* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, *doceat à Christo dictum esse ironicè; neutrum est verum. Consulantur eius Commentaria, & deprehendes Lessij calumnias*, &c. *Nusquam item dixit Caluinus, Christum dubitasse, aut in desperationem aliquam, nedum salutis æternæ, incidisse*, &c. Pag. 139. Εὐλάβεια *autem significat quoque metum*, *Actorum* 23. Εὐλαβηθεὶς ὁ χιλίαρχος, *Timens tribunus*, &c. *Nihil ergo est quòd Caluinus accusetur.*

Refutatio.

Primò, Non modò à Catholicis, sed à Lutheranis eos pro falsariis habitos esse, probant vel ipsa recitata Meisneri Lutherani verba, quibus ait, *à suis quoque vitiosas illas Caluinistarum interpretationes non probari.*

Secundò, Petrus noster Cottonius ducentas annumerat Caluinistarum in Scripturâ corruptelas, libro quem vocat *Geneuam Plagiariam*; quò Brandium Meisnerumque remitto.

Tertiò, De Zwinglio hæc scribit Iudocus Coccius lib. 8. De signis Ecclesiæ, ex lib. 2. cap. 6. Theologiæ Caluinisticæ Conrardi Schlusselburgij: *Zvvinglius vt suam Sacramentariam blasphemiam probet, sceleratissimè, tamquam manifestus falsarius & deprauator, verba Filij Dei viui corrupit. Vbi Græcus textus, Latinæ versiones omnes, & Tigurina versio habent, Hoc est enim corpus meum; Zvvinglius posuit, Hoc significat corpus meum, Hoc significat sanguinem meum.* Das bedeutet meinen leib / Das bedeutet mein blutt. *Vidi exemplar Mundera, anno* 1560. ait Conrardus Schlusselburgius. Neque verò eum esse illorum verborum sensum, pro-

probarunt Catholici Doctores omnes quotquot de Eucharistiâ scripserunt.

Quartò, De Bezâ ita certa historia est, vt fateatur Brandius ab eo Scripturam, quam corruperat, denuò esse instauratam: erroris enim admonitus fuerat à Castalione. Quæcumque autem adfert hîc Brandius pro Bezæ defensione, clarissimè refutata sunt à Bellarm. lib. 4. De Christo, cap. 10. vbi ostendit, Bezam pugnare secum, dum contra Brentium scribit pro Bullingero; cæcutire eos qui ex Luc. 16. cap. & Num. 16. cap. & Psalmo 138. non vident שאול significare *infernum*: & iterùm cæcutire eos qui eamdem vocem Luc. 16. item cap. non vident accipi debere pro *sepulchro*, non autem pro *inferno*, dum scribit contra Castalionem. Denique notat Bellarminus, Henricum Stephanum in magno Thesauro suo non vnam attulisse auctoritatem, quâ probaret ᾅδης significare *sepulchrum*.

Quintò, Caluinus si ritè interpretatus est Scripturas de Trinitate & Diuinitate, dicendus profectò est solus sapuisse post tot Ecclesiæ doctissimos Interpretes, Græcos iuxtà ac Latinos, quorum nemo ita vt Caluinus eas explicauit. Stanckarus liberè scripsit: *Tua, Caluine, de Filio Dei doctrina, tota Arriana est.*

Sextò, De cap. 53. Isaiæ hæc eius verba citat Coccius loco suprà notato: *Qui hunc locum de Christo exponunt, sensum Prophetæ torquent. Quare simplicior mihi videtur hæc interpretatio. Conqueritur enim Dominus, quòd homines eum peccatis suis molestum onus subire coëgerunt.* Quâ igitur fronte negat Brandius à Caluino dictum, *non quadra-*

re

re locum hunc in hominem Christum passum, sed in solum Deum.

Septimò, Commentariis in cap. 19. Matthæi vers. 20. ad hæc verba, *Dicit illi adolescens, Omnia hæc custodiui*; ita scribit in Harmon. Gallicâ, impressâ anno 1563. apud Michaëlem Blanchier: *Cependant toutesfois Christ ne requiert rien de luy* (ce ieun homme) *oultre les commandemens de la Loy*, &c. *ie confesse qu'il n'y à endroit de la Loy par lequel il nous soit commandé, vendre tout: mais veu que la fin de la Loy est, d'amener les hommes à vn renoncement d'eux mesmes, & veu qu'elle condamne expressement la concupiscence; nous voyons, que Christ n'a regardé autre chose, qu'à corriger la faulse persuasion & presumption de ce ieun homme.* Id est, *Intereà tamen nihil Christus ab illo*, adolescente, *exigit vltra mandata Legis*, &c. *Equidem fateor, nullum esse Legis præceptum, quo iubeamur omnia vendere: sed nimirum cùm finis Legis sit, adducere homines ad sui abdicationem, ipsaque expressè concupiscentiam damnet; videmus non aliò spectasse Christum, quàm vt corrigeret falsam persuasionem præsumptionemque huius adolescentis.* Et ad versum 22. *Abiit tristis: Christ en luy commandant de vendre tout, n'a point voulu faire vne addition à la Loy.* Id est, *Christus mandando ei vt venderet omnia, noluit additionem aliquam adiungere Legi.* Quid verò est hoc aliud dicere, quàm Christum dixisse adolescenti ironicè, *Vende omnia quæ habes?* nolebat enim eum omnia vendere, sed animum adolescentis tantùm explorabat.

Octauò, De Christi angore & metu ita scribit in Instit. Gallic. impressis anno 1562. sine nomine Typo-

Typographi & loci, lib. 2. cap. 16. §. 10. 11. 12. Paragraph. 10. *Parquoy il ne se faut esmerueiller s'il est dit qu'il* Christ *est descendu aux enfers, veu qu'il a enduré la mort, de laquelle Dieu punit les malfaicteurs en son ire.*

In Latinis impressis apud Antonium Rebulium anno 1561. *Ergo si ad inferos descendisse dicitur, nihil mirum est; cùm eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.*

Deinde ibidem explicat quæ sit illa mors: *Sçachions, que non seulement son corps a esté liuré pour les pris de nostre redemption, mais qu'il y a eu vn autre pris plus digne & plus excellent, d'auoir enduré les tourmens espouuentables, que doiuent sentir les damnez & perduz.*

Ibidem in Latinis: *Sciamus non modò corpus Christi in pretium redemptionis fuisse traditum, sed aliud maius & excellentius pretium fuisse, quòd diros in animâ cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* O perditum damnatumque Caluini ingenium!

At hinc sequitur necessariò, ait Bellarminus, *Christum quoque desperasse: quia tam essentialiter desperationem includunt damnatorum tormenta, quàm Beatorum præmia securitatem.*

Paragraph. 11. *Le Fils de Dieu a esté saisy de tristesses & angoisses, que l'ire de la malediction de Dieu engendre.*

Ibidem in Latino: *Filius Dei implicitus fuit doloribus, quos parit maledictio & ira Dei.*

Ibidem inferiùs: *Iesu Christ a esté exaucé de sa crainte, non pas pour estre exempt de la mort, mais pour n'y estre point englouty comme pecheur.*

Ibi-

Ibidem in Latino: *Christus ergo cum lacrymis & clamore valido orans, à metu suo exauditur, non vt à morte sit immunis, sed ne absorbeatur vt peccator.*

Paragraph. 12. *Certains broullions dressent les cornes contre ceste doctrine,* &c. *Ils disent que ie fais grande iniure à Iesu Christ, pour ce qu'il n'est point conuenable, qu'il eut crainte pour le salut de son ame. Puis ils se desbordent plus outre en leur calumnie; c'est que i'attribue au Filz de Dieu desespoir contraire à la foy. Premierement quant à la crainte, & estonnement de Iesu Christ, que les Euangelistes preschent si clairement, ces canailles sont trop hardis d'en esmouuoir question.*

Ibidem infrà: *Estans conuaincus, ils se tournent à vne autre cauillation; combien que Iesu Christ a craint la mort, toutesfois qu'il n'a pas redoubté la malediction, & l'ire de Dieu, de laquelle il se sentoit asseuré,* &c. *Quelle honte seroit il, que le Fils de Dieu eut esté si effeminé de se tourmenter iusques la, pour la mort commune, qu'il suast sang, & ne peut estre recreé, que par la veue des Anges?* &c.

Ibidem in Latino: *Nebulones quidã,* &c. *clamitant, me atrocem facere Christo iniuriam, quia minimè consentaneum fuerit eum de animæ salute timere. Deinde calumniam duriùs exagitant, me desperationem adscribere Filio Dei, quæ fidei contraria sit. Primùm de metu pauoreque Christi, quem tam apertè prædicant Euangelistæ, controuersia ab his improbè mouetur,* &c.

Et infrà: *Conuicti, ad aliud tandem cauillum transiliunt; quamuis mortem timuerit Christus, maledictionem & iram Dei, à quâ se tutum esse nouerat, non timuisse,* &c. *Quàm pudenda fuisset hæc*

Christi mollities, eousque torqueri ob communis mortis formidinem, vt sanguineo sudore difflueret, neque posset recreari nisi Angelorum conspectu?

Denique in Harmoniâ cap. 27. Matth. dicit, Christū emisisse vocem desperationis: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Verba eius sunt: *Sed absurdum videtur, Christo elapsam desperationis vocem. Solutio facilis est*, &c. Sed acutè Caluinum oppugnat Bellarminus: *Si vocem desperationis Christus emisit, vel deliberatâ voluntate emisit, vel non. Si deliberatâ, ergo verè desperauit; & peccauit. Si non, ergo fuit in Christo inordinatio passionū* quod negat Caluinus lib. 2. Instit. c. 16. §. 12. Ex quibus omnibus apertissimè patet, à Caluino esse scripta, quæ ei Lessius cæterique Catholici assignarunt.

Denique ratiunculas, quas pro suâ versione attulit Caluinus Comment. in Epist. ad Hebræos, futiles esse, doctissimè ostendit Bellarminus lib. 4. De Christo cap. 8. Primò, Quia εὐλάβεια, teste ipso Bezâ, sumitur non pro quocumque timore, sed reuerentiâ. Secundò, Etiamsi alibi εὐλάβεια significaret horrorem, at hoc saltem loco ad Heb. cap. 5. à nullo Catholico aut hæretico, præterquam à Caluino & Bezâ, accipitur pro horrore, sed pro reuerentiâ. Ita Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius Græci, quibus in patrio sermone magis, opinor, credendum, quàm Caluino. Tertiò, Quia ἀπὸ non solùm significat *à, ex, de*, sed etiam idem quod διὰ, id est, *pro*, vel *propter*. Actor. 12. vers. 14. Ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *Præ gaudio*, vel *propter*. Luc. 22. vers. 45: Ἀπὸ τῆς λύπης, *Præ*, vel *propter tristitiam*. Ita Luc. 24. vers. 41. Matth. 13. vers. 44. & alibi, ἀπὸ sumitur pro διά. Quartò, Quia etiamsi in

in Græco textu desit *sua*, non potest inde confici, legendum esse *metum* pro *reuerentiâ*. Quintò, Nemo non videt, versionem hanc à Caluino factam esse contra omnium sententiam, ad confirmandum execrabile illud dogma de horrore & desperatione Christi, & tollendum eius descensum ad inferos: qui error ita puerilis ac ridiculus est, vt vel ex solius Symboli Apostolici ordine refuteur. Cùm enim hic Symboli sit ordo, *Crucifixus, mortuus, & sepultus est, descendit ad inferos*; Caluini subtilissimo inuento ita reformandus est ordo: Primò, *Crucifixus est*; deinde, *in cruce mortuus est*; mox, *in sepulchro positus est*; denique iterùm *in cruce pertulit diros cruciatus damnati ac perditi hominis, quod est, Descendit ad inferos*, ait Caluinus lib. 2. Institut. cap. 16. §. 10.

Certum igitur est, Zwinglium, Bezam, Caluinum esse falsarios, & Scripturæ corruptores, vereque eis suas corruptelas à Lessio assignatas.

Obiectio Meisneri.

Pag. 541. *Scripturam deprauant* Catholici, *idque dupliciter. Primò, Approbando versionem Vulgatam, in quâ tamen innumeræ sunt mendæ & errata varia. Secundò, Vitiosissimè exponendo, & in alienam planè mentem trahendo*, pag. 544. Quod quia frigidè admodum & ridiculè à Meisnero probatur, non refutabo.

Refutatio.

Primò, Quis non videat, plusquàm Bœotico stupore hallucinari Meisnerum, dum ita argumentatur: *Catholici approbant Vulgatam versionem,*

in quâ ſunt innumeræ mendæ. Igitur Catholici deprauant Scripturam. Imò verò contrà rectiſſimè ſequitur, Approbant Catholici Vulgatam; non ergo deprauant Scripturam: quia non poſſunt approbare deprauatam, niſi ſupponatur antè fuiſſe deprauata.

Sed dicet Meiſnerus, Approbando Vulgatam Latinam, deprauant Hebræam & Græcam Scripturam. At neque hoc ſequitur: quia Catholici, etiamſi approbent Latinam, non tamen eâ re damnant Hebræam aut Græcam.

Secundò, Etiamſi, quod Meiſnerus mentitur, innumeris mendis ſcateret Vulgata, non tamen eam approbando, dicendi eſſent Catholici deprauaſſe Scripturam, ſed tantùm approbaſſe menda. Aliud enim eſt deprauare, aliud iam deprauatum approbare. Ridicula verò ratiocinatio eſt, quâ probat à Catholicis deprauari Scripturam, quia *Iſidorus Clarius, & ipſe Pontificius, teſtatur annotaſſe & emendaſſe ſe in Vulgatâ octoginta millia errorum.* Nam ſi emendauit, quomodo non inde ſequitur, Pontificios emendare potiùs Biblia, quàm deprauare?

Tertiò, Quam veriſimilitudinem habere poteſt, deprauari à Catholicis Scripturam, cùm Damaſi Pontificis iuſſu diuus Hieronymus *nouum Teſtamentum*, vt ipſe loquitur, *Græcæ fidei reddiderit, vetus iuxta Hebraicam tranſtulerit*; in Vulgaris verò Latinæ emendatione verſatus ſit eo ſtudio ac religione, vt ſcribat ad Damaſum Præfat. in Euang. *Ita calamum temperauimus, vt iis tantùm quæ ſenſum mutare videbantur, correctis, reliqua pateremur manere*, &c.

De-

Denique, Nostrâ ferè memoriâ à Cardinale Ximenio, Archiepiscopo Toletano, excudi iussa sunt Compluti Biblia, de quibus ita scribit ad Leonem Decimum: *Iussimus archetypas sacræ Scripturæ linguas cum adiunctis variarum linguarum translationibus impressioni mandari.* Antuerpiæ item Biblia Catholici Regis pietate & studio impressa sunt anno 1572. Ac vetus quidem Testamentum Hebraicâ, Græcâ, Chaldaicâ linguis, cum triplici versione Latinâ; Nouum Græcâ & Syriacâ, cum duplici versione Latinâ. Adiecta est autem præterea Sanctis Pagnini interpretatio, Hebræo textui ad verbum respondens.

Latina Biblia, ad amussim viginti sex antiquissimorum codicum reuocata, operâ Ioannis Hentenij Mechliniensis, Louanij impressa sunt anno 1547. Antuerpiæ & Venetiis sæpiùs. Iterùm ad fidem plurium manuscrsptorum castigata Biblia operâ Louaniensium Theologorum anno 1573. & impressa Antuerpiæ quàm sæpissimè.

Quâ igitur fronte assignat Catholicis Meisnerus, Scripturam ab ijs deprauari? quæ toties linguis omnibus excusa, toties librariorum mendis emendata, semper sarta tecta seruata fuit?

Quartò, Cùm certum sit, & Hebræa & Græca Bibliorum exemplaria nunc temporis corrupta esse, ineptè ipse Meisnerus recurrit ad eorum authentica, quasi ad rectam amussim. Hebræa enim (seruari olim solita in Templo Iudæorum à solo Sacerdote summo, vt scribit ex Philone Eusebius lib. 8. De præparat. Euang. cap. 2.) corrumpi penitus cœperunt post Hieronymi mortem, priusquam

quam Rabbini suum Thalmud composuissent: eo namque temporis interuallo tanta prodiit Hebraicarum versionum varietas, vt vix duo exempla sibi similia inuenirentur, teste Eliâ Leuitâ, Præfatione libri quem appellat Masoreth hamasoreth, id est, Traditio traditionum. Ergo Iudæi (vt gliscētibus hisce corruptelis occurrerent) Tiberiade Palæstinæ oppido conuentum indixerunt anno circiter 508. In hoc conuentu Masoreth, seu puncta, primùm à Rabbinis Iacob & Aaron (illo Asier, hoc Nephthalim, filiis) sunt inuenta. Paullò pòst Thalmud compositum, & magnum Iudæorum Masoreth; in quo vetus Testamentum pro eorum arbitrio non correctum, sed corruptum penitus est: versibus etiam literisque vniuersæ Scripturæ sic corruptæ adnumeratis, ne qua in posterum mutatio clàm ijs interueniret. De his autem corruptionibus omnibus etiamnum constat apertè ex Præfatione tertiâ Eliæ Leuitæ in suum Masoreth: & Caluinus ipse cap. 49. Genes. vers. 10. existimat probabile, à Iudæis corruptam esse illam Prophetiam, *Non auferetur sceptrum de Iudâ*, &c. Notat item lib. 1. Institut. cap. 13. §. 9. corruptum vers. 16. Ierem. cap. 33. *Hoc est nomen, quo vocabunt eum*, &c.

Manifestum est igitur, Hebraicum codicem esse mendosum, eâque re ad eum tutò recurri non posse vt ad normam.

Sed etiamsi planè virgo esset etiamnum Hebraica Scriptura, nullo vel Typographi næuulo vitiata; non esset tamen tutum certumque, ab eâ solâ, absque Traditionis suffragio, oracula fidei postulare. Primò, Quia vix vllum Hebraicum vocabulum,

lum, imò vix litera est, quæ non habeat diuersas significationes. Verbi gratiâ, sola litera *Vau* ו habet has omnes significationes, notante Pagnino lib. 1. Grammat. cap. 22. 23. 24. *Et, quia, vel, neque, super quanto magis, ad, in, cum, numquid, si, antequam, postquam, nunc, quando, sic, sed, quamuis, vt, ne forte.* Quis verò ex hac tantâ significationum varietate absque Traditione genuinum sensum assequatur?

Secundò, Quia plurima verba sunt, quæ duas habent significationes planè contrarias. Verbi gratiâ תאב *thaab*, in primâ coniugatione significat *appetere*, in secundâ significat *abominari.* שרש *scharasch*, in primâ coniugatione significat *radicare*, in secundâ *eradicare.* In eâdem verò significatione & modo simul contraria significant ברך *berek*, *benedicere* & *maledicere*: סכן *sachan*, *thesaurizare* & *depauperare*: סות *sith*, *accedere* & *recedere*: קדש *kadasch*, *sanctificare* & *profanare*, seu *mundare* & *immundum reddere*: נצר *natzar*, *seruare* & *destruere*: שוב *scub*, *conuertere* & *auertere.*

Imò verò etiam subinde quædam vocabula eodem planè modo iisdemque literis scripta, significant res planè contrarias. Verbi gratiâ חטא *chete*, significat *peccatum*, Psal. 51. vers. 7. & *sacrificium quo aufertur peccatum*, Gen. 4. vers. 7. Quis verò hæc mysteria assequetur sine Traditione? Quare non immeritò olim Deus, ne fides & communis nostra salus ex solis literis punctisve penderet, fideique ac salutis nostræ fundamentum essent solæ literæ & characteres scripti, qui vel à librariolis corrumpuntur, remittere solebat populum pro Scripturæ explicatione ad Sacerdotes & interpretes, qui scriptarum rerum sensum retinebant Traditio-

ditione. Vndè à Malachiâ dictum est cap.2.v.7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius*; quia nempe non semper sufficit sola Scriptura.

Græcum item Testamentum nouum, de quo solo mihi hîc agendum est cum aduersariis meis, corruptum esse, experti questique sunt S.Irenæus lib.1. aduersus hæreses c.29. Tertullianus lib.5. contra Marcionem: Origenes cap.vlt. Epist. ad Romanos: Dionysius, aliique plures apud Eusebium lib.4. Historiæ, cap.22.23. & lib.5.cap.vlt. Theodoretus lib.1.De heresibus,cap.DeTatiano.

Neque igitur ad Græcum codicem tamquam ad Sibyllinum folium certò recurri potest. Verba verò illa, *Per opera bona*, 2.Pet.cap.1. quæ nunc in Græcis Bibliis non apparent, in tribus Græcis tamen se inuenisse scribit Robertus Stephanus,& è Græco item citantur à Marco Monacho, qui vixit anno Domini tercentesimo, vt Lorinus notat in hunc Petri locum.

Latina verò Biblia Vulgatæ versionis (quam Augustinus *Italam* vocat lib. De doct. Christianâ,cap.15. & ab eo præcipuè laudata est) iam à mille retrò annis Ecclesia pro authenticis habuit: adeoque hæc ea versio est, quam Hieronymus iussu Damasi Papæ cum Hebræis & Græcis voluminibus (id temporis ferè incorruptis) contulit & emaculauit. Sola igitur hæc incorrupta est: quare ad hanc solam quoque adeundum est pro fidei oraculis;debetque ad eam,tamquam ad normam & amussim, castigari Hebræorum Græcorumque codicum obliquitas.Neque enim Hebrea Græcaque Biblia, quæ nunc habemus, porrò autogra-

tographa sunt; sed Latina Vulgata sola versio, quæ autographorum olim Hebræorum & Græcorum integritatem etiamnum retinet, veri autographi loco habenda est.

Ineptè igitur Meisnerus & Brandius Lutherum falsi excusare moliuntur, recurrendo ad Hebræa & Græca exempla, quæ ipsa sunt falsa, quæque eo consilio in nonnullis interpretari voluit Lutherus, Latinorum relictâ fide, vt callidiùs falleret.

Octaua Lessij Ratio, ex bonorum operum euersione.

HVIC Meisnerus omnino nihil, Brandius nihil præter fumum & nebulas offundit: exhausti, opinor, suis responsionibus datis Consideratione primâ De studio bonorum operum, ad Argumentum Lessij à contrario, quod ibi consultò omissum hìc repeto.

Argumentum Lessij à contrario.

Ceteræ Religiones, præsertim Lutherana, Caluiniana, & Anabaptistica, tantum abest vt doceant carnem macerare, terrena contemnere, voluptates carnis resecare; vt ieiunium vocent Traditionem humanam, &c. abstinentiam carnium, superstitionem; vota Monastica, impia; castitatem, impossibilem, &c. Neque solùm eximiam illam sanctitatem impediunt, sed etiam omne studium bonorum operum: docent enim, hominem in omnibus suis operibus peccare, per bona sua opera nihil apud Deum mereri, &c. solā fidem coronari, &c. Igitur nulla harum potest esse vera Religio.

ditione. Vndè à Malachiâ dictum est cap.2.v.7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius*; quia nempe non semper sufficit sola Scriptura.

Græcum item Testamentum nouum, de quo solo mihi hîc agendum est cum aduersariis meis, corruptum esse, experti questique sunt S.Irenæus lib.1. aduersus hæreses c.29. Tertullianus lib.5. contra Marcionem: Origenes cap.vlt. Epist. ad Romanos: Dionysius, aliique plures apud Eusebium lib.4. Historiæ, cap.22.23. & lib.5.cap.vlt. Theodoretus lib.1.De heresibus,cap.DeTatiano.

Neque igitur ad Græcum codicem tamquam ad Sibyllinum folium certò recurri potest. Verba verò illa, *Per opera bona*, 2.Pet.cap.1. quæ nunc in Græcis Bibliis non apparent, in tribus Græcis tamen se inuenisse scribit Robertus Stephanus,& è Græco item citantur à Marco Monacho, qui vixit anno Domini tercentesimo, vt Lorinus notat in hunc Petri locum.

Latina verò Biblia Vulgatæ versionis (quam Augustinus *Italam* vocat lib. De doct. Christianâ,cap.15. &ab eo præcipuè laudata est) iam à mille retrò annis Ecclesia pro authenticis habuit: adeoque hæc ea versio est, quam Hieronymus iussu Damasi Papæ cum Hebræis & Græcis voluminibus (id temporis ferè incorruptis) contulit & emaculauit. Sola igitur hæc incorrupta est: quare ad hanc solam quoque adeundum est pro fidei oraculis;debetque ad eam,tamquam ad normam & amussim, castigari Hebræorum Græcorumque codicum obliquitas. Neque enim Hebręa Græcaque Biblia, quæ nunc habemus, porrò autogra-

tographa ſunt; ſed Latina Vulgata ſola verſio, quæ autographorum olim Hebræorum & Græcorum integritatem etiamnum retinet, veri autographi loco habenda eſt.

Ineptè igitur Meiſnerus & Brandius Lutherum falſi excuſare moliuntur, recurrendo ad Hebræa & Græca exempla, quæ ipſa ſunt falſa, quæque eo conſilio in nonnullis interpretari voluit Lutherus, Latinorum relictâ fide, vt callidiùs falleret.

Octaua Leſſij Ratio, ex bonorum operum euerſione.

HVIC Meiſnerus omnino nihil, Brandius nihil præter fumum & nebulas offundit: exhauſti, opinor, ſuis reſponſionibus datis Conſideratione primâ De ſtudio bonorum operum, ad Argumentum Leſſij à contrario, quod ibi conſultò omiſſum hîc repeto.

Argumentum Leſsij à contrario.

Ceteræ Religiones, præſertim Lutherana, Caluiniana, & Anabaptiſtica, tantum abeſt vt doceant carnem macerare, terrena contemnere, voluptates carnis reſecare; vt ieiunium vocent Traditionem humanam, &c. abſtinentiam carnium, ſuperſtitionem; vota Monaſtica, impia; caſtitatem, impoſſibilem, &c. Neque ſolùm eximiam illam ſanctitatem impediunt, ſed etiam omne ſtudium bonorum operum: docent enim, hominem in omnibus ſuis operibus peccare, per bona ſua opera nihil apud Deum mereri, &c. ſolā fidem coronari, &c. Igitur nulla harum poteſt eſſe vera Religio.

Responsio vtriusque ad singulas partes; ac primùm de Ieiunio.

Meisnerus pag. 106. *Non simpliciter omnia ieiunia damnamus:* pag. 109. *sed ieiunium ordinarium statumque, & Papatui proprium. Et quidem eo fine, vt habeat rationem, Primò, cultus; Secundò sanctificationis; & Tertiò, meriti. Atque hoc ieiunium cum Luthero appellamus superstitionem & Traditionem humanam,* &c. *Nam Primò contrariatur libertati Christianæ, vt patet ad Coloss. 2. vers. 20. Secundò, Est doctrina dæmoniorũ, 1. Timoth. 4. vers. 2. 3. Tertiò, Est præceptum merè humanum, Matth. 15. v. 9. Quartò, Detrahit Christi merito. Quintò, Est simoniacum: quia Pontifex pecuniam dantibus relaxat legem ieiunij. Sextò, Est hypocriticum.*

Brandius pag. 28. *Lessius his rebus reprehendendis, obloquitur partim ipsi sacræ Scripturæ, partim falsa crimina aduersariis impingit.* Pag. 26. *Ieiunium nemo aduersariorum Lessij, vocat simpliciter humanam Traditionẽ,* &c. *sed Papistarum ieiunia, quæ constant statis diebus, & certorum ciborum abstinentiâ.*

Refutatio, quoad doctrinam de ieiunio.

Cùm aiunt Meisnerus & Brandius, se tantùm reprehendere ieiunium Papisticum, aiunt se reprehendere simpliciter omne ieiunium veteris & Apostolicæ Ecclesiæ, quam constat non aliud ieiunium obseruasse, atque Catholici moderni hodieque obseruant.

Tribus enim rebus semper constitisse & veteris & Apostolicæ Ecclesiæ ieiunium, docuit ipse Caluinus lib. 4. Instit. cap. 12. Tempore, Quantitate, Qua-

Qualitate: & constat ex Tertulliani doctissimo libro De ieiunio aduersus Psychicos, *Tempus definitũ* semper fuisse aut vesperâ diei, aut horâ nonâ; nunc verò horâ meridianâ ex consuetudine & Ecclesiæ permissu (quod negat Caluinus) clarissimè Bellarminus docet lib. 2. De oper. bonis, cap. 2. atque ita Iudicum 20. *ieiunauerunt vsque ad vesperam:* quod idem habetur 2. Reg. 1. & 3.

Qualitatem ieiunij semper omnis antiquitas definiuit certorum ciborum delectu. Danielis 10. *In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Sanctus Ioannes Baptista *ab omni cibo & potu abstinuit, præterquam locustis & siluestri melle,* Matth. 3. S. Petrus Apostolorum Princeps, pænè semper ieiunans, non aliud in cibum adhibebat, quàm lupinos minuto asse veneuntes, auctore Gregorio Nazianzeno. S. Matthæus Apostolus baccis & oleribus, non carnibus victitauit, teste Clemente Alexandrino Pædagogiæ lib. 2. Contrà, Lutherus De libertate Christianâ, Philippus in Confessione Augustanâ, Brentius in Confessione Wittenbergensi, Centuriatores lib. 2. Cent. 1. cap. 4. Caluinus Instit. lib. 4. c. 12. & Kemnitius 4. Part. Exam. Concilij Tridentini, volunt eam esse in solâ reiectione lautitiarum.

Quantitatem omnis retrò Ecclesia definiuit vnicâ refectione. Caluinus permittit plures, modò solito minus edas.

Ergo aduersarij simpliciter vocant ieiunium humanam Traditionem, quod eis Lessius assignauit.

Sed ne videar omnino nullam aduersariis in ieiunan-

iuuando laudem concedere, fatebor etiam ingenuè, quæ de rigidiſſimis Lutheranorum ieiuniis legiſſe me memini apud Lutherum & nonnullos Lutheranos.

Qualia Lutheranorum ieiunia.

Lutherus in Colloq. Latin. Tom. 1. cap. De ebrietate: *Nos Germani ingurgitamus nos potando ad paupertatem, mortem, & infernum vſque.*

» *Viuite lurcones, comedones, viuite ventres!*

Iacobus Andreæ in cap. 21. Lucæ: *Nulla ſentitur apud illos* [*Lutheranos*] *morum emendatio*, &c. *Loco ieiunij, comeſſationibus & compotationibus nocte dieque vacant.*

» *Quanta pernis peſtis, quanta labes larido!*
» *Quanta ſumini abſumedo; quāta callo calamitas!*
» *Quanta laniis laſſitudo, quanta porcinariis!*

Philippus in cap. 6. Matthæi: *Loquitur res ipſa, in his Regionibus omne ferè ſtudium conuiniorum appa-ratibus, & ebrietati, atque immanibus poculis impendi*, &c. *Ea barbaries eſt in populo, vt plerisq; perſuaſum ſit, ſe, ſi vnum diem ieiunent, noctem continuò ſequentem non poſſe viuere.*

» *Harpyiis gula digna rapacibus!*

Atque hæc teſtimonia ſcio à Leſſio non eſſe prætermiſſa inuidiâ laudis alicuius in aduerſarios ſuos conferendæ: niſi ipſum præteriiſſent feſtinantem, haud dubiò, vt vir omnino ingenuus eſt, ea in medium attuliſſet ad hoſtium ſuorum commendationē. Eius tamen præteritionem ſupplebo elegātiſſimâ deſcriptione Tertulliani de moribus Pſychicorum, lib. De ieiun. cap. 16. *Deus vobis venter eſt, & pulmo templum, & aqualiculus altare,*

&

& Sacerdos cocus, & sanctus Spiritus nidor, & condimẽta charismata, & ructus Prophetia vetus est, &c. Cap. 17. *Apud vos agape in cacabis feruet, fides in culinis calet, spes in ferculis iacet. Sed maior his est agape: quia per hanc adolescentes vestri cum sororibus dormiunt. appendices scilicet gulæ lasciuia atque luxuria est*, &c. *Quis sanctior inter vos, nisi conuiuandi frequentior, nisi obsonandi pollucibilior, nisi calicibus instructior?* &c. *Cur ergo non constanter prædicatis; Manducemus & bibamus, crãs enim moriemur? Sicuti nos non dubitamus exertè mandare; Ieiunemus fratres & sorores, ne fortè cras moriamur.*

Responsio vtriusque de Castitate & Cælibatu.

Meisnerus Pag. 111. *Negamus, quòd vera & summa sanctitas tantùm in cælibatu locũ habeat*, &c. *Intolerabilius autem, summeque Tyrannicum iudicium est Romanorũ Pontificum, quo omnibus omnino Ministris Ecclesiæ perpetuum cælibatum imperant. Hoc enim Primò est contumeliosum in ipsum Teum coniugij auctorem. Secundò, Aduersatur Apostolicæ commendationi coniugij, Hebr.* 13. *vers.* 4. *Tertiò, Et clarissimis Pauli verbis, quibus Episcopum posse vxoratum esse innuit*, 1. *Timoth.* 3. *v.* 2. *Tit.* 1. *vers.* 6. *Quartò, Exemplis Sacerdotum, Prophetarum, Apostolorum, aliorumque virorum Apostolicorum, quos in ipso etiam munere sacerdotali & genuisse liberos, & post ordinationem duxisse vxores, confirmauit Paphnutius in Concilio Nicæno, teste Nicephoro lib.*8. *Historiæ Eccles.cap.*19.

Brandius Pag. 27. *Quod Lessius aduersariis imputat, ac si dicerent castitatem esse impossibilem, etiam falsò id criminis illis impingit*, &c.

Refu-

Refutatio, quoad doctrinam de Cælibatu.

Primò, Nusquam dicit Lessius, summam sanctitatem tantùm in cælibatu habere locum. Sunt hæc Meisneri diuerticula. Tantùm ait, in Ecclesiâ vigere studium perfectionis, quia cælibatum suadet,&c.

Secundò, Non esse Tyrannicum, nec Deo contumeliosum, nec Apostolorum verbis factisve contrarium edictum de Clericorum cælibatu, demõstrauit Bellarm. lib.1. De Clericis, à cap.18.

Tertiò, Tantum abest vt Paphnutius confirmet in Nicænâ Synodo apud Nicephor. lib. 8. cap. 19. Sacerdotes etiam post Ordinationem solitos vxorem ducere, aut liberis operam dare, vt contrà etiam ibidem dicat: *Quapropter pro eo atque antiquitus seruari solitum est, deinceps quoque obtinere oportet, vt qui sacerdotalẽ susceperunt dignitatem, cælibes posteàquoq; à coniugio abstineant.* Quis verò iam in posterum Meisnero habebit fidem? Denique quæ sit de castitate aduersariorum sententia, iam eorum testimoniis docebo.

Doctrina aduersariorum de Cælibatu & Castitate.

Non posse à quoquam seruari continentiam cælibatus (quam ἀντονομαστικῶς Lessius castitatem appellauit) docuit Lutherus Tomo 6. VVittenb. Germ. pag. 171. *Quàm parum in meâ potestate est vt vir non sim, tam parum etiam in meâ potestate situm est, vt absque muliere sim. Ac rursum, quàm parum etiam in tuâ potestate est, vt mulier non sis, tam parum etiam in tuâ potestate est, vt absque viro sis.*

sis. Quia hæc res non est arbitraria, seu consilij, sed res necessaria ac naturalis, vt omnis vir mulierem habeat, & omnis mulier virum, &c. Estque hoc plusquam præceptum, magisque necessarium, quàm comedere & bibere, purgare & expuere, dormire & vigilare.

Hoc dictum Lutheri, ait Brandius pag. 27. *vtcumque rude, ac primâ facie absurdum, non tamen ab eo valdè absonum est illud Pauli 1. ad Corinth. 7. Sed propter fornicationem suam quisque habeto propriam vxorem, & proprium quæque virum.* Paruum sanè discrimen est & parum absonum! Nam eodem cap. Paulus dicit, *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do:* Lutherus tantùm dicit, *concubitum esse necessarium, & plusquam præceptum.* Paulus dicit, *Qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit; & qui non iungit, melius facit:* Lutherus ad Dominos Ordinis Teutonici, Tomo 6. VVittenberg. Germ. pag. 252. tantùm dicit, *Quomodo fieri potest, vt tale votum* [continentiæ] *non sit peius quàm vllum adulterium vel fornicatio?* Ferè itaque conuenit inter Paulum & & Lutherum. Paulus dicit, *Beatior erit vidua si permanserit, secundùm meum consilium: puto autem quòd & ego Spiritũ Dei habeam:* Lutherus Tomo 7. Latin. VVittenberg. pag. 505. & Tomo 6. Germ. pag. 256. in epistolâ ad VVolfangum Reissembusc tantùm dicit, *Castè & integrè viuere, tam non est in manu nostrâ, quàm omnia reliqua Dei miracula, &c. Qui verò vult ἄγαμος, hoc est cælebs viuere, ille nomen hominis à se deponat; planum faciet se Angelum esse aut spiritum. Homini enim à Deo nullo modo conceditur, &c. Quare ἄγαμος seu cælebs*

cælebs viuere volens planè ἀδύνατα θηρᾷ, καὶ ὅλως θεομαχεῖ. id est, *impoſſibilia tentat, & prorſus Deo repugnat.*

Quis ex his verbis non videat, à Luthero dici clariſſimè, *impoſſibilem omnino eſſe omnibus hominibus (etiam qui non vruntur) continentiam? quæ homini à Deo nullo modo conceditur? quam qui ſeruare tentat, Deo repugnat; cùm mulierem habere ſit res naturalis & neceſſaria, pluſquam præceptum, & magis neceſſarium quàm edere, bibere, dormire?* Quid ergo eſt quod hîc falsò Leſſius aſſignauit Luthero, qui nec omnia eius dicta protulit? quale eſt & illud omnino inſigne Tom. 6. Wittenb. Germ. pag. 273. Primò, *Ponamus, quòd aliquis voueat condere nouas ſtellas, monteſq; transferre: an non iure vocares amentiam? Sed enim votum caſtitatis à tali voto nil differt.* Cedò, Meiſnere, vbi hîc Lutherus præſupponit vſtionem? vbi hîc damnat continentiam tantùm hactenus, quatenus meritoria ſit aut ſatisfactiua, qui loquitur de eius abſolutâ impoſſibilitate? Verè igitur Leſſius hoc dictum contulit in Lutherum.

Reſponſio Meiſneri de impedimentis operum bonorum.

Pag. 90. *De ſtudio bonorum operum: hoc non impedimus*, &c. *Ex Religionis enim noſtræ hypotheſibus multa bonorum operum irritamenta fluunt. Nam Primò docet, fidem iuſtificantem non eſſe otioſam*, &c. Pag. 91. *Secundò, Legem moralem non deſtruit*, &c. Pag. 92. *Tertiò, Quotidianam carnis mortificationem præcipit*, &c. Pag. 94. *Quartò, Multas cauſſas proponit, quibus ad bona opera hortatur: Primò, propter Deum; Secundò, propter Angelos; Tertiò, propter pro-*

proximum; Quartò, propter nos ipsos; Quintò, propter diabolũ, nein illius nassam incidamus. Pag. 95. *Oportet igitur crassissimam esse calumniam, & diabolicum mendacium, quando Iesuitæ omne studium bonorum operum à nostrâ Religione impediri clamitant.* Pag. 97. *Deprauat Iesuita nostram sententiam. Non enim docemus, omnia renatorum bona opera formaliter esse peccata, ac si nihil in ijs sit boni quod Deo placeat; sed alio, eoque tergemino respectu in operibus bonis peccari statuimus: Primò, Quatenus fiunt sub opinione perfectionis & meriti. Secundò, Quatenus considerantur absque fide Christi meritum apprehendente. Tertiò, Quatenus omnia bona opera sunt imperfecta.* Pag. 100. *Hæc Lutheri mens fuit & sententia, quando hominem in omnibus suis operibus peccare asseruit. Quòd autem clamitat, studium bonorum operum à nobis impediri, quia doceamus hominem apud Deum nihil per omnia sua opera mereri; respondeo Primò, negando consequentiam: quia aliæ eæque grauissimæ sunt rationes, quibus ad bona opera irritamur. Secundò, Non sunt proponenda falsa vt eueniant bona: vnde, quia meritum Scripturis aduersatur, non est docendum, vt homines ad benè agendum magis stimulentur. Tertiò, Confundit præmium & meritum. Aliud enim est meritum vitæ æternæ, aliud præmium: prius inficiamur, posterius fatemur.*

Eiusdem de chameuniâ aliisq; corporis afflictionibus responsio.

Pag. 118. *Castigandum esse corpus ne luxuriet, monemur ex Apostolo 1. Corinth. 9. vers. vlt. interim tamen suus etiam honos habendus est corpori, ad Coloss. 2. vers. vlt. Quâ in parte peccarunt multi, qui*

tamen in Papatu habentur sanctissimi, vt Albericus Monachus apud Gerardum à Nazareth cap.14. Dominicus Nazarethanus, Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis, & Franciscus Assisius,&c. *Num verò in his stoliditatibus & carnificinis veram sanctitatem Deique cultum consistere existimabimus?*&c. *Ineptiebant ita olim Baalitæ, 1.Reg.18. & Esseni Pharisæique. Assiduè verò orare, in verbo Domini meditari, appetitui carnis non obtemperare, & in præceptis Domini ambulare, hæc illa sunt salutaria exercitia, quibus mortificatur vetus homo,*&c. Pag.121. *Quocircà primam istam considerationem Lessianam sic inuertimus: Ea Religio præferenda est, quæ hortatur ad veram sanctitatem, non ab hominibus confictam, sed à Deo præscriptam, exemplis Prophetarum & Apostolorum confirmatam,*&c. *At talis est Religio Lutherana, & non Papistica. Ergo Lutherana præferenda est: quod erat demonstrandum.*

Responsio Brandij.

Pag.28. *Isaias autem cap. 64. vers.6. cùm dicit, Facti sumus omnes immundi; & Paulus* 1.*ad Cor.*13. *vers.*9.*&* 12. *cùm docet nos nunc ex parte cognoscere; quid aliud sibi volunt, quàm hominem in omnibus suis operibus peccare? Hominem verò per omnia bona opera sua nihil mereri apud Deum, an non Christus ipse docet Lucæ decimoseptimo? Solam fidem apud Deum æstimari & coronari, an non disertè Paulus docet Rom.*3.17.*&* 18? *Quòd dicit nos docere, hominem per bona opera nihilo gratiorem fieri, nihilo iustiorem, nihil amplius præmij habiturum, siue plurima, siue pauca, siue nulla bona opera fecerit; est mera calumnia.* Pag.29. *Hoc tantùm volumus, hîc nihil meritis homi-*

hominum, sed omnia pura puta gratia diuina accepta ferenda.

Refutatio.

Scribit Meisnerus pag. 90. *ex Lutherana Religionis hypothesibus multa fluere bonorum operum irritamenta. Primò, Quia docet, fidem iustificantem non esse otiosam.*

Contrà Lutherus dicit Primò, *ab eo negari fidem, qui præter fidem requirit opera bona.* Secũdò, Comment. in Epist. ad Galat. cap. 2. *Papistæ, & quotquot iustitiam Christi ignorant, aut non rectè tenent, non possunt non facere ex Christo Moysem & Legem, & ex Lege Christũ. Sic enim docent: Fides in Christum iustificat quidem, sed simul seruari oportet etiam præcepta Dei; quia scriptum est, Si vis in vitam ingredi, serua mandata. Vbi statim Christus negatus, & fides abolita est.* Et lib. De votis Monasticis: *Fides & opera in re iustificationis extremè aduersantur; ita fit, vt doctrina operum sit doctrina dæmoniorum.*

Secundò dicit, Moysis discipulos esse, non Christi, qui præter fidem requirunt opera, eodem loco citato: *Papistæ, & phanatici spiritus, nos, qui tantâ diligentiâ inculcamus & vrgemus fidem, rident, dicentes: Ha, ha! fides, fides! Expecta donec fide peruenias in cælum. Nitendum est ad sublimiora, oportet te Legem Dei implere, iuxta illud, Hoc fac, & viues. Oportet te multa pati, &c. Sic fiunt meri Legistæ & operarij, à Christo ad Moysem deficientes.*

Tertiò dicit, Christianum ab omnibus esse liberum, & nullis operibus indigere, lib. De Christianâ libertate: *Ex ijs clarè videre potest quilibet, quomodo Christianus homo liber est ab omnibus, & super*

per omnia; ita vt nullis operibus ad hoc indigeat vt iustus & saluus sit, sed sola fides hæc omnia largitur abundè. Quòd si sic desiperet, vt per vllum opus bonum præsumeret iustus, liber, saluus Christianus fieri, statim amitteret fidem cum omnibus bonis.

Quartò dicit, Hominem, quamdiu fidem retinet, propter nulla alia flagitia posse damnari, lib. De captiu. Babylon. titulo De Baptismo: *Homo Christianus etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere: nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas.* Et contra Ambrosium Catharinum: *Nullum est peccatum, nisi incredulitas; nulla iustitia, nisi fides.*

Quintò dicit, Opera bona esse oneri & impedimento ad salutem, Concione ad Euang. Feriæ 2. Pentecostes: *Quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam transire. Ceterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Iacobi Peregrinos, ij non poterunt penetrare.*

Sextò dicit, Opera bona esse dimittenda vt ad Deum venias, Sermone De piscaturâ Petri: *Erga Deum non operibus, sed nudâ fide indigemus: debemus enim cum solo Isaac venire, hoc est cum fide; seruos & asinas, hoc est opera, dimittere oportet.*

Septimò dicit eodem in Sermone: *Quantò scelerατior es, tantò citiùs Deus suam gratiam infundit.* Ita Antinomi quoque in Mansfeldensi Confess. *Quàm primùm cogitas, Sic & sic in Christianismo res compositas esse oportet, Ibi debent compositi, modesti, temperantes, sancti & casti homines esse; Euangelio iam excidisti.* O sanctum Euangelium!

Quomodo ex huius Lutheranæ sectæ hypothesibus profluere possint multa bonorum operum irri-

irritamenta? cùm doceat, ſceleratiores gratiæ diuinæ eſſe aptiores: opera bona dimittenda eſſe, quia oneri ſunt & impedimento: imò fidem amitti, ſi opera ei coniungantur. Quis cordatus, & vel mediocriter ſapiens, non videat, per haſce hypotheſes huius impiiſſimæ ſectæ viam ſtrui ad omnes libidines & deteſtanda quæque flagitia, bona verò opera omnia damnari & excludi? Quomodo igitur dicit Meiſnerus, *diabolicum eſſe mendacium*, cùm clamitant Ieſuitæ, ab ſuâ Religione Lutheranâ omne bonorum ſtudium impediri? Nam quæ doctrina, quę ſecta poſſet amplius eorum ſtudium impedire, atque illa quæ diceret, per bona opera amitti fidem, nullum peccatum eſſe præter incredulitatem, nullam iuſtitiam præter fidem, bona opera impedimenta eſſe ſalutis; eos verò gratiæ eſſe aptiores, qui ſunt ſceleratiores? Quæ omnia dogmata ſunt ſectæ Lutheranæ.

Scribit ſecundò Meiſnerus, per *Lutheranam ſuam Religionem non deſtrui Legem moralem.*

Contrà Lutherus Primò, Sermone de Moyſe, *Ex textu*, inquit, *clarè patet, quòd etiam Decem præcepta ad nos non pertineant. Non enim nos, ſed ſolùm Iudæos Dominus ex Ægypto eduxit.*

Secundò, in Epiſt. ad Galatas cap. 4. *Thomas Aquinas, & ceteri Scholaſtici Theologi, cùm loquuntur de abrogatione Legis, aſſerunt Legem Moyſi cærimonialem & iudicialem abrogatam eſſe, moralem autem (quæ Decalogum continet) non eſſe abrogatam. Hi quid loquantur, ipſi non intelligunt. At verò tu cùm de Lege agis, vide vt de eâ Lege loquaris quæ vera Lex eſt, nempe ſpiritualis Lex. Et ſic vniuerſam Legem complectere, nec vllam differentiam admitte inter*

cærimonialem, iudicialem, & moralem Legem, seu Decalogum. Nam cùm D. Paulus testatur, nos per Christum à maledicto Legis redemptos esse, reuerà loquitur de vniuersâ Lege, & præcipuè de Decem præceptis, &c. *Quæ cùm ita sint, affirmamus, quòd etiam Decalogus in iis conscientiis, quas Christus per gratiam suam gubernat, nihil iuris obtineat*, &c. *quoniam Christus huius Legis aduersus nos ius abrogauit.*

Tertiò, Melanchthon in cap. 6. Epist. ad Rom. editionis primæ: *Cærimonia & iudicialia sunt antiquata: est & Lex morum antiquata.*

Quartò, Antinomi in Confessione Mansfeldensi, pag. 91. *Omnes qui circa Moysem versantur, ad diabolum pertinent. Ad patibulum cum Moyse. Petrus Christianam libertatem ignorauit. Dictum Petri, Magis satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis, nihil valet.*

Quomodo ergo Lutherana secta non destruit Legem moralem?

Scribit tertiò Meisnerus, quòd *sua Religio Lutherana quotidianā carnis mortificationem præcipiat.* Definit verò mortificationem pag. 119. his verbis: *Assiduè orare, in verbo Domini meditari, appetitui carnis non obtemperare, & in præceptis Domini ambulare, hæc illa sunt salutaria exercitia quibus mortificatur vetus homo.* Insignem profectò definitionē!

Nam Primò, Quis vmquam orationem, & meditationem, & in præceptis Domini ambulationem, vocauit carnis mortificationem?

Secundò, Quàm suauis & delicata oportet sit illa carnis mortificatio, quæ nullam habet corporis afflictionem! *Sed sancti Patriarchæ, & Prophetæ, & Apostoli*, ait Meisnerus pag. 119. *in corpus suum num-*

numquam sauierunt. At illud mendaciũ est Meisneri: nam & Ioannes Baptista aspero victu cultúque corporis carnem suam domuit, Matth. 3. vt contra Centuriatores probat Petrus noster Canisius: & Apostolus Paulus de seipso scribit 1. ad Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Vbi pro *castigo* Erasmus ex Theophylacto, & Paulinus Epist. 58. ad Augustinum vertunt *liuidum facio.* ὑπωπιάζω enim (vt legunt Erasmus, Theophylactus, & Oecumenius) significat *oculos sanguinis notâ suggillo*: quod Beza, Melanchthon, Castalio, & Henricus Stephanus vertunt *contundo.* Contusio autem non fit sine percussione & verbere, seu baculo seu flagello. Vnde Gretzerus noster lib. 1. De disciplinis cap. 4. doctissimè probat, Paulum Apostolum ita quoque sæuisse in corpus suum, præterquam quòd inediâ longâ illud macerârit.

Tertiò, Quæ potest apud Lutheranos præcipi carnis mortificatio, qui vnico illo Pauli ad Coloss. dicto, *Habeto honorem corpori*, velut falce quadam exscindunt omnem corporis afflictionem? Adeò enim honorabilem faciunt corporum suorum maiestatem, vt velut læsæ maiestatis reum agant, qui delicatissimi corpusculi sui cuticulam vel setâ vnâ duriùs confricuerit.

——— *O suaues Sybaritæ!*
In cute curandâ plus æquo operata iuuentus!

Sed demus tamen hoc Meisnero, tam blandam esse carnis mortificationem, vt sine inediâ, sine verbere, sine chameuniâ, sine sacco, sine cinere exerceatur; vt consistat in solâ oratione, præceptorum

Dei obseruatione, & carnalium appetituum frænatione: nec talem quidem Lutherana Religio præcipit mortificationem. Quî enim præciperet orationem, aut præceptorum obseruationem, quæ doceat præceptorum impletionem esse impossibilem? Legem omnem, etiam moralem, esse antiquatam? omnia denique opera bona, vt salutis impedimenta, esse abiicienda? Quomodo præciperet appetituum carnalium frænationem, quæ docet, rem vxoriam esse plusquam præceptum; & qui ab eâ vult abstinere, Deo repugnare; neque omnino quemquam eâ magis carere posse, quàm cibo, potu, & somno? Denique, vt breui velut in tabellâ proponam Meisnero, quot bonorum operum irritamenta fluant ex suâ Religione, depingam ea Lutheri verbis & Lutheranorum.

Quæ bonorum operum exercitia apud Lutheranos.

Lutherus in Postillâ domesticâ Ienæ impressâ, Conc. 2. Dominicæ 1. Aduent. *Mundus ex hac doctrinâ* [meâ] *quotidie redditur deterior. Iam homines singuli septenis diabolis obsidentur, cùm anteà* [in Papatu] *vnico tantùm obsessi fuissent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam splendidâ Euangelij luce sint auariores, callidiores, iniustiores, crudeliores, proteruiores, multo denique deteriores, quàm priùs in Papatu fuerant.*

Dominicâ 26. post Trinitatem: *Anteà cùm ad Pontificis seductionem & falsum Dei cultum cogeremur, ad benè operandum quilibet vltrò sequebatur: nunc nihil quisque aliud dicit, nihil nouit, quàm exactionibus, manifestis rapinis, furtis, mendaciis, vsuris*

omnia

omnia ad se transferre. Tam insigniter maligni fieri homines coguntur in gratiam Euangelij, cuius virtute ex captiuitate Pontificis in gratiam asserti sunt; ita vt etiam non amplius humano, sed diabolico more omnem misericordiam exuerint.

In Sermonibus conuiuialib. Germ. fol. 55. *Mirabilis & plena offendiculo res est, quòd ab eo tempore, quo primùm pura Euangelij doctrina in lucem est reuocata, mundus de die in diem deterior euasit.*

In iisdem Sermonibus fol. 623. *Post reuelatum Euangelium virtus est occisa, iustitia oppressa, temperantia ligata, veritas à canibus lacerata, fides clausa, nequitia quotidiana, deuotio pulsa, hæresis relicta.*

Philippus Melanchthon ad cap. 6. Matthæi: *Loquitur res ipsa, in his regionibus omne ferè studium conuiuiorum apparatibus, & ebrietati, atque immanibus illis poculis impendi, &c. Ea barbaries est in populo, vt plerisque persuasum sit, se, si vnũ diem ieiunent, noctem continuò insequentem non posse viuere.*

Brentius ad cap. 3. Matthæi: *Tanta est morum corruptio his temporibus, & tantum studium iniustitiæ, vt nullam videamur habere occasionem confidendi bonis operibus. Quid enim confidas, quibus cares?*

Andreas Musculus Dominicâ 1. Aduentus: *Cum nobis Lutheranis hoc tempore ita agitur, vt si quis videre velit ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, fœneratorum, impostorum, ciuitatem aliquam adeat in quâ Euangelium purè prædicatur; caternatim tales ibi reperiet. Nam meridianâ luce clarius est, quòd hominum effrænatorum & indomitorum, & apud quos omnis virtus & honestas penitus extincta est, & apud quos pro peccato nihil reputatur, nusquam plures, ne quidem apud Ethnicos,*

nicos, Turcas, aliosque infideles, quàm apud Euangelicos, apud quos omnia frana diabolo laxata sunt, reperiantur.

Iacobus Andreæ Concione 4. ad cap. 21. Lucæ: *Altera pars & turba Germanorum, suum quidem locum verbo Dei, vt prædicetur, tribuit; nulla verò sentitur in illis morum emendatio, sed horrenda, Epicuréa, bestialis eorum vita cernitur in conuersationibus, compotationibus, cupiditatibus, pompis, & diuini Nominis profanationibus siue blasphemiis, &c. Mandat Deus in verbo suo, & à suis Christianis requirit seriam & Christianam disciplinam; hac verò apud nos nouus Papatus nouusque Monachismus existimatur. Sic enim inquiunt: Didicimus modò, per solàm fidem in Christum saluari, qui suâ morte pro peccatis omnibus satisfecit: nos verò non satisfacere possumus nostris ieiuniis, eleëmosynis, precationibus, ac aliis operibus. Quamobrem sine & permitte, vt huiusmodi opera missa faciamus, cùm per Christum alioquin saluari poßimus, & solùm gratiâ Dei, Christiq́ue meritis nitamur. Atque vt totus mundus agnoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus quidquam fidere, illorum etiam operum nullum penitus exercent. Ieiunij loco comessationibus & cōpotationibus nocte dieq; vacant: vbi pauperibus benefacere oporteat, eos deglubunt & excoriant: precationes vertunt in iuramenta, blasphemias, & diuini Nominis execrationes; idq; tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis hodie tantopere blasphemetur, &c. Atque hoc vniuersa vita genus, ab illis Euangelicum dicitur institutum. Interim sibi persuadent homines miserrimi, se rectam verámque in Deum fidem in animis suis retinere, & sibi propitium esse Deum, imò etiam se probiores impiis*

piis & pseudo-Apostolicis Papistis iudicant.

Paulus Eberus in Præfat. Comment. Philippi in Epist. ad Corinth. *Vniuersa nostra Euangelica congregatio tot schismatibus scatet, vt nihil minus sit quàm quod se esse gloriatur. Si Euangelicos Doctores intuearis, vides quòd illorum alij vanâ gloriâ & inuido zelo permoti, veram doctrinam perturbant, & plures sunt, qui omne id quod verâ doctrinâ ædificarunt, malâ & sceleratâ vitâ destruant. E regione, si hîc Euangelicos auditores intuearis, vides summâ reprehensione dignum abusum, Religionis & libertatis Christianæ contemptum, & omissionem Ecclesiastici Ministerij, & neglectum omnis disciplinæ, effrænem contumaciam adolescentiæ. Quæ mala cùm quisque propriis oculis intuetur, meritò dubitat, an noster Euangelicus cœtus vera sit Ecclesia, in quâ tot sunt schismata, & tam enormia vitia conspiciuntur.*

En quot & quanta bonorum operum irritamenta ex Religione Lutheranâ!

Studium bonorum operum apud Caluinianos.

Neque certè pauciores profluunt è Caluinianâ Ecclesiâ bonorum operum riui. Caluinus in cap. 11. Danielis ipse testatur: *In exiguo*, inquit, *illo numero, qui sese ab idololatriis Papalibus subduxerunt, maior pars plena est perfidiâ & dolis.* Comment. in 2. Petri 1. *Vix eorum decimus quisque est, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quàm vt solutus in omnem lasciuiam difflueret.* Denique Serenissimus Iacobus Britanniæ Rex, Præfatione suâ monitoriâ ad Imperatorem & Reges, &c. scribit, *Caluinistas* Primò *esse homines furiosos & incendiarios*: Secundò, *Plus se fidei in efferis latronibus*

nibus quàm in Caluinistis inueniße : aliaq; id genus.

Ex his omnibus igitur videor mihi iure concludere posse, verè dixisse Lessium, *ab aduersariis impediri omne studium bonorum operum : castitatem vocari impossibilem , ieiunium appellari humanam Traditionem :* quod ab eo in aduersarios confictum fuisse , falsò confinxerunt Brandius & Meisnerus.

Reuertar ad reliquas de Lessio querelas.

Obiectio Brandij.

Non docemus , ait Brandius , *hominem nihilo fieri gratiorem, iustiorem, nihilo plus præmij habiturum , seu plura seu pauca bona opera fecerit. Hæc vera calumnia est. Hoc tantùm volumus, nihil meritis hominum, sed omnia puræ Dei gratiæ ferenda esse accepta.*

Refutatio.

Contrà Caluinus lib. 3. Instit. cap. 14. §. 9. *Nullum*, inquit, *à sanctis exire potest opus, quod non mereatur iustam opprobrij mercedem* . Et in Antidoto Concilij , Sess. 6. cap. 11. *Non sunt tantopere exagitandi, qui dixerunt , qualibet bona opera , si exacto rigore censeantur , æternâ potiùs damnatione quàm vitæ æternæ præmio digna esse* . Quibus ex verbis ita argumentor: *Auctore Caluino omne opus bonum meretur iustam opprobrij mercedem , & æternâ potiùs damnatione quàm præmio vitæ æternæ dignum est. Sed impossibile est, aliquem fieri iustum, Deo gratum , plus præmij mereri per opus quod potiùs æternâ pœnâ dignum est quàm præmio . Igitur auctore Caluino nemo iustior , gratior est, aut plus præmij meretur, seu plura, seu pauca, seu nulla bona opera faciat:* quod Caluino assignauit Lessius.

Maior

Maior propositio constat verbis solis ipsius Caluini. Minor probatur: Quia inauditum & portentosum est, aliquem fieri iustiorem & Deo gratiorem per idem opus, per quod Deo sit inimicus, ingratus, & iniustus, & dignus æternâ pœnâ.

Obiectio Meisneri.

Pag. 97. *Deprauat Iesuita nostram sententiam. Non enim docemus, omnia renatorum opera bona formaliter esse peccata, ac si nihil in iis sit boni quod Deo placeat.*

Refutatio.

Contrà Lutherus Tomo 1. Latin. VVittenberg. Disputatione, Vtrùm bona opera faciant ad salutem: *Fides, nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat, imò non est fides*. Et Tom. 1. Germ. Comment. in cap. 2. ad Gal. *Sola fides iustificat; & non fides, quæ includit dilectionem*. Iterùm De captiuit. Babylonicâ, cap. De Baptismo: *Nullâ aliâ viâ potest homo cum Deo conuenire aut agere, quàm per fidem: opera ille nihil curat*. Quomodo dicit Meisnerus, aliquid in iis esse quod Deo placeat, si Deus ea nihil curat? Quomodo per ea homo fieri potest Deo gratior, & plus ab eo præmij mereri? Nam certè ita iam Deus bona opera curaret.

Iterùm in Assertionibus, art. 32. *Opus bonum optimè factum, est peccatum veniale, secundùm Dei misericordiam; mortale, secundùm iudicium.*

An non est hæc formalis locutio; Bonum opus est peccatum mortale? Si Lutherus putasset in bo-

no

no opere aliquid esse boni,& aliquid tantùm mali; debebat dicere, In opere bono, etsi optimè facto, adhuc aliquod est peccatum.

Item ad Euangelium in die Natalis Christi: *Opera bona sunt velamen turpitudinis,& hypocrisis.* Quid boni esse potest in hypocrisi quod placeat Deo?

Iterùm De votis Monasticis: *Doctrina operum, est doctrina dæmoniorum.* Aliquid ne placere potest Deo in doctrinâ dæmoniorum?

Nicolaus Amsdorffius lib. contra Georgium Maiorem: *Lutherus expreßè scribit plusquàm in vno loco, quòd bona opera sint perniciosa ad salutem.* Si perniciosa ad salutem, quomodo faciunt Deo gratiorem? Quomodo facient hominem iustiorem? quomodo merentur plus præmij? quomodo aliquid in eis est quod Deo placeat?

Colloquium Altenburgense, impressum Ienæ 1570. *Ab Apostolo Paulo non solùm bonorum operum meritum, sed etiam bona opera nostra excluduntur. Paulus enim in semetipsô adeò separat opera & iustitias à salute, vt ea pro reiectamentis, atque adeò pro damnis salutis deputet. Falsa est propositio, Opera sunt necessaria. Adeò necessaria illa non sunt, vt etiam ad salutem incommodent, sintque perniciosa.*

Ex quibus omnibus ita infero: Igitur nihil est boni in operibus bonis, quod placeat Deo, quod mereatur præmium, quod faciat hominem gratiorem. Imò non solùm verum est, quod Lutheranos & Caluinistas docere dixit Lessius, nempe *seu pauca, seu plura, seu nulla opera bona facias, nihilo te plus habiturum præmij, nihilo fore Deo gratiorem:* sed prætereà verum est, eos consequenter docere debere,

debere, *quò plura habes opera bona, hoc plura habere salutis impedimenta: si verò habes nulla, oportet vt sis Deo gratissimus, & minimè à salutis viâ impeditus.* Atque illud est, quod clarè docuit Lutherus in illa verba, *Sic Deus dilexit mundum*, Feriâ 2. Pentecostes: *Via arcta est*, &c. *Si grandibus humeris, destinatis saccis operum refertis adueneris, nisi deposito priùs onere non pertransibis.*

En quàm fucatæ sunt Brandij excusationes! quàm certa Meisneri mendacia, qui vult non alitèr à Luthero dictum esse, quòd bona omnia opera sint peccata, quàm Primò, *Quatenus fiunt sub opinione meriti*; Secundò, *Quatenus considerantur absque fide apprehendente meritum Christi*; Tertiò, *Quatenus omnia bona opera sunt imperfecta.* Primò enim Altenburgense colloquium dicit, non solùm bonorum operum meritum, sed & *bona opera à Paulo excludi*: & Lutherus dicit passim simpliciter, *opera bona esse perniciosa impedimenta salutis*, etiam nullâ factâ mentione meriti ab opere distincti. Secundò, Lutherus tantum abest vt dicat bona opera hactenus tantùm peccata esse, quatenus sine fide sunt, vt etiam fidem & opera extremè aduersari in re iustificationis, dicat lib. De Votis Monasticis, & *fidem solam retinendam, & veniendum cum Isaac; seruos & asinas, hoc est opera, dimittenda.* Tertiò, Quomodo Lutherus opera bona eâ solùm re vocasset peccata, quòd sint imperfecta, cùm dixerit, *opus bonum optimè factum esse peccatum mortale secundùm Dei iudicium?* Potest ne peccatum mortale esse opus bonum imperfectum? Et Philippus in Locis communibus primæ editionis: *Omnia hominum quantumuis laudabilia opera, planè vitiosa*

vitiosa sunt, & morte digna peccata. Quæ eadem fuit sententia Caluini. Si enim sint planè vitiosa, & morte digna, quomodo possunt esse imperfecta bona?

Atque hæc quidem omnia ex Consideratione primâ Libri superioris commodiùs hoc loco dicta sunt. Nunc breuiter expedio quod hîc nouum à Lessio est allatum ex personâ aduersariorum.

Lessij obiectio ex personâ aduersariorum.

Nec refert, quòd subinde dicant, Deum requirere bona opera in testimonium seu signum fidei, &c. *Nam quomodo Deus ea requirit, si sunt peccata? An requirit in fidei signum, vt peccemus? Quomodo requirit in fidei testimonium ea quæ potiùs testantur fidei defectum? Nam qui de bonis operibus sunt solliciti, eo ipso testantur fidem non sufficere.*

Prima vtriusque responsio.

Meisnerus pag. 553. *Sic opera fidelium signa sunt fidei, quatenus bona sunt, & cum Lege conueniunt. Signa sunt renouationis imperfectæ, & imbecillitatis naturæ quatenus mala sunt, & non conueniunt cum Lege. Vnde facilè patet quomodo Deus erga illa se habeat. Requirit & remunerat, vt bona sunt; non requirit, quatenus mala.*

Brandius pag. 151. *Dixi suprà, fallaciam esse accidentis, Bona opera sunt peccata, ergo Deus ea non requirit, quia non requirit peccata. Bona enim opera cùm fiant Spiritus sancti operatione, in se sunt bona, sed inquinantur à peccato nobis inhabitante,* &c. *Quemadmodum pura aqua, si per immundum canalem*

lem fluat, ita opera bona semper Spiritum redolent, quantum in se.

Refutatio.

Primò, Quomodo ex Meisneri sententiâ ideò opera sunt bona, quia cum Lege conueniunt? cùm ex Lutheri sententiâ per Christum Lex omnis exstincta sit, etiam moralis, vt iam mox ostendi testimonio ipsius Lutheri.

Secundò, Quomodo vllum opus bonum potest cum Lege conuenire? cùm ex Lutheri sententiâ omne opus bonum, etiam optimè factum, sit mortale peccatum secundùm iudicium Dei. Potéstne mortale peccatum conuenire cum Lege? aut mandat aliquid per Legem suam Deus, quod ipsius Dei iudicio sit peccatum mortale?

Tertiò, Quæ in hoc syllogismo sit fallacia accidentis, postulo à Brandio mônstrari: *Quicumque aliquid requirit quod est peccatum mortale, is requirit peccatum mortale. Sed Deus, requirens opus bonum, requirit aliquid quod est peccatũ mortale. Ergo Deus requirens opus bonum, requirit peccatum mortale.*

Quartò, Cùm Brandius affirmat pag. 151. *opera fidelium, vt à Spiritu sancto fiunt, in se esse bona,* contradicit sibi ipsi dicenti pag. 149. *Isaias Propheta cap. 64. fatetur, omnes iustitias nostras esse quasi pannum menstruatæ. Quæ quid ex se apud Deum aliud mereantur quàm mortem æternam?* Impossibile enim est, & repugnans, idem opus in se esse bonum, & in se, seu ex se, mereri mortem æternam.

Quintò, Quomodo opera fidelium, si contaminantur carnis contagio, redolere possunt Spiritum sanctum? cùm aqua pura per immundum cana-

lem fluens (quæ ipsa Brandij similitudo est) non iam oleat suam puritatem amissam, sed afflatam canalis graueolentiam & fœtorem.

Sextò, Opera bona Caluinistarum per impurum canalem lapsa, ita credenda sunt in se redolere Spiritum sanctum, sicut Caluinistarum epulæ per canalem inferioris gutturis lapsæ redolent priores delicias ciborum.

Secunda vtriusque responsio.

Meisnerus pag. 553. *Negamus hanc consequentiam, Si bona opera requiruntur, ergo fides non sufficit. Non enim hæc sunt opposita, sed subordinata. Sola fides sufficit vt instrumentum in actu iustificationis, & tamen bona opera requiruntur non vt caussa, sed vt effecta iustificationis.*

Brandius pag. 151. *Et quamquam de bonis operibus anxiè solliciti simus, eo ipso tamen non testamur fidem,* &c. *non sufficere, sed nos Deo gratos esse pro tantâ salute nobis gratis in Filio suo collatâ.*

Refutatio.

Vtrumque hoc responsum repugnat dogmatibus Lutheri & Caluini. Ac quidem Lutheri, quia is ita scribit lib. De votis Monast. *Fides & opera in re iustificationis extremè aduersantur,* &c. *Doctrina operum, discessio est à fide.* item 2. Comm. in 2. cap. Epist. ad Galat. *Papistæ sic docent: Fides in Christum iustificat quidem, sed simul seruari oportet præcepta Dei,* &c. *Vbi statim Christus negatus, & fides abolita est.* ibidem Tom. 1. Germ. *Sola fides iustificat, & non fides quæ dilectionem includit.* Ex quibus certissimâ

con-

consequentiâ sequitur : *Si bona opera requiruntur, ergo fides sola non sufficit.*

Caluini dogmatibus repugnat, quia is scribit lib. 3. Instit. cap. 11. §. 13. *cùm iustitiâ fidei nullo modo sociari posse operum iustitiam.* §. 14. *Nec solùm opera, quæ fiunt solis naturæ viribus, sed excludi quælibet opera, etiam quocumque ornentur titulo.* Igitur excluduntur etiam opera quæ gratitudinis titulo requirit Brandius post iustificationem.

Nona Lessij Ratio, ex licentiâ vitæ, quam tribuunt.

ILLÆ *Religiones non sunt Christo auctori assignandæ, quæ mentibus hominum timorem Dei penitus eximunt, & latissimam portam ad omnia scelera omnemque vitæ impuritatem aperiunt. Atqui id faciunt Religio Lutherana & Caluinistica. Ergo,* &c.

Huius Arguméti Minorem Lessius suprà Consideratione 2. probauit Primò, septem firmissimis Rationibus. Deinde, quòd Lutherana Caluinianáque Religiones ampliùs etiam quàm ipse atheismus aperiant omnibus sceleribus viam, demonstrauit Rationibus aliis quatuor. Hîc denique addit nouas Rationes duas. Studio in hunc locum superiora omnia Argumenta seruaui, vt ne hîc denuò essent adferenda. Ordine igitur nunc expedio singula.

Quòd aliæ Religiones timorem Dei excutiant, & ad omnem peccandi licentiam viam aperiant.

Primò, Quia tollunt Confessionis Sacramentum. Se-

cundò, Quia tollunt Pœnitentiæ virtutem, dum negant necessariam esse contritionem. Tertiò, Quia negant satisfactionum necessitatem. Quartò, Quia negant Purgatorium. Quintò, Quia negant remanere pœnam remissâ culpâ. Sextò, Quia docent solam fidem sufficere. Septimò, Quia docent, habenti fidem specialem nullum peccatum imputari. Octauò, Quia docent, Decalogum non pertinere ad Legem Christi. Nonò, Quia nullum faciunt discrimen operum bonorum & malorum coram Deo.

Responsio Meisneri ad singulas partes: & Primò de Confessione.

Pag. 168. *Confessionem quæ fit Deo, nequaquam tollimus.* Pag. 169. *Plenaria autem illa singulorum peccatorum confessio iure à nobis reiicitur, ob caussas suprà enumeratas.*

Refutatio.

Primò, Iam suprà ostensum est, mendaces esse caussas omnes, ob quas se Meisnerus aiebat repudiare Confessionem Catholicorum.

Secundò, Audire velim qualis ea demum Lutheranorũ Caluinistarumque confessio esse possit quam aiunt facere se coram Deo. Neque enim se accusare illi alicuius culpæ possunt, qui ad omnia scelera se impulsos credunt à Deo; sed accusare Deum ipsum debent suorum scelerum auctorem. Neque culpam suam deprecari possunt; quia impossibilia sibi credunt omnia Dei præcepta, adeóque ademptã prætereà libertatem. Oportet igitur necessariò similem esse Lutheranorum Caluinistarumque confessionem: *Confiteor tibi Deo omnipotenti,*

potenti, me nullam habere arbitrij mei libertatem, prætereà verò tantam esse grauitatem præceptorum tuorum, vt ea obseruare omnino impossibile mihi sit. Cùm verò tu Deus me excitaueris ipse, & impuleris ad peccata mea omnia perpetranda, tua culpa, tua culpa, tua grauissima culpa est, ea à me esse perpetrata. Quare denique non oro ea mihi remitti, cùm solâ fide debeam iustificari; neque pro iis pœnæ quidquam suscipiam, pro quibus Christus affluenter satisfecit.

Misereatur vestri Deus, miserrimi Lutherani & Caluinistæ, vt meliùs aliquãdò velitis confiteri.

Responsio Brandij.

Pag. 32. *Ego nego, Confessionem eam vim habere, vt coërceat peccandi licentiam: quoniam qui putat omnia peccata vnicâ confessione posse deleri, ille quidlibet audebit. Id res ipsa docet: quia quamquam in Papatu passim illa auricularis Confessio in vsu sit, vix vsquam tamen profligatiùs viuitur.*

Refutatio.

Primò, Oportet Brandium hominem esse perfrictæ frontis, & pudorem omnem deuorasse, qui si quidlibet etiam quantumcumque facinorosum admisisset, non ab eo auocaretur aliquo saltem pudore confessionis apud hominem faciendæ.

Secundò, Calumnia est, nusquam viui profligatiùs atque in Papatu; cùm Lutherus ipse confessus sit in Postillâ Dominicæ 1. Aduentus, & Dominicâ 26. post Trinitatem, *Lutheranos suos, ex quo à Papatu desciuerant, multò quàm anteà vixisse profligatiùs.* Et Caluinus de suis scribat Comment. in 2. Pet. 1. *Vix eorum decimus quisque*

 est,

est,qui alio fine Euangelio nomen dederit,quàm vt solutiùs in omnem lasciuiam difflueret. Magna igitur gratia & laus est, si vel Brandius edecumatis illis Euangelicis, vt vir bonus adscribi possit.

Tertiò, Qui in Papatu viuunt ad flagitia proiecti,ij ferè sunt qui raró Confessione vtuntur; contrà verò sanctè innocentissimeque viuunt plerumque,qui sæpè se confitendo expurgãt. Quod certum est pro Confessionis vi argumentum.

Quartò, Mirum est, à Brandio eam Confessionis vim esse negari,cùm Meisnerus vsque adeò magnam illam esse crediderit, vt non solùm deterrere à peccando, verùm etiam præ terrore in desperationem agere posse scripserit pag. 60.

Quintò, Eâ maximè re hæretici omnes nobis obiiciunt Confessionem nostram reiiciendam esse, quòd per eam violetur propria fama. At certè si ita est, nemo negabit, etiam in politicâ Repub. magnum esse aduersus flagitia frænum, *metum amittendæ famæ*. Ergo Cõfessio nostra eodem illo metu necesse est vt peccandi licentiam refrænet.

Sextò, Nemo Catholicus docet, deleri peccata omnia solâ & vnicâ Confessione. Docemus enim (quod ipsi vos nobis obiicitis) prætereà necessariam esse contritionem & satisfactionem; adeóque si hæc paria omnino non fuerint delictis, remissâ culpâ porrò superesse pœnam.

Prima responsio Meisneri,de Contritionis & Pœnitentiæ virtute.

Pag. 171. *Quando Lutherus scripsit, Contritionem nihil prodesse, sed magis facere peccatorem, art. 6. intellexit Contritionem Papisticam cum opinione*

nione meriti , vel Contritionem seorsim sine fide.

Refutatio.

Primò, Lutheri verba sunt: *Contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem: quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit.* Quibus verbis illam causam adfert, (non quam Meisnerus, de opinione meriti, aut sine fide) quia solùm timore præcepti, & dolore damni excitetur.

Ergo rectè assignat Lessius Luthero hanc suam propositionem, *Contritio facit magis peccatorem; aliter acceptam, quàm de Papisticâ Contritione.*

Secundò, Falsum est quòd sumit Meisnerus, Contritionem opinione nostrâ mereri remissionem peccatorum, si de vero seu condigno merito sit sermo.

Secunda Meisneri responsio.

Pag. 172. *Respondeo ad Secundum, Etiamsi Pœnitentia non sit secunda post naufragium tabula, non tamen propterea virtus eius euacuatur. Conducit enim nihilominùs ad remissionem peccatorum, & æternam salutem consequendam.*

Refutatio.

Non explicat Meisnerus (quia aqua ei hæret) quomodo Pœnitentiæ virtus non euacuatur, si non sit homini lapso è salutis nauigio, altera ad salutem tabula. Nam si absque Pœnitentiâ per solius Baptismi recordationem (vti ipse vult) à quibusuis peccatis post Baptismum admissis expedior; quid, malùm, mihi cum Pœnitentiâ?

Deinde, Si fœdus Baptismale, vti fatetur, nauis

mystica est, si per peccatum ex hac exciditur, quomodo ad eam rediri potest per solam recordationem? Oro Deum, vt Meisnerus numquam è nauigio in mare excidat. nam profectò solâ nauis recordatione numquam ad eam appelleretur, sed vel tabulâ esset vel natatu opus.

Brandij responsio.

Pag. 33. *Caluinus non tollit contritionem, neque negat eam in Pœnitentiâ esse necessariam,* &c. *Nihilo minor calumnia est, quòd ille in hoc dicto, Pœnitentia est secunda tabula post naufragium, Hieronymum inexcusabilis impietatis condemnet,*&c. Pag. 34. *Cùm non dictum Hieronymi à Caluino, sed eius in peruersum sensum Papistica contorsio reprehendatur tamquam impia.*

Refutatio.

Primò, Si Caluinus reprehendere tantùm volebat Papistas, interpretes Hieronymi; cur ita scripsit, *Cuiuscumque dictum sit, cùm planè impium sit, excusari non potest?* Certè hoc est Hieronymum reprehendere, non Papistas, de quibus dicere debuisset, Papistas excusari non posse, qui ab Hieronymi mente ita longè abiissent. Quòd verò addat Caluinus, *illud dictum excusari non posse, si ex eorum sensu exponatur, qui cum Papistis sentiunt, quasi per peccatum deleatur Baptismus*; id merum calumniæ palliastrum est, quo illam suam acerbitatem in S. Hieronymum studet malitiosè contegere. Alibi certè, quâ esset in Hieronymum obseruatione, celare non potuit: *Hieronymus*, inquit ad cap. 4. Ionæ, vers. 14. *vir naturâ fuit cauillator, lusit proteruè in cor-*

corrumpendâ Scripturâ: nulla fuit illi religio, huc & illuc torquere Scripturæ locos. vt mirum sit, Brandium voluisse hîc ab Hieronymo stare, contra mentem Caluini magistri sui.

Secundò, Non potuit ignorare Caluinus, eamdem esse mentem Hieronymi de Pœnitentiâ, quæ est & Catholicorum. Nam quòd ait ab eis doceri, Baptismum deleri per peccatum, impostura est; cùm credant & doceant, tantummodò fœdus illud violari & innocentiæ stolam, quæ in Baptismo dantur; neque Baptismi vim extendi ad ea peccata, quæ post eius initiationem cõmittuntur. Quod idem & credidit & docuit Hieronymus. Vnde certa manifestaque apparet Caluini versutia.

Tertiò, Quomodo potuit aliter atque Catholici de Pœnitentiâ sentire Hieronymus, qui passim idem dictum suum repetens, eodem id quo Catholici explicat modo, nominatim Epist. 65. ad Pammachium & Oceanum cap. 2. *Secunda post naufragium tabula est, culpam simpliciter confiteri.* Si Hieronymus cum Caluino sensisset, dixisset, *Secunda tabula est, Baptismatis recordari.* Clarissimè verò lib. 1. Dialog. aduersus Pelagianos cap. 1. *Et qui ligna cædit, si securi aut ferro fugiente de ligno homo fuerit occisus, pergere iubetur ad vrbem fugitiuorum, & tamdiu ibi esse, quamdiu Sacerdos Maximus moriatur, id est, redimatur Sanguine Saluatoris, aut in domo Baptismatis, aut in Pœnitentiâ, quæ imitatur Baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Saluatoris.* Denique lib. 5. Commentar. in cap. 16. Ezechielis: *Secunda post naufragium tabula est, cùm peccaueris, erubescere.* Vbicumque autem loquitur Hieronymus de hominis per Pœnitentiam

tiam præparatione, ſemper agit de operibus Pœnitentię, lacrymis, ieiunio, plāctu, caſtigatione, &c. nuſquam, nuſquam vel verbum facit de recordatione illâ Baptiſmi Caluinianâ. Verbi gratiâ, Tom. 1. Epiſt. 39. *Petrum ter negantem amaræ in ſinum reſtituêre lacrymæ*. Tom. 2. Epiſt. 46. ad Ruſticum: *Petrus trinam abnegationem amaritudine abluit lacrymarum.*

Ecquis adhuc dubitat, quin hanc in rem conſentiat cum Papiſtis Hieronymus?

Reſponſio vtriuſque de Satisfactione, Purgatorio, & reatu pœnæ.

Meiſnerus pag. 174. *Non diffitemur, illa dogmata* [de Satisfactione, Purgatorio, reatu pœnæ] *multùm facere ad homines terrēdos*, &c. *Quia verò falſa, & Scripturis contraria, ideò meritò à nobis negantur.* Brandius pag. 34. *Quidni neget ea dogmata Caluinus? An non produxit negationis ſuæ rationes, quas quidem multi oppugnarunt, ſed numquam quiſquam expugnauit?*

Refutatio.

Primò, Ex hac ſaltem amborum conceſſione, quòd nempe hæc dogmata faciant ad deterrendos à peccati licentiâ homines, rectè ſequitur, Ergo Eccleſia Catholica Romana coërcet his dogmatibus peccandi licentiam, quod nec facit Lutherana nec Caluiniana: quod Leſſius affirmauit.

Secundò, Dogmata hæc Scripturis aſſerta eſſe, demonſtratum eſt à plurimis Catholicis Doctoribus, & à Bellarmino libris integris, quibus & Caluini mendacia & ſtraminea argumenta confregit,

Reſpon-

Responsio vtriusque de solâ fide ad salutem necessariâ & sufficiente.

Meisnerus pag. 174. *Sola fides dicitur sufficere, vel ratione sui, quod sola existat; vel ratione remissionis, quòd sola sit medium per quod peccatorum remissio confertur. Priorem sensum Papicolæ omnes accipiunt*, &c. *ac si doceamus, peccata remitti per fidem à charitate & omnibus operibus bonis seiunctam.* Pag. 175. *Sed exclusiua illa* [sola] *tantùm excludit Primò aliud iustificationis instrumentum; Secundò, alia generalia fidei obiecta; Tertiò, omnem operum in iustificando caussalitatem.* Pag. 176. *Neque verò hoc dogmate aperitur porta sceleribus, eò quod veram fidem bona opera immediatè comitentur.*

Brandius pag. 34. *Quid ni hæc doceat Caluinus cùm illa irrefutabiliter probet ex sacris Scripturis?*

Refutatio.

Primò, Excuso hîc Meisnerum, qui verecundè conatur celare turpitudinem patris sui, & conquirit vndequaque velut emplastra ad medendum desperato dogmati *de solâ fide sufficiente ad salutem.* Brandium non iudico nouâ responsione dignum.

Secundò, Sed frustrà est Meisnerus. Nam quis non videat, Lutherum docuisse ἀδιαίρετον bonorum operum, & non διαίρεσιν à fide tantùm? Lutheri verba expressa sunt Tom. 1. Lat. Wittenb. Disputatione, vtrùm bona opera faciant ad iustificationem, & Tom. 1. Latin. Ienens. *Fides nisi sit sine vllis etiam minimis operibus, non iustificat, imò non est fides.* Et Tom. 1. Germ. Comment. in cap. 2. Gal. *Sola fides iustificat, & non fides quæ dilectionem includit.*

Et

Et Sermone De piscaturâ Petri: *Debemus cum sola Isaac venire, hoc est cum fide; seruos & asinas, hoc est opera, deorsum dimittere oportet.* Si opera deorsum dimittenda sunt, quomodo opera fidem immediatè comitabuntur? Iterùm in Euangelio Feriæ 2. Pentecostes: *Ad cælum via arcta est: tenuem te oportet fieri, si transire velis. Qui operibus ceu Iacobitæ Peregrinatores cochleis circum vndique muniti sunt, penetrare non possunt*, &c. *Si grandibus humeris, destinatis saccis operum refertis adueneris, nisi deposito priùs onere non pertransibis.* Si operum bonorum sarcina est deponenda, auctore Luthero, quomodo simul erunt opera & fides quoad coëxistentiam, vt vult Meisnerus? Alibi 2. Comment. in Epist. ad Gal. cap. 2. *Papistæ sic docent: Fides in Christum iustificat quidem, sed simul seruari oportet præcepta Dei*, &c. *Vbi statim Christus negatus, & fides abolita est.* Si per operum cum fide coniunctionem fides aboletur, quomodo necessariò semper fides operibus coniuncta est?

Tertiò, Lutherus Artic. 32. dicit, *opus bonum optimè factum, esse peccatum mortale secundùm Dei iudicium.* Et Philippus in Locis commun. editionis primæ, *omnia hominum quantumuis laudabilia opera planè vitiosa esse, & morte digna peccata.* Quod si ita est, quomodo Lutheranum dogma esse potest, quòd fides illa sua (quæ sola sufficit ad salutem) caussa sit remissionis peccatorum? sola sit instrumentum iustificationis? cùm ex fide illâ eâdem, vt è scaturigine ac fecundâ quadam matrice, emanant opera bona talia, quæ optimè facta, sunt planè vitiosa & morte digna. Sanè si fides, vt docet Meisnerus, caussa sit ac veluti mater bonorum operum

om-

omnium, adeoque ſine ijs numquam exiſtat, opera autem illa omnia iuxta dogma Lutheranorum ſint peccata mortalia; quomodo non aperitur porta omnibus ſceleribus per talem ſolam fidem, quæ omnium ſcelerum eſt cauſſa? Et quomodo eadem fides poteſt ſola eſſe cauſſa iuſtificationis, quæ cauſſa eſt tot peccatorũ? Nimis igitur deſperata res eſt dogmatis illius Lutherani, vt nec Æſculapius aut Machaon aliquis ei poſſit facere medicinam.

Reſponſio Meiſneri de fide ſpeciali, ob quam nulla homini imputantur peccata.

Pag. 178. *Quando peccata credenti non imputari dicimus, non intelligimus craſſa, malitioſa, & voluntaria peccata; ſed næuos inuoluntarios, & ex infirmitate ortos.* Pag. 180. *Hæc Lutheri, hæc noſtra doctrina eſt*, &c.

Refutatio.

Contrà Lutherus ſemper intellexit grauiſſima & nefanda etiam ſcelera; næuos verò inuoluntarios, aut leuia & venialia peccata, imò communia mortalia etiam craſſa, nec digna quidem propter quæ ad miſericordiam Dei confugeretur, aut ad Confeſſionem iretur. Lutherus Tom. 1. Epiſt. ad Philip. Ienæ edit. *Si vera eſt gratia, verum non fictum peccatum ferto. Deus non facit ſaluos, fictos peccatores. Eſto peccator, & pecca fortiter: ſed fortiùs fide, & gaude in Chriſto. Sufficit quòd agnouimus Agnum qui tollit peccata mundi. Ab hoc non auellet nos peccatum, etiamſi millies millies vno die fornicemur aut occidamus.* Hanc verò doctrinam confirmat verbis Cõfeſſarij ſui Staupitij in Colloq. conuiu.

uiu. Islebiæ edit. titulo De peccato: *Christus est remissio verorum & legitimorum peccatorum, cuiusmodi sunt parricidium, blasphemia aperta, Dei contemptus, adulterium*, &c. *Hæc huiusmodi vera sunt peccata, quibus plenum catalogum habere te oportet, si modò à Christo iuuari seu saluari cupias.* Comment. in cap. 17. Ioan. Tom. 4. German. Wittenb. *Nos ita dicimus, quòd veri & germani Sancti debeant esse fortibus & atrocibus peccatis obnoxij, ac tales etiam manere, quos non pudeat orare, Dimitte nobis debita nostra.*

Denique Antinomi in Confessione Mansfeldensium Ministrorum, fol. 89. *Si scortum es, si scortator, si adulter, vel alioquin peccator; crede, & in viâ salutis ambulas: cùm in peccatum demersus es ad summum vsque; si credis, in mediâ beatitudine versaris.*

Ex quo igitur tempore intelligere cœperunt Lutherani, per peccata, quæ ob fidem condonantur, non grauia illa & maliriosa, sed inuoluntarios tantùm næuos? Fortasse Lutheranis, infirmis eheu vasculis! millies vno die fornicari aut occidere, inuoluntarij tantùm sunt næui, & ex infirmitate commissi. Nam Lutherus talia nequidem se indicasse Confessario suo Staupitio, scribit in Colloq. Islebiens. tit. De tentat. fol. 291. *Doctori Staupitio sæpè confessus sum, non de mulieribus, sed verò atrocia & solida facinora.* Et quis hanc doctrinam audiens, non credat Lutheranos iam Geloos esse factos, qui, vt scribunt ex Epiphanio Centuriatores Centur. 4. cap. 15. censebant contra Legem naturæ esse viuendum, & malefacientes suis legibus laudabant.

Octa-

Octauum Lessij Argumentum, hac nonâ eius Consideratione de nouo allatum, est huiusmodi: *Lutherana Religio docet, Decalogum non pertinere ad fideles Christi. Ita Lutherus Sermone de Moyse, & in cap. 4. Epist. ad Gal. & in cap. 20. Exodi. Caluinus eamdem doctrinam occultè insinuat. Primò, Cùm docet, legem Dei sanctis esse impossibilem: nemo enim obligatur ad impossibile. Secundò, Cùm docet, omnia nostra opera esse inquinamenta, sordes, & peccata coram Deo: at nemo obligatur ad peccatum, ergo non obligamur vel conari etiam implere Decalogum.*

Responsio vtriusque pro Luthero.

Meisnerus pag. 556. *Lutherus, quamuis videatur duriùs de Lege locutus, nihil aliud notatum voluit, quàm ex Lege non esse iustificationem,* &c. *Hoc verò si est obligationem Legis planè tollere, & ad omnia scelera portam aperire, Apostolum Paulum priùs accuset, qui vbique remouet in doctrinâ iustificationis omnem Legem Moysaicam, etiam moralem.*

Brandius pag. 152. *Lutherus Decalogi obedientiam non reijcit simpliciter, sed secundùm pædagogiam. Nos enim noui Testamenti homines sub illâ pædagogiâ non sumus: ad Gal. 4. per totum caput.*

Refutatio.

Apertissimum esse mendacium, quod hîc pro defendendo Luthero attulit Meisnerus, patet ex ipsis Lutheri verbis, lib. De capt. Babylon. cap. De Baptismo: *Homo Christianus,* inquit, *etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere; nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas.* Vbi Primò Lutherus

therus loquitur de homine iam iustificato per fidem: ait enim, *Homo Christianus*. Secundò, Docet, hunc hominem Christianum non posse damnari, nisi ob solam incredulitatem. Manifestum est igitur ex Lutheri sententiâ, homini iam iustificato, seu habenti fidem iustificantem, nullam incumbere obligationem Legis moralis: nam certè si incumberet, peccando etiam contra eam (etsi retinens fidem) posset damnari: quod Lutherus inficiatur.

Iterùm clarissimè Concione in Euang. Feriæ 2. Pentecostes, loquens non de primâ hominis iustificatione, sed de hominis in cælo beatificatione: *Quia*, inquit, *angusta est via, oportet te tenuem fieri, si vis per eam transire. Ceterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Iacobi Peregrinos, ij non poterunt penetrare.* Quibus verbis docet, Legis obseruationem homini iam iustificato etiam obesse ad salutem.

Denique Meisnerus ipse, sui, opinor, oblitus, pag. 562. scribit: *Præcepta, etsi impossibilia, animi morbos sanant: quia efficacia media & instrumenta sunt, per quæ Spiritus sanctus corda nostra regenerat.* Vbi agnoscit, præcepta locum habere in regeneratione seu iustificatione, tamquam efficacia instrumenta; quod hîc omnino negat.

De pædagogiâ Legis quæ hîc Brandius dicit, Pædagogi potiùs sceptro digna sunt quàm alio responso.

Responsio Meisneri pro Caluino.

Pag. 557. *In foro Politico vltra posse nemo obligatur*, &c. *Quoad Dei verò Legem, & diuina præcepta,*

cepta, planè dispar ratio est: quæ iusta sunt, & nequaquam tyrannica, licet sint impossibilia.

Refutatio.

Primò, In quo dispar illa ratio sit, altum Meisnero silentium est.

Secundò, Si quæ disparitas esset, ea potiùs efficeret, longè minùs diuina præcepta posse esse impossibilia, quàm præcepta fori Politici: Diuinum enim forum quouis Politico est æquius.

Tertiò, Ratiunculæ omnes, quibus nititur patrocinari impossibilitati Legis, meræ quisquiliæ sunt. Verbi gratiâ, quòd Lege obligentur etiam nondum renati, quibus tamen Lex impossibilis est; nisi dicamus cum Pelagio, Legem solis naturæ viribus posse impleri. Quasi verò ij qui nondum renati sunt, obligentur sine gratiâ, solis naturæ viribus, Legem obseruare. Iterùm, quòd Isa. 42. dicatur: *Audite surdi, & cæci intuemini.* Matth. 9. præcipiatur mortuæ, *Puella surge.* Ioannis 11. sepulto, *Lazare veni foras.* Act. 9. defunctæ, *Tabitha kumi.* Quibus omnibus locis præcipitur aliquid, quod non erat in eorum potestate quibus præcipiebatur. Quasi verò cæci, surdi, mortui & sepulti ea iubeantur facere viribus suis, & non viribus ipsius Dei, quibuscum id illis possibile fuit. Nihil igitur omnibus illis locis præcipitur impossibile, nisi etiam impossibilia præceperit Deus, cùm dixit, *Fiat lux, Fiat firmamentum, Fiant luminaria in firmamento.*

Deinde prorsus ἀπροσδιόνυσα, & à proposito sunt aliena hæc præceptorum exempla: eorum enim nullo quidquam præcipitur ita faciendum, vt si

omittatur, peccatum sit mortale, & culpa supplicio digna; qualẽ admitti hæretici docent, cùm præcepta Decalogi, etsi impossibilia, non implentur. Aliis ergo pigmentis, alio exemplorum fuco erat opus ad cerussandum febriculosum hoc paradoxum.

Responsio Brandij pro Caluino.

Pag. 152. *Caluinus non dixit, Legem Dei etiam Sanctis impossibilem esse simpliciter; sed in hac vitâ præstari perfectè non posse. Negat Lessius illam doctrinam? Deinde Caluinus non considerat Legem vt est in se, sed pro natura nostræ infirmitate,*&c. *Nemo obligatur ad impossibile, quod tale est simpliciter. At Lex Dei est in se possibilis. Potuit perfectè præstari à primo homine ante lapsum. A Christo perfectè præstita est, & in cælis perfectè præstatur.*

Refutatio.

Primò, Caluinus docuit, Legem esse in se impossibilem simpliciter. Ita enim scribit lib. 2. Inst. cap. 7. §. 4. *Itaque si Legem dumtaxat intuemur, nihil aliud possumus quàm animum despondere, confundi, ac desperare,*&c. Oritur ergo desperatio (auctore Caluino) *dumtaxat ex cõsideratione Legis* in se, non verò ex consideratione imbecillitatis nostræ. Iterùm §. 5. *Non texã hic longas ambages de variis possibilitatis generibus. Impossibile appello, quod nec fuit vmquam, & ne in posterum sit, Dei ordinatione ac decreto impeditur.* Atqui nullus vmquã purus homo aut seruauit, aut seruabit etiam in posterum totam Legem, auctore Caluino. Igitur Caluinus simpliciter docuit Legem impossibilem omni puro homi-

homini; quod mox ibidem addit apertissimis verbis: *Si ab vltimâ memoriâ repetamus, neminem Sanctorum extitisse dico, qui corpore mortis circumdatus, ad eum dilectionis scopum pertigerit, vt ex toto corde, ex totâ mente, ex totâ animâ, ex totâ potentiâ Deum amarit*, &c. *Dico item, neminem post hac futurum, qui ad veræ perfectionis metam peruenturus sit, nisi corporis mole solutus. In hanc rem suppetunt aperta Scripturæ testimonia*, &c. *clarissimè omnium Paulus*, &c. *probat, omnes qui sub Lege sunt, maledictioni subiectos; quia scriptum sit, maledictos omnes qui non permanserint in omnibus eius mandatis; innuens scilicet, imò pro confesso assumens, neminem permanere posse.*

Secundò, Etiamsi dixisset Caluinus, Legem impossibilem esse tantummodò respectu imbecillitatis nostræ in hac vitâ; inde tamen sequeretur, Legem simpliciter impossibilem viatoribus esse in hac vitâ. Illud enim simpliciter nobis impossibile est, quod, positis omnibus viribus quas habemus, aut habere est in nostrâ potestate, nullo modo præstare possumus. Vnde etiamsi Beatis Lex sit possibilis, viatoribus tamen simpliciter dicenda esset impossibilis: sicut volare, simpliciter impossibile est homini, etiamsi possibile sit auibus.

Tertiò, Etiamsi Caluinus docuisset, Legem impossibilem esse tantummodò respectu præsentis imbecillitatis nostræ; ex eo dogmate nihilominùs sequerentur incommoda & absurda omnia, quæ Lessius ex priore confici demonstrauit.

Quartò, Hæc Caluini doctrina vel tali palliastro inuoluta, repugnat Scripturæ Genes. 6. *Noë*

vir iustus atque perfectus fuit. 4. Reg. cap. 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in totâ animâ suâ, & in vniuersâ virtute suâ.* Iosue 11. cap. *Et ille* [Iosue] *vniuersa compleuit: non præteriit de vniuersis mandatis nec vnum quidem verbum.*

Nonum Lessij Argumentum, de nouo hîc allatum, sic habet: *Hæ duæ Religiones* [Lutherana & Caluinistica] *nullum faciunt discrimen operum bonorum & malorum coram Deo, sed solùm coram hominibus. Mala enim apertam habent malitiam, bona occultam à concupiscentiâ internâ, ratione cuius malitiæ coram Deo censentur peccata mortalia. Si ita est, cùm vtraque sint mala coram Deo, cur non potiùs præferam opera mala (in quibus saltem voluptas est) operibus bonis, reuerà coram Deo malis, in quibus molestia & asperitas?*

Responsio Brandij.

Pag. 153. *Ad rem respondeo. An non differt aperta malitia ab occultâ? Sed aliud est quoque discrimen. Mala simpliciter sunt prohibita; bona, quamuis à nobis per accidens contaminentur, præcepta sunt, nec omittenda.*

Refutatio.

Hem! quàm aptè ad rem! Brandi tuam fidem! Nam quis negat differre occultam malitiam ab apertâ? Sed quid, oro, in genere malitiæ differunt coram Deo, malitia hominibus occulta, & aperta? An quæ hominibus occulta est, non æquè atque altera Deo est aperta? Quid igitur vna differt coram Deo ab alterâ, coram quo vtraque est aperta?

Lu-

Lutherana & Caluinistica Religio æquè & magis peccatis aperiunt viam atque atheismus.

Probat hanc suam sumptionem Lessius Consideratione secundâ, quatuor hisce ex caussis.

Pauci, inquit, *athei certò statuunt nullum esse Numen, sed plerique dubitant & reformidant oppositum: itaque non sunt absque metu vindictæ, qui illos in multis compescat.*

At istæ Religiones certò & indubitanter statuunt, firmissimeque credi iubent,

Primò, *Nulla omnino peccata, quantumuis ea sint multa vel magna, credentibus imputari.*

Secundò, *Omnes qui habent veram fidem esse prædestinatos.*

Tertiò, *Omnia ineuitabili necessitate fieri, sine libertate arbitrij; hominemque non posse vias suas facere bonas aut malas.*

Quartò, *Omnia hominum opera, tam mala quàm bona, ab æterno esse à Deo prædefinita, & vt in tempore fiant, voluntates hominum ad ea omnia à Deo inclinari, impelli, incitari, determinari.*

Atqui quatuor hisce modis tollitur omnis omnino timor Dei & inferni ex hominum mentibus, certiùs quàm per atheismum. Ergo, &c.

Responsio Meisneri ad primum modum, quo dicit Lessius tolli omnem vindictæ & Numinis metum per non imputationem vllius omnino peccati.

Meisnerus pag. 181. *Vbi vera fides est, ibi peccandi studium abest, ob timorem & tremorem, quo-*

cum credentes operantur salutem suam, ad Phil. 2. vers. 12.

Refutatio.

At vbi fides adeò specialis est, quâ quis tenetur certissimò sibi persuadere, se nullo modo damnari posse, nisi ob solam incredulitatem; quo cum tremore aut timore is operabitur salutem suam? *Quid timeat? An gehẽnam*, inquit Lessius, *an purgatorios ignes? At fides*, ô fidam fidem! *facit vt credẽti nullum peccatũ imputetur gehennâ expiandum.* Purgatorios verò ignes Lutherani & Caluinistæ pro inanibus terriculamentis habent, voluntque nescio quâ Deucaleoneâ pluuiâ extinctos. O aureum Iouis imbrem! *An timeat iram diuinam? At Deus non imputat, & propter Christi satisfactionem non potest peccanti & credenti irasci.* O sine felle columbulum Deum! *An satisfactionem temporalem, aut Confessionem? At illa tamquam superstitiosa sublata sunt.* O diuinum Lutherum! Quid ergo Lutheranus aut Caluinista magis timeat quàm quiuis atheus? An nocturna lemurum monstra,

Quæ pueri in tenebris pauitant, creduntq; futura?
Nihil certè superest aliud, quàm vt cum Lucano dicam:

Felices errore suo! quos ille timorum
Maximus haud vrget Erebi metus. Inde ruendi
In facinus mens prona viris, animæq; capaces
Flagitij. ——

Brandij responsio.

Respondeo: Oderunt peccare boni virtutis amore, non pœnæ timore.

Resu-

Refutatio.

Mira est Brandij stupiditas & stultitia, qui ad vetus illud Poëtæ scitum, illud suum inscitum adiungit, *Non pœnæ timore*; cùm id & falsum sit, & altera Parœmia etiam vulgatissima sit:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Fatetur ergo, malis saltem & improbis in suâ Ecclesiâ Caluinisticâ nullum esse libidinis & licentiæ frænum. Quamquam quid ego ita malè ratiocinor aduersus Caluinistas, apud quos nemo malus, nemo improbus est, omnes quotquot fuêre, sunt, erunt, prædestinati sunt, electi sunt, tantum-non canonizati sunt?

Meisneri responsio ad secundum modum, quo Lessius dicit, metum omnem tolli per hanc fidem, quòd credẽtes omnes prædestinati sint.

Pag. 182. *Si absolutum decretum prædestinationis intelligit, tum ratiuncula hæc nihil concludit contra nos, quippe qui istud modis omnibus reiicimus & detestamur.*

Refutatio.

Primò, Bucerus in Colloquio Ratisbonensi, tit. De æternæ salutis fiduciâ & certitudine, affirmat de absolutâ prædestinatione, *eum non esse verum Christianum, qui non eâdem certitudine credit se habiturum esse vitam æternam, quâ credit Deum esse, & Christum etiam esse.* Quod idem docet lib. De concordiâ, in conciliatione articuli De iustificatione, & Petrus Martyr quoque in Commentariis ad cap. 8. Epist. ad Romanos. Aliàs enim si

 intel-

intelligeret de decreto non absoluto, falsum esset, eâdem certitudine debere credi sui prædestinationem, quâ creditur Deus esse, & Christus.

Secundò, Lutherus ipse loco suprà citato dicit, quòd *Christianus, nec volens quidem possit amittere salutem, quamdiu retinet fidem*. Atqui impossibile est, id esse verum sine absoluto decreto prædestinationis; aliâs enim volens perdere salutem, posset eam perdere.

Brandij responsio:

Pag. 35. *Rogat Lessius, Si omnes teneantur firmissimè credere (qui fidem specialem habeant) se esse prædestinatos; cur illi sint solliciti?* &c. *Respondeo Primò, vt Deus per eorum opera laudetur; Secundò, vt alij in Christo lucrifiant; Tertiò, vt electionem & vocationem suam firmam efficiant.*

Refutatio.

Prima caussa non valet: nam Primò, etiamsi nos quidem per bona opera sciamus & credamus laudari Deum, qui dicimus bona opera verè bona esse & meritoria; tamen cùm bona omnia opera ex Caluini sententiâ sint æternâ morte digna, non video quomodo per ea possit Deus laudari. Secundò, Cùm ex Caluini sententiâ etiam nulla mala opera fidelium Deo displiceant, aut ab eo imputentur ob solam fidem, eo dogmate velut aquâ omnis boni operis ardor refrigeratur.

Secunda caussa non valet, Primò, quia Caluinistæ aspernantur propè omne externum boni operis exercitium, quo tamen proximi Deo possunt acquiri in lucrum. Secundò, Quia nemo Cal-

Caluinista libertatem habet vt ad Christum conuertatur: cur igitur conentur Caluinistæ aliquem suo exemplo quærere?

Tertia caussa stulta & ridicula est. Nam cur solliciti sint illi certam facere suam vocationem & electionē, qui certissimò credunt se iam vocatos esse & electos; electio verò semel facta ab æterno à Deo, retractari non possit, non magis quàm Beati in cælo sollicitisunt perdere salutem? Meliùs, meo quidē iudicio, stetisset Brandius ab Arminio Caluinistâ, qui roboream hanc certitudinem etiam vacillare dixit Legato Palatino, cùm duos hos illi articulos cum ceteris obtulit, tamquam dubios: Primum, An quis fidelis certus esse possit se à fide non defecturum. Secundum, An fideles credere teneantur, se à fide non defecturos?

Responsio Meisneri ad tertium modum, quo dicit Lessius metum omnem tolli per fatalem arbitrij necessitatem.

Pag. 182. *Concedimus arbitrij libertatem in hemisphærio inferiori, vt loquitur B. Lutherus; hoc est, in externis actibus,* &c. *Negamus autem arbitrij libertatem in hemisphærio superiori, quod continet actus spirituales ante conuersionem.*

Refutatio.

Primò, Faciamus à Luthero negatam esse tantùm libertatem in nouo inauditoque illo hemisphærio actuum internorū; an non est ea execranda doctrina? Nam si interiùs liber non sum, igitur nihil pecco, remittendo habenas omnibus concu-

piſcentiæ motibus, omnibus odij, blaſphemiæ, libidinum cupiditatibus; cùm tamen docuerit Chriſtus, eum mœchatum eſſe, qui vel viderit ad concupiſcendum.

Secundò, Certũ eſt, & à Philippo Melanchthone clariſſimè eſſe negatam omnem omnino arbitrij libertatem etiam in externis actibus, vt demonſtrarunt ex eius verbis Gretſerus in Luthero Academico, & Sartorius in Cauſſis motiuis deſerti abs ſe Lutheraniſmi, quorum hîc labore vtar.

Lutheri doctrina de libero arbitrio.

Tom. 2. Lat. Ienenſi, impreſſo anno 1557. & Tom. 2. Lat. Wittenberg. impreſſo anno 1562. in Aſſertione art. 36. *Liberum arbitrium post peccatum res eſt de ſolo titulo; & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Ibidem: *Infelix liberum arbitrium! Iuſtus in bono opere peccat mortaliter, & ipſum iactatur ante iuſtitiam aliquid eſſe & poſſe? Eſt autem articulus nixus primò in verbo Auguſtini De Spiritu & litterâ cap. 4. Liberum arbitrium ſine gratiâ non valet niſi ad peccandum. Rogo, quæ eſt libertas, quæ non niſi in alteram partem poteſt, eamque peiorem? Eſt hoc eſſe liberum, non poſſe niſi peccare?*

Ibidem: *Atqui hæc ſunt duo opera liberi arbitrij, ſcilicet peccare, & perſeuerare augeſcereque in peccatis; foras mitti, & creſcere: ſi enim aliud poteſt liberum arbitrium, Chriſtus certè mentitur.*

Ibidem: *Via hominis eſt ea, quam ipſi* [Papiſtæ] *vocant naturalem vim faciendi quod in ſe eſt. Ecce hæc non eſt in arbitrio hominis ſeu liberi arbitrij. Quid ergo liberum arbitrium eſt, niſi res de ſolo titulo? Quomodo poteſt ſeſe ad bonum præparare, cùm neque in po-*

testate suâ sit, suas vias malas facere? nam & mala opera Deus in impiis regit.

Ibidem: *Sic rursus Prouerb. 16. Hominis est præparare cor, Domini est gubernare linguam. Hoc est: Homo multa solet proponere, cùm tamen adeò non sint in manu opera eius, vt nec verba quidem in hoc ipsum habeat in potestate suâ, coactus mirabili Dei prouidentiâ & loqui & facere aliter quàm cogitauit,* &c. *Vbi ergo est liberum arbitrium? Figmentũ est penitus.*

Ibidem: *Quis audet negare, se etiam in malis operibus sæpiùs coactum aliud facere quàm cogitauit?* &c. *Adeò non est homo in manu suâ, etiam mala operans & cogitans. Et verè Paulus dixit, Deus operatur omnia in omnibus.*

Ibidem: *Periit itaque hîc etiam generalis illa influentia, quâ garriunt esse in potestate nostrâ, naturales operationes operari. Secùs rem habere, monstrat experientia omnium. Et vide nos insensatos: ipsam radicem operũ, nempe vitam ipsam, quæ caput est omnium operum, scimus omnes nullo momento esse in manu nostrâ; & audemus dicere, aliquam cogitationem esse in manu nostrâ? Quid absurdius dici potest?* &c. *Unde non est dubium, satanâ magistro venisse in Ecclesiam hoc nomen, liberum arbitrium, ad seducendos homines à viâ Dei in vias suas proprias.*

Ibidem: *Habes, miserande Papa, quod hîc oggannias? Vnde & hunc articulum necesse est reuocare: malè enim dixi, quòd liberum arbitrium ante gratiam sit res de solo titulo: sed simpliciter debui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re; quia nulli est in manu suâ quidpiam cogitare boni aut mali, sed omnia (vt VViclefi articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absolutâ eue-*

eueniunt : quod & Poëta voluit , quando dixit,
——— Certâ ſtant omnia lege.

Notandum porrò, de poſtremis hiſce Lutheri verbis inter Lutheranos & Catholicos controuerti, an ea ita fuerint ſcripta. Aiunt Lutherani hæc verba non eſſe Lutheri, *Vt VViclefi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docet, de neceſſitate abſolutâ;* ſed iſta illorum loco, *Omnia ſub Deo ſunt, contra quem nihil poſſumus, niſi quantum permittit aut facit ipſe.* Verùm mentiri Lutheranos, conſtat Primò ex hiſce Lutheri ipſius verbis Tom. 2. Latin. Wittenberg. impreſſo anno 1546. De ſeruo arbitrio, contra Eraſmum, in fine primę Partis, fol. 491. §. 3. lin. 5. & Tom. 6. German. Wittenberg. impreſſo anno 1553. fol. 516. §. 1. lin. 9. & Tom. 6. Germ. Wittenberg. impreſſo denuò anno 1559. fol. 493. *Chriſtiani verò non libero arbitrio, ſed Spiritu Dei aguntur: Rom. 8. Agi verò, non eſt agere, ſed rapi, quemadmodum ſerra aut ſecuris à fabro agitur.* Et hîc ne quis dubitet Lutherum tam abſurda dicere, verba eius recitat Diatribe, quæ ſanè agnoſcit: *Fateor enim, articulum illum VViclefi, omnia neceſſitate fieri, eſſe falsò damnatum in Conſtantienſi conciliabulo, ſeu coniuratione potiùs & ſeditione.* ita de ſeipſo ſuáque doctrinâ Lutherus. Verba autem Diatribes Eraſmianæ (quæ Lutherus pro ſuis hîc agnoſcit) ſunt iſta: *Nulli eſt in manu quidpiam cogitare mali aut boni, ſed omnia, vt VViclefi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docuit, de neceſſitate abſolutâ eueniunt.*

Secundò, Ea verba hoc loco eſſe Lutheri ipſiſſima verba, conſtat relatione eorum omnium, qui ſtatim initio aduerſus Lutherum ſcripſerunt, eaque

que singuli ex eius Operibus recitauerunt. Igitur Erasmus semel, iterùm, & tertiùm, ea verba pro Lutheri verbis citauit Tomò 9. Operum Basileæ impress. anno 1540. in Diatribe contra Lutherum; item in Diatribe hyperasp. lib. 2. fol. 1142. & fol. 1217. Ioannes Cochlæus in Septicipite Luthero cap. 40. Ioannes Fischerus, Episcopus Roffensis, in Confutatione Assertionis huius articuli 36. Ioannes Fab. in Antilogiâ Lutheri cap. 41. Andreas Fabr. in Harmoniâ Confessionis Augustanæ, impressâ Colonię; Ioannes Hofmeisterus in Harmoniâ ad art. 20. Wetterhan, Staphylus, Eckius, &c.

Tertiò, Constat ex edicto Wormatiensi, ab Imp. Carolo V. aduersus hæc Lutheri dogmata scripto, & Epistolâ Georgij Saxoniæ Ducis ad Henricum VIII. Angliæ Regem.

Quartò, Ex ipsâ impressione articulorum Lutheri, à Leone X. damnatorum anno 1521. mense Februario Basileę in 4. editâ, & Wittenbergæ item in 4. eodem anno excusâ. Ex quibus constat, Primò, Mutilatas esse editiones recentiores Ienensem & Wittenbergensem Latinas, & Germanicam Wittenbergensem anni 1554. Secundò, Manifestum esse mendacium Wittenbergensium Theologorum lib. De verâ & solidâ refutatione Bellarmini & Hanssonij, dum aiunt, *Malitiosam esse corruptelam verborum Lutheri, quâ Iesuiticus Paraphrastes Petrus Hanssonius hoc loco usus est.* Nam Hanssonius non potuit primus corrupisse Lutheri verba anno 1586. quæ eodem modo legebantur in libris tanto anteà annorum interuallo editis.

Sed pergamus in recensendâ Lutheri doctrinâ de libero arbitrio. Igitur ibidem ita Lutherus: *Nobis*

bis ad inferna ſpectantibus res omnes videntur arbitrariæ & fortuitæ, ſed ad ſuperna ſpectantibus omnia ſunt neceſſaria: quia non ſicut nos, ſed ſicut ille vult, viuimus, facimus, patimur omnes & omnia. Ceſſat liberum arbitrium erga Deum, quod apparet erga nos. Tom Latin. Wittenb. anno 1546. lib. De ſeruo arbitrio, Tom. item 6. German. Wittenberg. anno 1553. eodē lib. & Tom. 6. German. anno 1559. eodem libro: *Ideò ad extrema eundum eſt, vt totum negetur liberum arbitriū, & omnia ad Deum referantur.* Tom. 2. Lat. Wittenberg. anno 1546. ibidem: *Hoc autem deprecor, mi Eraſme, ne credas, me cauſſam hanc* [quòd homo ſimpliciter non habeat liberum arbitrium] *ſtudio magis, quàm iudicio agere. Non patior me inſimulari eius hypocriſis, vt aliter ſentiam, & aliter ſcribam. Nec defenſionis calore (vt tu ſcribis de me) huc prouectus ſum, vt nunc primùm negem totum liberum arbitrium, quia anteà illi nonnihil tribuerim; nec hoc tu vſpiam in libellis meis oſtendes. Scio, extant themata & problemata, in quibus perpetuò aſſerui vſque in hanc horam,* LIBERVM ARBITRIVM ESSE NIHIL, ET REM *(eo verbo tum vtebar)* DE SOLO TITVLO. *Veritate victus, & diſputatione prouocatus ac compulſus, ſic ſenſi ac ſcripſi.*

Patet igitur ex hiſce omnibus, à Luthero negatum fuiſſe totum liberum arbitrium in externis iuxtà atque internis actionibus; quod negabat Meiſnerus.

Doctrina Philippi de libero arbitrio.

Neceſſariò omnia eueniunt in omnibus creaturis, in cap. 8. Epiſt. ad Rom. Argentorati 1523. *Omnia neceſſariò euenire, Scripturæ docent. Eſto, videatur tibi*

in

in rebus humanis contingentia: iudicio rationis hîc imperandum est: in Locis, tit. De libero arbitrio. *Contingentia quædam in rebus videntur, cùm tamen sit necessitas*: ibidem. *Nihil tam mirari humana ratio solet, quàm cùm omnia videantur contingenter ac non necessariò fieri, necessariò tamẽ ita destinata fiant*: ibidem. *Et vel hæc sola sententia doceat, quàm sit salutare nobis, quòd non simus relicti nostris viribus, consiliis, & libertati voluntatis nostræ*: ibidem.

In Biblicis historiis palàm apparet, quòd quamquam carni ita videatur, tamen non sit rerum contingentia, sed necessitas quædam iuxta destinationem Dei: ibidem.

Quid liberum arbitrium? Ridicu lumcommentum est liberum arbitrium: ibidem.

Nihili commentum, & dogma Scholasticum de libero arbitrio: ibidem.

Omnem libertatem voluntatis nostræ tollit prædestinatio diuina: ibidem.

Nulla est libertas, si voluntatem humanam ad prædestinationem conferas: ibidem.

Voluntati nostræ libertatem per prædestinationis necessitatem adimit Scriptura: ibidem.

Libertatem homini adimit diuina prædestinatio. Eueniunt enim omnia iuxta diuinam prædestinationem, cùm externa opera, tum internæ cogitationes in omnibus creaturis: ibidem.

Etiam iuxta naturæ iudicium, in affectibus nulla est libertas: ibidem.

Nullam libertatem esse voluntati humanæ in sumendis vel ponendis affectibus spiritualibus, amore, metu Dei, fide, spe, &c. perspicuum est. Nam carnales nihil moror, quamquã neque in his libera est: ibidem.

Quid

Quid si respicias affectus carnales? Nam neque in his libertas est: ibidem.

Est igitur manifestum quoque ex hisce Philippi sententiis, omnem omnino libertatem homini ab eo esse ademptam.

Prima responsio Meisneri ad absurda quæ inferebantur ex negatione liberi arbitrij.

Pag. 183. *Neque tamen hinc sequitur, iniustè puniri hominem, quia se ipsum conuertere nequeat. Quoniam enim malitiosè resistit Spiritui sancto in corde operari volenti, ideò æternâ damnatione dignus est.*

Refutatio.

At quæ mens capiat, illum resistere malitiosè, qui se ipsum conuertere non potest? Si enim non potest, quomodo malitiosè? *Nam hoc manifestum est adcò*, inquit Augustinus lib. De verâ Relig. cap. 14. *vt nulla hîc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.*

Secunda Meisneri responsio.

Ibidem: *Ad malum est liberum, ad bonum est seruum hominis arbitrium.*

Refutatio.

Quomodo igitur Lutherus scripsit in Assert. art. 36. *Nulli est in manu suâ cogitare quidpiam boni, aut mali?* Quomodo ibidem interrogat, *Quis audet negare, se etiam in malis operibus sæpè coactum, aliud facere quàm cogitat?* Coactus, opinor, hæc scripsit Lutherus, & Meisnerus coactus ea scripta negare.

Bran-

Brandij responsio pro doctrinâ Caluini de libero arbitrio.

Pag. 35. *Caluinus loco citato nihil huiusmodi dicit: si alibi id dicit, ostendat locum.*

Refutatio.

Imò hoc ipsum, & amplius dicit eo ipso libro & capite, nempe lib. 1. Instit. cap. 16. deprauans etiam verba ipsius Prophetæ verbis suis Gallicis, quæ eo consilio adscribo ex impressione anni 1562. *Le Prophete Ieremie*, c. 10. v. 23. *crie hault & claire, Ie sçay, Seigneur, que la voye de l'homme n'est pas en sa liberté, & que ce n'est pas à luy s'addresser ses pas.* cùm tamen Propheta nusquam nominet libertatem, & hæc tantùm eo loco sint eius verba: *Scio, Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Deinde ita pergit ex eâ sententiâ ratiocinari: *Dicant nunc ij, contra quos ego disputo, quòd habeat homo instinctum naturalem quidem naturalis suæ propensionis, & quòd eum huc & illuc verset pro libitu suo. Quia si verum id foret, haberet homo in manu suâ dispositionem viarum suarum. Quòd si negent, scilicet nihil posse sine potentiâ Dei; è contrario replico, Cùm manifestum sit, ab Ieremiâ & Salomone tribui Deo non solùm vnam aliquam vim similem qualem ipsi fabricantur, verùm etiam consilium, decretum, & certam determinationem eius quod fieri debet; numquam sanè illi efficient, quin sibi Scriptura aduersetur.*

Iam ne desim Brandio petenti sibi alios præterea locos ostendi, numerabo aliquot illustrio-

 res,

res, quibus arbitrij libertatem penitus Caluinus tollit.

Primò, Titulus capitis 2. lib. 2. Institutionum est iste: *Hominem arbitrij libertate nunc esse spoliatum, & misera seruituti addictum.* id quod toto illo capite probat prolixè.

Secundò, Libro 3. Instit. cap. 23. §. 7. *Decretum quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet; & ideò præsciuerit, quia decreto suo sic ordinârat.* Quæ cum decreto adamantino hoc stare queat libertas?

Tertiò, Libro 3. Instit. cap. 23. §. 8. *Non dubitabo simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem; atque id necessariò esse futurum, quod ille voluerit, quemadmodum ea verè futura sunt, quæ præuiderit.*

Quartò, Libro contra Pighium: *Decreto Dei constitutum est, hominem per peccatum labi debere; & nihil contingit ei, quod Deus non decreuerit: nihil ergo liberum est homini.*

Quintò, Ad cap. 9. Epist. ad Rom. vers. 17. *Non modò præcognita fuit impiorum perditio, sed impij fuerunt destinatò creati vt perderentur.*

Ex quibus omnibus luce clarius est, omnem à Caluino sublatam esse arbitrij libertatem, quæ cum hoc Dei decreto stare non potest.

Responsio Brandij ad absurda quæ inferebantur ex negatione liberi arbitrij.

Pag. 35. *Sed quid si hæc doceantur, vt Lessius proponit; an inde sequitur nullum ibi esse propriè peccatum, quia nulla est libertas?* Pag. 36. *Neque enim necessi-*

necessitas quæuis, sed coactio tollit libertatem; & necessitas ineuitabilitatis cum libertate voluntatis potest consistere.

Refutatio.

Primò, Quis non videat hîc stuporem Brandij, dubitantis de integritate huius Argumenti, *Nulla est libertas, nullum ergo propriè dictum peccatum?* Nam quis caudex vel inter hæreticos id vmquam ritè sequi negauit? cùm & Pelagiani obiecerint Augustino ex lib. eius tertio De liberó arbitrio: *Quis peccat in eo quod caueri non potest?* & Brandius ipse pag. 36. vt non cogatur tollere omne peccatum, dixerit, *libertatem consistere cum necessitate ineuitabilitatis* (quam Caluinistæ admittunt) *non autem cum necessitate coactionis.* Fatetur ibi igitur, nullum fore peccatum, si non esset saltem ea libertas, quam ait constare cum necessitate ineuitabilitatis.

Secundò, Quem non misereat illius hominis qui alterâ statim paginâ eiusdem folij secum pugnat, cùm dicit, *Neque enim quæuis necessitas tollit libertatem?* Nam si libertas aliqua porrò constat cum ineuitabilitate (quam Lessius Caluino permittit & assignat) quomodo ait, Lessium malè ita ratiocinari, *Nulla secundùm Caluinum libertas, ergo nullum peccatum?*

Tertiò, Qualis libertas possit consistere cum necessitate ineuitabilitatis, nolim ab aliis inuestigare, quàm ab ijs quos sibi magistros adhibuit Augustinus lib. De duabus animabus, cap. 11. *Nec hîc, inquit, libri obscuri mihi scrutandi erant, vnde discerem, neminem vituperatione suppliciòve dignum,* &c.

qui id non faciat quod facere non potest. Nonne ita cantant in montibus pastores, & in theatris Poëtæ, & in circulis indocti, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in locis sacris, & in orbe toto genus humanum? Et cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia fecit quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insania.*

Meisneri responsio ad quartum modum, quo dicit Lessius, metum omnem peccandi tolli per doctrinam, quâ docetur, omnia mala opera hominum à Deo esse prædefinita, à Deo hominum voluntates ad ea incitari, impelli, determinari, &c.

Pag. 185. *Non nostra hæc est, sed Caluinianorum sententia.*

Refutatio.

Quid aliud hîc exclamem, quàm, *Erubuit Meisnerus, salua res est?* Nam sanè omnino pudendum est illud dogma Lutheri, quod non iniuriâ quiuis à suâ religione repellat. Quare & Herbrandus Lutheranus, homo virgineæ frontis, negauit vmquam in Lutheri scriptis fuisse hæc verba, *Mala opera in impiis operatur Deus.*

Doctrina Lutheri de Deo auctore peccati.

Quàm impudenter mentiti sint Meisnerus & Herbrandus, negando id esse Lutheri dogma, Primò apparet ex his ipsius Lutheri verbis in Assertion. artic. 36. excusis Basileæ, & Wittenbergæ anno 1521. *Et mala opera in impiis operatur Deus, vt Prouerb. 16. dicitur,* &c. *Quis audet negare, se etiam*

iam in malis operibus sæpè coactum aliud facere quàm cogitauit? &c. *Si præsciuit Deus Iudam fore proditorem, necessariò Iudas fiebat proditor, nec erat in manu Iudæ, nec vllius creaturæ, aliter facere, aut voluntatem mutare, licet id fecerit volendo, non coactus; sed velle erat opus illius, quod omnipotentiâ suâ mouebat Deus, sicut & omnia alia.*

Porrò huius vtriusque editionis, Basileensis & Wittenbergensis, tot extitêre exempla, vt Herbrando neganti eam esse doctrinam Lutheri, responderit Georgius Schererus, *eorum multitudine & obrui & sepeliri potuisse Herbrandum*, referente Gretsero lib. 2. De iure prohibendi libros malos.

Secundò, Hæc verò etiamnum extant Lutheri verba Tom. 2. Ienens. Lat. impresso anno 1557. & Tom. 2. Lat. Wittenb. impresso anno 1562. in Assert. artic. 36. *Quis audet negare, se etiam in malis operibus sæpiùs coactum aliud facere quàm cogitauit?* &c. *Adeò non est homo in manu suâ, etiam mala operans & cogitans. Et verè Paulus dixit, Deus operatur omnia in omnibus*; etiam peccata, interprete Luthero.

Ibidem: *Quid ergo liberum arbitrium est, nisi res de solo titulo? Quomodo potest se ad bonum præparare, cùm neque in potestate suâ sit suas vias malas facere? nam & mala opera Deus in impijs regit.* Si ita Deus ea regit, vt non sint in potestate liberi arbitrij, est igitur Deus eorum auctor.

Ibidem: *Nobis ad inferna spectantibus, res omnes videntur arbitrariæ; sed ad superna spectantibus, omnia sunt necessaria. Quia non sicut nos, sed sicut ille* [Deus] *vult viuimus, facimus, patimur omnes & omnia.* Facimus igitur etiam peccata, quia Deus vult.

Doctrina Philippi de Deo auctore peccati.

Annotat.in Epist.ad Roman.Argent.anno 1525 *Nos dicimus, non solùm permittere Deum creaturis vt operentur, sed ipsum omnia propriè agere: vt sicut fatentur, proprium Dei opus fuisse Pauli vocationem, ita fateantur opera Dei propria esse, siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, communia cum brutis; siue quæ mala sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij seueritatem animaduertentis in filium.*

Ibidem: *Sit hæc certa sententia, à Deo omnia fieri tam bona quàm mala.*

Ibidem: *Constat, Deum omnia facere non permissiuè, sed potenter; id est, vt sit eius proprium opus, Iudæ proditio, sicut Pauli vocatio.*

Mentitur igitur Meisnerus, negando hanc suorum Lutheranorum esse doctrinam.

Brandij responsio pro Caluino.

Pag.36. *Citat Lessius Caluinum Instit.lib.1.c.17. §.5. & cap.18. distinct.1. Legatur Caluinus eo ipso loco, nihil aliud comperietur dicere, quàm maleficos esse Dei instrumenta*, &c. *Item, satanam & impios omnes ita sub manu Dei esse, vt eorum malitiam in quemcumque visum est finem dirigat. En ipsa Caluini verba. Mera est igitur impudentia, Caluino isthæc impingere.*

Refutatio.

Primò, Caluinum docuisse ita vt Lessius scribit, scripserunt non solùm Catholici, verùm etiam ipsi Caluiniani, Zwingliani, Lutherani, Bernenses Ministri, & Geneuenses. Vnde planè apparet, eum esse

esse communem omnium sensum & iudicium de Caluino.

Ex Caluinianis Arminius odiosissimis cum Gommaro præliis iam Hollandiâ totâ notus. Is enim in *Declaratione sententiæ suæ* ad Nobiles & præpotentes Hollandiæ Ordines scribit, Caluini doctrinam de Deo auctore peccati & prædestinatione multis nominibus sibi non probari: adfertque caussas omnino quindecim aut plures, quarum pleræque repetuntur denuò in Dedicatoriâ, quæ præfixa est Collationi Arminij cum Iunio. Item Venator, qui ab Arminio contra Gommarum & Iunium fortissimè stetit, asseuerans eam esse Caluini de Deo auctore peccati doctrinam. Adeoque hisce dimicationibus componendis, prima hæc pro Gommaro Synodus Dordracum conuocata est.

Ex Zwinglianis Petrus Vermilius Tigurinorum Professor, in lib. 2. Reg. cap. 6. Caluini sententias de Deo peccati auctore appellat *libertinas, execrandas, sacrilegas, abominandas, & planè diabolicas.*

Ex Lutheranis Tilmannus Heshusius libello De erroribus Caluini: *De fato, & caussâ peccati, planè impiè docet* [Caluinus] *vt ex multis eius libellis probari potest; vtpote qui dicat, Deum impiorum scelera non tantùm permittere fieri, sed & efficaciter operari,* &c. *Hæc omnino & Dei voluntatem incertam faciunt, & Deum peccati auctorem asserunt. Hic autem error est in Deum horribiliter contumeliosus.*

Bernenses Ministri ad Senatum suum de hoc Caluini dogmate retulerunt, & libellos eius in id argumentum conscriptos lictoris manu exuri iusserunt, Plebiscito facto, nequis intra eorum di-

tionem illi dogmati patrocinaretur. Id quod Feuardentius lib. 2. Theomachiæ Caluinisticæ c. 12. narrat contigisse anno 1554.

Geneuæ Castalio & Seruetus nascenti huic paradoxo se obiecerunt; easque ob res, cùm ibi valeret plus viribus Caluinus, eorum alter solum vertit, alter flammis viuus addictus est, etsi hæresis Arrianæ prætextu.

Denique ne fortasse non satis hæc sint Brandio, superest libellus alter P. Martini Becani De Caluinistarum Deo, alter De Quæstionibus Caluinisticis; quo vtroque plus satis probatum est, eam esse Caluini doctrinam.

Secundò, Caluinum ita docuisse ijs ipsis locis quos Lessius attulit, & aliis, probabo testimonijs ipsius Caluini ad verbum allatis, quæ omnino sunt clarissima.

Doctrina Caluini de Deo auctore peccati.

Primò, *Adami peccatum Dei decreto esse factum.* Lib. 3. Instit. c. 23. §. 7. impress. apud Antonium Rebulium anno 1561. *Disertis verbis, hoc constare negant, decretum fuisse à Deo, vt suâ defectione periret Adam,* &c. *Decretū quidem horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciuerit Deus quem exitum habiturus esset homo; & ideò præsciuerit, quia decreto suo sic ordinauerit. In præscientiam Dei si quis hîc inuehatur, temerè & inconsultè impingit.*

Secundò, *Posterorum ruinam non solùm permissu, sed voluntate Dei contigisse.* Lib. 3. Instit. c. 23. §. 4. *An non itaque iniustus* [Deus] *qui creaturis suis tam crudeliter illudit?* §. 8. *Lapsus est enim primus homo,* *quia*

quia Dominus ita expedire censuerat. Fateor sanè, in hanc quâ nunc illigati sunt conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse vniuersos filios Adam: atque id est, quod principio dicebam, redeundũ tandem semper esse ad solum diuinæ voluntatis arbitrium. Et §. 7. ibidem: *Nec absurdum videri debet, quòd dico, Deum non modò primi hominis casum, & in eo posterorum ruinam prævidisse, sed arbitrio quoque suo dispensasse.*

Tertiò, *Tam Adami quàm posterorum ruinam ab æterno esse à Deo volitam & prædestinatam.* Libro 3. Instit. cap. 21. §. 1. *Quòd si palàm est, Dei nutu fieri vt alijs vltrò offeratur salus, alij ab eius aditu arceantur,* &c. *Hîc magnæ & arduæ protinus emergunt quæstiones,* &c. *Quia nihil minùs consentaneum putant, quàm ex communi hominum turbâ alios ad salutem, alios ad interitum prædestinari.* §. 5. *Non enim pari conditione creantur omnes; sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus.* Cap. 23. §. 5. *Dico cum Augustino Epistolâ* 106. *esse à Domino creatos, quos in exitium ituros sine dubitatione præsciebat; idque ita factum, quia sic voluit.* §. 6. *Ecce, cùm rerum omnium dispositio in manu Dei sit, cùm penes ipsum resideat salutis ac mortis arbitrium; consilio nutuque suo ita ordinat, vt inter homines nascantur ab vtero certæ morti deuoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent.* §. item 8. *Hîc ad distinctionem voluntatis & permissionis recurritur, secundùm quam obtinere volunt, permittente modò, non autem volente Deo, perire impios. Sed cur permittere dicemus, nisi quia ita vult?*

Quartò, *Æterni huius decreti non alium esse finem*

Deo propositum, quàm vt misericordiam suam condonando, iustitiam puniendo demonstret. Lib. 3. Instit. cap. 24. §. 12. *Quos* [Deus] *in vita contumeliam, & mortis exitium creauit, vt iræ suæ organa forent, & seueritatis exempla, eos vt in finem suum perueniant, nunc audiendi verbi sui facultate priuat, nunc eius prædicatione magis excæcat & obstupefacit.* §. 14. *Quòd igitur patefacto sibi Dei verbo non obtemperant reprobi, probè id in malitiam prauitatemque cordis eorum reiicitur; modò simul adiciatur, ideò in hanc prauitatem adiectos, quia iusto, sed inscrutabili Dei iudicio suscitati sunt ad gloriam eius suâ damnatione illustrandam.*

Quintò, *Omnia peccata actualia, quæ ab hominibus fiunt, æterno Dei consilio decreta & prædestinata esse.* Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. quem locum Lessius citauit: *Quòd nihil efficiant homines nisi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitent nisi quod ipse iam apud se decreuerit, & arcanâ suâ directione constituat, innumeris & claris testimoniis probatur.* Lib. contra Pighium: *Decreto Dei constitutum est, hominem per peccatum labi debere: & nihil contingit ei, quod Deus non decreuerit.*

Sextò, *Omnia peccata actualia, dum in tempore fiunt, non fieri tantùm Deo permittente, sed volente, adeoque Deum eorum esse auctorem.* Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. *Tergiuersando itaque effugium quærunt, Dei tantùm permissu, non etiam voluntate hoc fieri. Ipse verò palàm se facere pronuntians, effugium illud repudiat.* Ibidem §. 3. *Et iam satis apertè ostendi, Deum vocari eorum auctorem, quæ isti Censores volunt otioso tantùm eius permissu contingere.* Ibid. §. 1. *Colligimus, eius probationis, cuius satan & scelesti latro-*

latrones ministri fuerunt (loquitur de Iobo) *Deum fuisse auctorem.* Commentariis in cap. 9. Epist. ad Roman. *Friuolum est illud effugium, quod de præscientiâ Scholastici habent. Neque enim præuideri impiorum ruinam à Domino Paulus tradit, sed eius voluntate & consilio ordinari. Non modò præcognita fuit impiorum perditio, sed impij fuerunt destinatò creati vt perderentur.*

Septimò, *Deum mandare satanæ, eumque impellere, vt homines ad peccata inducat.* Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 1. *Quidquid agitent homines vel satan ipse, Deus tamen clauum tenet, vt ad exequenda sua iudicia conuertat eorum conatus. Vult Deus perfidum Regem Achab decipi: operam suam offert diabolus: mittitur cum certo mandato vt sit spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Si Dei iudicium est, excæcatio & amentia Achab, nudæ permissionis figmentum euanescit.* Ibidem §. 2. *Fateor quidem, interpositâ satanæ operâ, sæpè Deum agere in reprobos, sed vt eius impulsu satan ipse suas partes agat & perficiat,* &c. *Dicitur satan excæcare infidelium mentes. Sed vnde hoc, nisi quòd à Deo ipsô manat efficacia erroris?* Lib. 2. Instit. cap. 4. §. 5. *Spiritus impurus, Dei spiritus vocatur, quia ad eius nutum potentiamque respondet. Instrumentum magis ipsius in agendo quàm à seipso auctor.* Deus igitur magis auctor est peccati quàm satan.

Octauò, *Prætereà Deum ipsum per se occultâ quadam vi incitare & necessitare homines ad peccata.* Lib. 1. Instit. cap. 18. §. 2. loquens de peccatis Assyriorum: *Vnde apparet, certâ destinatione Dei fuisse impulsos.* §. 4. Homo *iusto Dei impulsu agit, quod non licet.* Lib. 3. cap. 23. §. 9. *Excusabiles peccando*

cando haberi volunt reprobi, quia euadere nequeunt peccandi necessitatem; præsertim cùm ex Dei ordinatione sibi iniiciatur huiusmodi necessitas. Nos verò inde negamus ritè excusari, &c.

Nonò, *Deum præterea vnà nobiscum peccata nostra operari, sicut principale agens cum instrumentis.* Lib.1. Institut. cap. 18. §. 1. *Absalom incesto coitu patris torum polluens, detestabile scelus perpetrat; Deus tamen hoc opus suum esse pronuntiat: Tu fecisti occultè, ego palàm.* Lib.2. cap.4.§.2. *Omitto hîc vniuersalem Dei motionem vnde creaturæ omnes vt sustinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. De illâ speciali actione tantùm loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet.*

Decimò, *Denique post admissa peccata reprobos ita à Deo excæcari & obdurari, vt conuerti non queant, aut dolere de peccatis.* Lib.1 cap. 18.§.2. *Nihil clarius potest desiderari, quàm vbi toties pronuntiat se excæcare hominum mentes, ac vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda. Hæc etiam ad permissionem multi reiiciunt*, &c. *Sed cùm disertè exprimat Spiritus, iusto Dei iudicio infligi cæcitatem & amentiam, nimis friuola est illa solutio.* Lib.2. cap.4.§.5. *Addendum quod à Paulo traditur, diuinitus efficaciam erroris ac seductionis immitti, vt credant mendacio.*

Quis iam ex his omnibus non videat, clarè id doceri à Caluino, quod ei Lessius assignauit, Deum auctorem esse peccati? Scribit enim Caluinus Primò, decretum à Deo fuisse primi hominis lapsum; Secundò, etiam lapsum omnium posterorum, Tertiò, vtrumque hoc decretum esse

ab

ab æterno constitutum; Quartò, vtriusque huius decreti finem vnicum esse ostensionem misericordiæ & iustitiæ; Quintò, omnia actualia hominum peccata à Deo ab æterno esse decreta; Sextò, ea ipsa, dum in tempore fiunt, fieri volente Deo; Deũ eorum vocari auctorem; auctorem esse etiam eius quod faciunt satan & latrones, cùm permissio nuda sit figmentum; Septimò, Dei mandato & impulsu concitari satanam vt homines peccare faciat; Octauò, insuper occultâ vi nos ab ipso Deo per se ad peccata impelli; Nonò, ipsum peccatum, dum à nobis fit, esse etiam opus Dei, vt principalis agentis; Decimò, cæcitatem post hæc omnia à Deo immitti & obdurationem, ne conuerti possimus. Quid, quæso, prætereà à quoquam addi posset, vt quis diceretur peccati auctor? Nec dæmon qui est incentor & peccati suasor; nec ipse homo qui peccati est perpetrator, tantum in ipso suo peccato facit, quantum à Deo fieri scribit Caluinus. Quomodo igitur non est ab eo factus peccati auctor?

Rectè igitur hanc præcipuè ob rem ita ratiocinatus est Lessius pag. 29. *Caluinisticam & Lutheranam Religiones hac perniciosissimâ doctrinâ omnem diuini Numinis timorem ex animis hominum tollere, & tantam omnium scelerum tribuere licentiam, quantam nec atheismus ipse*. Adeoque Becanus noster Disputatione De auctore peccati, scribit, *cuiuis prudenti satis iustam debere esse caussam, vel ob hoc vnum sceleratissimum Caluini dogma deserere Caluinismum, sicut Castalio fecit; cum & Plato, homo Ethnicus, censuerit in Republicâ eum non esse ferendum, qui Deum peccati faceret auctorem.*

Atque,

Atque, vt illud addam de viâ quam Caluinismus aperit ad ipsa adyta atheorum, Godefridus à Valle, qui Lutetiæ anno 1572. publico ignis supplicio combustus est, in libello suo, quem scripsit De arte nihil credendi, testatum reliquit, eum, qui vellet atheus fieri, oportere priùs esse Caluinistam. Quod quàm verum sit, ostenderunt apertè ex Caluinistarum atheorumque in doctrinæ capitibus consensu Feuardentius lib. Theomachiæ, & Reginaldus in Caluino-Turcismo: denique P. Becanus in Titulis Caluinistarum, recenset quinque paradoxa atheistica recentiorum Caluinistarum, Titulo Orthodoxiæ. Vt verò hanc omnem disputationem semel exhauriam, non video quid hîc aliud à Caluinistis dici possit, quàm à Caluino alibi quoque negatum esse, *Deum vocari posse auctorem peccati*, lib. De æternâ Dei prædestinatione; id quod ego haud grauatè iis concedam. Sed ex eo reuerà facilè constabit inter omnes, quàm fuerit vafrum, quàm fraudulentum Caluini ingenium, qui non alio consilio id fecit, quàm vt rudibus tantò fraudis suæ securioribus occultiùs doctrinæ suæ venena instillaret: Ita enim negat Caluinus Deum auctorem esse peccati, quia Deus nimirum proxima seu immediata peccati caussa non est, nec peccatum ipse per se suis quasi manibus & membris operatur: licet alioqui Deus auctor & caussa principalis sit omnis peccati, peccatores excitans, adhortans, impellens ad peccatum. Insignem (si diis placet) distinctionem, quam adfert Caluinus lib. De æternâ Dei prædestinatione! *Nec verò obliuione*, ait, *tegenda est quam posui caussarum diuer-*

diuersitas, quòd alia est propinqua, alia autem remota caussa; vt sciamus quàm longè inter æquabilem Dei prouidentiam & turbulentos hominum impetus sit distantia. Deum autem remotam esse caussam, scribit cap. 14. aduersus Libertinos: *Magna est differentia inter opus Dei & opus impij, cùm eo Deus vice instrumenti vtitur*. Clariùs lib. 2. cap. 4. §. 5. *Longo discrimine semper distat in eodem opere id quod agit Dominus, ab eo quod agit satan, & impij moliuntur. Ille mala instrumenta, quæ sub manu habet, seruire iustitiæ suæ facit: hi prout mali sunt, nequitiam ingenij prauitate conceptam effectu pariunt*. Sunt igitur peccatores, ex Caluini sententiâ, caussæ solummodò instrumentales & propinquę; Deus verò caussa remota & primaria peccati: peccatores tantummodò ministri & executores; Deus verò peccati primus auctor, vt ipse disertè affirmat lib. 1. Institut. cap. 18. §. 1. in hæc verba: *Colligimus, eius probationis, cuius satan & scelesti latrones ministri fuerunt, Deum fuisse auctorem*. Atque hæc illa doctrina est, de quâ ita loquitur hoc ipso loco: *Quomodo Deus in opere communi ab omni culpâ sit immunis, ministros autem suos damnet, vix capit sensus carnis*. Nam quid miri, cùm nec capiat sensus spiritus? Mysterium enim est, vt ipse vocat libro De æternâ Dei prædestinatione: mysteriũ, de quo ita mysticè magnus mystes Zwinglius Sermone De prouidẽtiâ cap. 5. *Numen ipsum auctor est eius, quod nobis est iniustitia*. cap. 6. *Quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non etiam Deo*. ibidem infrà: *Vnum igitur atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est auctoris, motoris, impul-*

pulsoris opus, crimen non est; quantum autem hominis, crimen ac scelus est. Μυστικώτατα μυστήρια!

Decima Lessij Ratio, ex eo quòd hæreses antiquas renouent.

OMNIS *Religio vitanda, quæ continet hæreses olim ab Ecclesiâ Catholicâ damnatas, quæ semper pro hæresibus habita fuere. Atqui id faciunt noua ista. Ergo vitanda sunt.*

Minorem probat Lessius decem exemplis: ad quæ non aliter respondent ambo, quàm impudentissimè singula negando. Vnius tantùm alteriusque specimen adferam. Tu, Lector,

——— *crimine ab vno*

Disce omnes. ———

Vterque, Caluinus & Lutherus, *docet*, ait Lessius, *habenti fidem nihil obesse peccata, quantumlibet multa & magna; horum enim malitiam non imputari credenti. Quæ olim fuit hæresis Eunomianorũ, & Basilidis, & Harpocratis, teste Irenæo lib.* 1.*c.*23.*&* 24.

Responsio Meisneri.

Pag. 571. *Docemus, cum fide stare posse peccata inuoluntaria, parua, & venialia; sed non peccata crassa & voluntaria. Longè aliud docuit Eunomius, de quo August. lib. De hæres. cap.* 54. *Fertur bonis operibus vsque adeò inimicus, vt assereret, quòd nihil quidpiam obesset quorumlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorum, si huius, quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.*

Resu-

Refutatio.

Quis ferat hanc mendaciſſimi hominis audaciam? Nam Primò ſcribit in hæc verba Lutherus Tom. 1. Ienenſi, Epiſt. ad Philippum: *Si vera eſt gratia, verum non fictum peccatum ferto. Deus non facit ſaluos, fictos peccatores. Eſto peccator, & pecca fortiter; ſed fortiùs fide, & gaude in Chriſto. Sufficit quòd agnouimus Agnum qui tollit peccata mundi. Ab hoc non auellet nos peccatum, etiamſi millies millies vno die fornicemur aut occidamus.* Et Tom. 4. German. Wittenb. in cap. 17. Ioannis: *Nos ita dicimus, quòd veri & germani Sancti debeant eſſe fortibus & atrocibus peccatis obnoxij, ac tales etiam manere, quos non pudeat orare, Dimitte nobis debita noſtra.*

Quid igitur intereſt inter Eunomij hac in parte & Lutheri hæreſim? Et quâ fronte audet aſſeuerare Meiſnerus, doceri à ſuis, *non niſi parua peccata conſtare cum fide ſuâ?* niſi fortè hæ trabes, feſtucæ tantùm ſint in oculis iſtorum Polyphemorum.

Alterum ſpecimen. *Vterque*, ait Leſſius, *docet Deum eſſe impulſorem omnium ſcelerum, & omnia mala fieri ex vi decreti diuini. At olim fuit iſta hæreſis Simonis Magi, & Florini.*

Reſponſio vtriuſque.

Brandius pag. 157. *Non eſt verum, Proteſtantes illud docere.*

Meiſnerus pag. 569. *De Caluino hæc vera, de Luthero falſiſſima ſunt.*

Refutatio.

Primò, Eam eſſe Caluini doctrinam, fatetur hoc

loco Meisnerus. Secundò, Fatentur alij Lutherani, Zwingliani, Ministri Bernenses & Geneuenses, quorum verba à me allata sunt Ratione nonâ: quo etiam loco inter alia decem clarissima ipsius Caluini testimonia, hæc verba adscripsi ex lib. 1. Instit. cap. 18. § 1. *Et iam satis apertè ostendi, Deum vocari eorum auctorem, quæ isti Censores volunt otioso tantùm eius permissu contingere.* Tertiò, Eamdem item esse Lutheri doctrinam, constat ex Assertion. artic. 36. excusis Basileæ, & Wittenbergæ anno 1521. vbi in hanc sententiam scribit: *Et mala opera in impiis operatur Deus, vt Prouerb. 16. dicitur*, &c. Porrò, quia parcus admodum Lessius fuit in solis decem hæresibus numerandis, remitto Meisnerum & Brandiũ ad cap. vlt. libri primi De ortu & progressu hæreseon Florimundi Ræmundi, vbi plures longè à Luthero Caluinoque resuscitatæ hæreses recensentur.

Vndecima Ratio, ex defectu regulæ credendi.

LESSIVS: *Istæ nouæ Religiones nullam habent certam credendi regulam quam sequantur, Ergo non sunt admittendæ.*

Assumptio probatur Primò, *Quia neque Traditiones Ecclesiæ, neque Conciliorum Oecumenicorum auctoritatem, neque veterum Ecclesiæ Doctorum, & eorum qui ante nostras lites extiterunt, iudicium admittunt.*

Respon-

Responsio vtriusque ad probationem Assumptionis.

Meisnerus pag. 586. *Hinc minimè sequitur, nos omni penitus credendi regulâ destitui. Habemus enim firmiorem Propheticum sermonem, cui attendimus*, &c. 2. *Pet.* 1.

Brandius pag. 162. *Certè nullam esse aliam credendi regulam, quàm sacram Scripturam, iam antè satis superque audiuimus*, &c. *Nisi quòd alia scripta poßint haberi credendi regula, si cum sacrâ Scripturâ congruant.*

Refutatio.

Sola Scriptura, inquit Lessius, *pro fidei normâ non sufficit.* Addo contra Brandium Caluinistam: Caluinistæ parem auctoritatem tribuunt Catechismo Heidelbergensi & Scripturæ. Ita Vorstius Caluinista pleniore Resp. ad postremam Admon. pag. 17. *Multi ex nostris nullum planè discrimen inter Catechismum & ipsum Dei verbum ampliùs agnoscunt.* Pag. 20. *Non desunt qui idolum ex Catechismo faciant.* Alij æqualem cum Scripturâ auctoritatem tribuũt Confessioni Belgicæ & Catechismo. Ita Iacobus Arminius Caluinista in Responsione ad 31. articulos, pag. 310. Hic enim quotiescumque probare voluit, articulos suos non esse hæreticos, qui vt hæretici sibi obiiciebantur, hoc solo argumento apud Ordines perpetuò vsus est: *Nihil continent articuli mei contrarium Scripturæ, Catechismo, & Confessioni.* vide pag. 154. & 160. Alij denique Caluinistæ, reiecto omni verbo Dei, solam credendorum omnium normam fecere Cate-

chismum & Confessionem. Ita Adolphus Venator Minister Alcmariensis, Tractatu De præcipuis doctrinæ controuersiis, pag. 174. *Vera, optima, certissima, & perfectissima norma totius fidei Christianæ est Confessio Belgica & Catechismus Heidelbergensis.* qui articulus adfertur vt aliorum Caluinistarum. & pag. seq. *Ex verbo Dei non potest pura doctrina clarè intelligi, sed solùm ex Confessione & Catechismo.*

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 591. *At verò hoc fine Scriptura data est Ecclesiæ, vt ex eâ veritas infallibiliter cognosceretur, & homines ad salutem perfectè instruerentur,* &c. *Quidquid enim primùm viuâ voce prædicatum, illud posteà in Sacras litteras est relatum. Exodi* 24. *v.* 3. 4. *Actor.* 1. *v.* 1. 2. 1. *Ioannis* 1. *v.* 3. 4. 5. *Quod Euangelium Apostoli præconiauerunt, illud posteà per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt,* &c. *ait Irenæus lib.* 3. *c.* 1.

Brandius pag. 163. *Hoc aduersatur ipsi Paulo* 2. *Timoth.* 3. *dicenti, Scripturam diuinitus inspiratam vtilem esse ad docendum, conuincendum, corrigendum, erudiendum in iustitiâ,* &c.

Refutatio.

Primò, Manca est vtraque vtriusque ratiocinatio. Prima, Scriptura data est Ecclesiæ ad cognoscendam veritatem infallibiliter, & vtilis est ad docendum, &c. Ergo Scriptura sola est sufficiens regula omnium credendorũ. Brandius Brentio & Kemnitio hoc sophisma sublegit, & refutatum apud Bellarminum lib. 4. De verbo Dei, cap. 10. & à P. Becano, Titulo primo Caluinistarum; cuius

face-

facetam solutionem appendo: *Ex hoc loco 2. ad Timoth. 3. dupliciter argumentantur Euangelici. Alij sic: Omnis Scriptura vtilis est ad docendum,* &c. *Ergo superuacua sunt Traditiones. Perinde ac si dicas, Omnis cibus est vtilis ad nutriendum; Ergo superuacaneus est potus. Alij sic: Omnis Scriptura est vtilis, id est sufficiens; Ergo superuacua sunt Traditiones. Ac si dicas: Prima ad Timoth. 4. Pietas ad omnia vtilis est, id est sufficiens; Ergo Sacramenta, conciones, pœnitentia, ceteraque omnia superuacanea sunt.* Secunda item manca est: Scriptura data est vt homines perfectè ad salutem ducat; Ergo sola sufficit, vt sit regula fidei: quia etiam Traditiones non scriptæ, ipsius Scripturæ auctoritate credendæ nobis afferuntur 2. ad Thessal. 2. *Tenete Traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam.*

Secundò, Falsum omnino est, relata esse in Sacras litteras omnia quæ viuâ voce aliquando fuere prædicata. Ioannis cap. vlt. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.* In quem locum S. Augustinus Tractat. 49. in Ioannem ait, *multa Christum & dixisse & fecisse quæ scripta non sunt.*

Tertiò, Etiamsi omnia fuissent in Scripturam relata, quia tamen multa de libris veteris Scripturæ interiêre, verbi gratiâ, *tria millia Parabolæ Salomonis, & quinque millia carmina*, de quibus 3. Reg. 4. & de nouâ item Pauli ad Laodicenses Epistolâ, cuius ipse Paulus meminit vlt. cap. ad Coloss. non possumus certò scire sintne omnia etiamnum in reliquâ Scripturâ, quæ fuêre in vniuersâ.

Quartò, Falsò allegantur Scripturæ testimonia, cùm eorum nullo dicatur, scripta fuisse omnia quæ fuêre prædicata.

Quintò, Irenæi auctoritas, vt Bellarminus ostendit lib. 4. De verbo Dei cap. 11. non probat, omnia omnino scripta esse, quæ fuêre prædicata.

Rationes Lessij, cur Scriptura sola non sit sufficiens regula omnium credendorum.

Prima Ratio.

QVIA *per Scripturam non possumus iudicare de ipsamet Scripturâ. Ex Scripturâ enim constare non potest, hunc librum esse veram Scripturam, hanc, vel illam sententiam non esse peruersam, non esse incertam; denique, nihil esse additum vel detractum quod ad doctrinæ substantiam pertineat.*

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 594. *Dicimus, ex internis* κριτηρίοις *certè concludi & demonstrari posse, libros Canonicos non hominem, sed ipsum potiùs Deum auctorem habere.* Adfert autem κριτήρια primùm tria, mox alia vndecim, quæ in refutatione censebuntur.

Brandius pag. 163. *Certè ipsa sacra Scriptura, & vnaquæque eius pars habet in se varia diuinæ originis vestigia & signacula,* &c. *quibus hominum piorum ac religiosorum animos inuocat & alloquitur, ac si diceret, Ego sum sacra Scriptura. Sed hunc terræ Chanaan sermonem non intelligunt profani ac peregrini illi Esauitæ, Iebusitæ, & id genus alij.*

Re-

Refutatio.

Primò, At quæ, malùm, sunt illa interna κριτήρια? quis ille arcanus sermo terræ Chanaan, quem non audierint, non intellexerint tot antiqui Patres, tot Orthodoxi Doctores? omnes nempe Iebusitæ, & Esauitæ, Batauaque ante prædití ante asininas auriculas Lutheri & Caluini? Nullus enim Patrum de Scripturæ auctoritate vmquam ex internis κριτηρίοις iudicauit, sed ex solâ Traditione.

Concilium Tridentinum Sess. 4. eosdem libros pro Canonicis censuit, quos Canonicos esse iudicauerat Concilium Florentinum, centum ampliùs annos anteriùs. Iterùm eosdem Canonicos esse didicerat Florentinum Concilium à Gelasio Papâ in Concilio Romano, cap. *Sancta Romana*, Distinct. 18. Rursum Gelasius ita statuerat ex traditione Augustini lib. 2. De Christianâ doctrinâ, cap. 8. Augustinus ita retrò acceperat à Concilio Carthaginensi III. quod alij Quartum, alij Sextum vocant. Carthaginense Concilium denique ab Innocentio I. Epist. 3. ad Exuperant. qui Innocentius vixit anno post Christum 402. Ex quo tempore inter Catholicos creditum est, eos omnes Scripturæ libros esse Canonicos, qui hodieque pro Catholicis censentur.

Secundò, Quo interni Spiritus sermone intelligit Lutherus, Iacobi Epistolam esse *stramineam*, Ioannis Apocalypsim *dubiæ esse auctoritatis*, Epistolam ad Hebræos *non esse Apostolicam?* Quas omnes interno quoque κριτηρίῳ Caluinus iudicauit esse merum verbum Dei.

Tertiò, Quo interno κριτηρίῳ Lutherus in Con-

uiuial.tit. De Patriarchis & Prophetis, ſcribit, *ſe non credere omnia ita eſſe geſta, vt narrantur in libro Iob?* Et tit. De libris veteris & noui Teſtamenti, *librum Iob eſſe veluti fabulæ argumentum? Auctorem Libri qui Eccleſiaſtes dicitur, ſibi videri ocreis & calcaribus deſtitutum, equitare tantùm in ſoccis, quemadmodum ipſe ſoleret, cùm adhuc eſſet in cœnobio? Odiſſe ſe librum Eſther, & cupere non extare. Librum Tobiæ eſſe poëma in quo de mulieribus agitur; multa in hoc libro ſtulta & ridicula contineri. Librum Iudith non eſſe Hiſtoriam, ſed figmentum compoſitum ad imitationem Virgilianæ Æneidos, & Homericæ Iliados. Eccleſiaſticum eſſe concionatorem Legalem & Iuriſtam, non Prophetam, & nihil docere de Chriſto; eſſe librum ſicut Thalmud ex variis libris collectum. Libros Regum præcedere centum & mille cubitos ſcripta Paralipomenon.* Quo, inquam, κειτηρίῳ? An κριτηρίῳ interno magiſtri ſui, qui ſecum diſputauit de Miſſâ? an genij illius nocturni, quem Zwinglius neſciuit albúſne eſſet an ater?

Quartò, An non vera ſunt de hiſce à Luthero reiectis Scripturæ libris tria hæc Meiſneri κειτήεια? *Primò, contineri in ijs vaticinia de rebus poſt multa ſæcula euenturis, quæ reipſâ iam euenerunt? Secundò, miraculis eorum doctrinam eſſe confirmatam? Tertiò, eorum prædicatione diuinos planè motus in hominum animis fuiſſe excitatos?* An non vera item cetera Meiſneri encomia, *apparere in ijs Dei loquentis maieſtatem, myſteriorum diuinitatem, viſionum diuinarum admirandam varietatem, præceptorum ſanctitatem, ſtyli ſingularitatem, doctrinæ antiquitatem, mundi recipientis auctoritatem?* &c.

Quintò, Brentius in Prolegomenis, & Kemnitius

tius in Exam. Concilij Tridentini fatentur, hanc Traditionem vnicam esse recipiendam, *Scripturam esse verbum Dei; neque aliter etiam constare posse qui libri sint Scriptura sacra vel non.* Ita verò docent apud Eusebium lib.6. Serapion, cap. 10. Clemens Alexandrin. cap. 11. & Origenes cap. 18. *sine Traditione constare non posse quæ sint Epistolæ Petri, quæ & quot sint Euangelia, nec plura esse quàm quatuor.* Augustinus verò disertè lib. 28. contra Faustum cap. 2. *Sicut ego credo illum librũ esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per discipulos eius certâ successione præpositorum vestrorum ad nostra vsque tempora custoditus atque perductus est; sic & tu istum librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interruptâ serie temporum, Ecclesia certâ connexionis successione vsque ad tẽpora ista perduxit.* Vnde apparet, sanctos Patres de Scripturâ iudicasse non ex internis illis κριτηρίοις, sed ex Traditione.

Sextò, Insufficientia sunt hæc κριτήρια ad asserendam Scripturam. Nam Primò, vt faciamus Scripturam, tamquam nocturnã Ægeriam quamdam, nouis istis Pompilijs Protestantibus ita clarè de se in aurem loqui, *Ego sum sacra Scriptura:* at quæ, obsecro, est illa Nympha, quæ ijs in aurem insusurrat, *Iacobi Epistola non est Scriptura?* Quæ Sertorij cerua, *Epistola ad Hebræos non est Scriptura?* Quæ Mahumetis columba, *Apocalypsis dubiæ est auctoritatis?* Quis verò contraria omnia immurmurat in aurem Caluino, *Hæc omnia sunt Scriptura?* An Scriptura iam vno ex ore calidum simul efflat & frigidum? Et aliud Caluinó, aliud fabulatur Luthero?

Secundò, Vnde constare potest, Scripturæ vaticinia impleta esse, nisi iterùm ex ipsâ Scripturâ? Si igitur Scriptutam quis in dubium vocet, non magis credet vaticinia fuisse impleta, quàm fuisse prænuntiata.

Tertiò, Vnde sciet item quis, ea Scripturæ miracula esse vera, nisi ex Scripturâ? Si igitur Scripturam quis reiiciat, nec miraculis eius credet. Quod addit Meisnerus pag. 596. *Negari ista non posse, quia profanæ quoque Historiæ eorum faciant mentionem*; Primò est Scripturæ auctoritatem postponere Historiæ profanæ; Secundò est ab interno κειτηρίῳ recurrere ad testimonium externum.

Quartò, In Apocryphis quibusdam scriptis extant subinde quædam vera vaticinia & miracula iam reipsâ impleta, aut certè extare possent; possent item ciere pios animorum motus: non tamen inde sequeretur, ea scripta esse Scripturas. Denique si ex internis κειτηρίοις iudicanda est Scriptura; non ergo Scriptura deinceps erit iudex controuersiarum, sed κειτήεια illa interna ius dicent pro tribunali, depulsâ Scripturâ.

Secunda Lessij Ratio.

Quia cùm Scripturæ vis non consistat in sono verborum, sed in sensu, qui est vita & anima Scripturæ, possunt esse mille controuersiæ de sensu, quæ ex Scripturâ, semotâ Traditione & expositione Patrum, decidi non possunt.

Responsio Meisneri.

Pag. 597. *Contumeliosum hoc est in Deum, qui Scripturam eo fine dedit, vt voluntas eius ex eâ à nobis*

nobis perſpicuè cognoſceretur, &c. *Non adeò obſcurum eſt Dei verbum, vt à nobis intelligi nequeat*, &c. *Sin autem quæras, vnde verum Scripturæ ſenſum habeamus; Reſpondeo, nequaquam ex noſtro iudicio, ſed ex clarâ literâ*, &c. *ex ipſis perſpicuis Scripturæ verbis, quæ veri ſenſus infallibilia ſigna ſunt.*

Deinde adfert Meiſnerus clara nonnulla varijs è libris Scripturæ dicta, quæ ſine Doctore facilè capi poſſint.

Refutatio.

Primò, Si in Deum contumelioſum eſt, Scripturam intelligi non poſſe ſemotâ Traditione; etiam contumelioſum eſt, Scripturam intelligi non poſſe ſine priuato illo ſpiritu: quia etſi priuatus ille Spiritus Proteſtantibus ſit Spiritus ipſe ſanctus, Catholicis etiam Traditio eſt verbum Dei.

Secundò, Quædam Deus obſcurioribus parabolarum nebulis inuoluit, ad comparandam ipſi Scripturæ auctoritatem, vt ne ſine Doctore intelligeretur. Ita Dauid, qui vniuerſam ſui temporis Scripturam nouerat, orat tamen Pſal. 118. *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de Lege tuâ.* Ita Deus ipſis diſcipulis *interpretatus eſt Scripturas*, Luc. vlt. cap. Et Philippo interroganti Act. 8. *Putas, intelligis quæ legis*? reſpondit Eunuchus: *Et quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?*

Tertiò, Non alio vtar quàm Lutheri teſtimonio, quod Meiſnero eſſe debet grauiſſimum. Ita ſcribit Lutherus Præfat. in Pſalmos: *Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri, vnum Scripturæ librum à ſe in omnibus partibus intellectum. Id quod quàm verum ſit, facile eſſet ſexcentis etiam Scriptura-*

pturæ-

pturarum obscurissimarum exemplis demonstrare?

Quartò, Quomodo verus sensus Scripturæ semper accersitur ex clarâ literâ, cùm litera seu sensus litteralis sæpè sit obscurissimus?

Quintò, Quomodo sensus ex literâ? cùm pagin. 597. scribat, *ex internis κειμένοις apparere, nihil Scriptura additum, nihil detractum.* Estne litera, quam hîc vocat, *signum sensus*, internum κειμένον?

Tertia Lessij Ratio.

Quia Scriptura contrariis dogmatibus & Religionibus æquè potest accommodari, &c. *Lutherani enim dicunt se Scripturâ niti, similiter Caluinistæ, tantumdem & Anabaptistæ.*

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 606. *Nos cum sanctis & Orthodoxis Patribus respondemus, Scripturam manere claram, & sufficientem fidei normam, etiamsi eâ hæretici abutantur. In litibus publicis allegantur Leges vtrimque, & tamē norma iudicij non est alia quàm Lex scripta,* &c. *Denique miramur, cur Pontificij sua ex Scripturis dogmata demonstrare non desinant, si omnis illa regula non sit idonea, quæ ab alijs aliter accommodatur,* &c. *Distinguant igitur inter veram & apparentem Scripturæ accommodationē. Illa solis Orthodoxis est propria, hæc verò hæreticis communis, quorum fraus ex diligenti textus consideratione facilè fiet obuia.*

Brandius pag. 167. *Sacra Scriptura contrariis dogmatibus & Religionibus non æquali iure accommodatur (etsi æquali facto:) ipsa enim se à violentis sui vsurpatoribus vendicat.*

Re-

Refutatio.

Primò, Nullus Patrum solam Scripturam fecit sufficientem credendi normam, eâque re non vnus Patrum à Meisnero testis laudari etiam potuit.

Secundò, Manifestus stupor est Meisneri, affirmantis solam Legem scriptam esse iudicij normam, quando eadem aliqua Lex allegatur à partibus aduersis: tum enim, nisi Iudex Legem pro alterâ parte interpretaretur, numquam cessaret controuersia. Adeoque ipsemet infrà pag. 610. huic suo stupori contradicit in hæc verba: *In foro qui litigant, non possunt pro se solas allegare Leges, sed necesse est vt vtraque pars vnum eligat iudicem.* Quomodo igitur hîc ait, solam Legem scriptam esse iudicij normam?

Tertiò, Nihil mirum, obiici à Catholicis Scripturam, etiamsi credant eam solam non sufficere pro normâ omnium credendorum; quia docent eam saltem sufficere in multis, cùm nempe & omnino clara est, & ab omnibus eodem modo explicatur. Cur verò tum eâ non vterentur? Deinde Scripturæ coniungunt consensum interpretum sanctorum. Cur eam abiicerent?

Quartò, Hoc ipsum in quæstione est, quomodo ex solâ Scripturâ constare possit, verè & non apparenter eam à diuersis ad contraria dogmata accommodari: quomodo se ipsa vindicet à violentis vsurpatoribus: quomodo id pateat ex diligenti consideratione ipsius textus; cùm vociferentur omnes, se textum

Nocturnâ versasse manu, versasse diurnâ.

Quar-

Quarta Lesſij Ratio.

Quia Scriptura (ſepoſitâ Eccleſiæ & Patrum expoſitione) ſemper ita fert ſententiam, vt non poſſit liquidò vtrique parti conſtare, vtri parti faueat. Atqui index, qui ita ſemper ferret ſententiam, vt neutri parti conſtaret, vtri litem adiudicaret, omnium iudicio eſſet iudex inidoneus. Ergo ridiculum eſt, ſolam Scripturam conſtituere iudicem.

Reſponſio Meiſneri.

Pag. 608. *Antecedens fallit. Sic enim perſpicuè loquitur Scriptura in articulis fidei, vt heterodoxis liquidò conſtet, vel certè conſtare poſſit, ſe eſſe damnatos.* Pag. 609. *Aut ergo loquitur* [Leſsius] *de notitiâ iudicij, aut de ſilentio iudicatorum. Notitiam quod attinet, ſciunt ſua dogmata à noſtratibus ex Scripturis eſſe diiudicata. Si dicant ſe noſtros non agnoſcere iudices; ſtatim retorqueo, neque nos Pontificem agnoſcere iudicem,* &c. *Vnde apparet, numquam in hoc mundo ſic hæreſes diiudicari, vt hæretici ad ſilentium adigantur.*

Refutatio.

At Primò, Negant id ſibi conſtare omnes heterodoxi, quibus in hac parte credendum eſt. Neque enim poteſt Meiſnero conſtare, an Caluiniſtæ & Anabaptiſtæ iudicent verè ſe damnatos allatis contra ſe à Lutherano quopiam Scripturæ teſtimoniis, niſi priuato ſuo ſpiritu id etiam odorentur. Deinde, Idem affirmant Caluiniſtæ de Lutheranis, idem Anabaptiſtæ de vtriſque. Ecquis igitur tandem erit controuerſiæ finis, clamantibus

bus singulis, aduersarios suos scire se esse conuictos & damnatos? Denique quod dicit, eo se iure non agnoscere Pontificem iudicem, quo iure Catholici reiiciunt iudicium Lutheranorum; eodem iure facit, ac si fures dicerent, se nec iudicari nec suspendi velle à Magistratu.

Quinta Lessij ratio, à simili.

Qui Scripturam solam iudicem faciunt, eo ipso indicant, se nullum iudicem admittere præter iudicium suum priuatum. Perinde enim faciunt, atque si Titius & Caius litem ciuilem habentes, nollent alium iudicem quàm Codicem Iustiniani cum Pandectis, sepositâ Doctorum interpretatione: & Titius pro suo iure productâ vnâ aliquâ Lege, affirmaret per eam manifestè caussam sibi adiudicari; Caius verò negaret: similiter, Caius allegatâ Lege, diceret clarum esse eam Legem sibi fauere, Titius verò negaret; & ita ambo caussâ indecisâ discederent. Nónne res esset ridicula, omnesque dicerent, neutrum admittere alium iudicem quàm iudicium proprium?

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 610. *Similitudo Lessiana planè inepta est, cùm longè alia sit ratio iudicis Politici, & alia Ecclesiastici. In foro qui litigant, non possunt pro se solas Leges allegare, sed necesse est vt vtraque pars vnum eligat iudicem, cuius sententiam velint amplecti, & non ampliùs prouocare. Si qui ergo immorigeri sunt, hi à Magistratu coguntur vt acquiescant. In Ecclesiâ verò talis decisio coactiua non habet locum, sed datur tantùm discretiua. Vnde fit, vt licet Doctores Orthodoxi veritatem ex Scripturis*

apertè

apertè demonstrent, reliqui tamen iudicium illud recipere nolint.

Brandius pag. 167. *Multò alia hîc est ratio, quàm in Iurisprudentiâ aut aliâ facultate humanitus dictatâ.*

Refutatio.

Longè ineptissima est Meisneri solutio: quia vt faciamus ita esse, statuamusque in Ecclesiastico foro solam esse potestatem discretiuam (quod falsissimum est) valet nihilominùs æquè Argumentum Lessij à similitudine fori Politici ductum. Quemadmodum enim in foro Politico ex solis Legibus scriptis discerni non potest, quæ pars æquum postulet, quæ iniquum; ita nec in foro Ecclesiastico discerni potest ex solâ Scripturâ, quæ pars verum, quæ falsum dicat. Igitur quemadmodum iure rideretur is, qui ex solâ Lege scriptâ, sine alio iudice, vellet iudicium postulare; ita meritò quoque rideretur, qui ex solâ Scripturâ, sine alio iudice, vellet de fide controuersias decidi. Apparet igitur, hanc Meisneri distinctionem (præterquam quòd falsa sit) nec in loco nec in tempore esse allatam. Nam qualis, oro, est hæc ratiocinatio: In foro Ecclesiastico cogi non possunt sicut in foro Politico qui iudici non acquiescunt; Igitur non faciunt ridiculè, qui talem iudicem statuunt in rebus fidei, qui neutri parti apertè adiudicet vel abiudicet litem? Hoc enim agebatur.

Denique quæ sit illa diuersa ratio inter fidei & Iurisprudentiæ iudicia, non indicat Brandius, quare nec responsum aliud auferet.

Sexta

Sexta Lesſij Ratio, ab experientiâ.

Quàm non ſufficiat iſta credendi regula, indicat ipſa experientia. Nam videmus, nullum apud eos eſſe finem controuerſiarum, etiam de grauiſſimis fidei capitibus. Diſſentiũt enim Lutherani, Caluiniſtæ, & Anabaptiſtæ. Diſſentiunt ipſi Lutherani tum inter ſe, tum à Luthero; adeò vt hoc tempore numerentur tredecim præcipuæ Lutheranorum ſectæ, &c. Diſſentiunt inter ſe Caluiniſtæ maximè in articulo De capite Eccleſiæ, &c. Diſſentiunt inter ſe Anabaptiſtæ, ita vt quatuor eorum diuerſæ ſectæ numerentur, nominibus & dogmatibus diſtinctæ.

Reſponſio Meiſneri.

Pag. 612. *Imaginatur ſibi Ieſuita, controuerſias coactiue terminãdas eſſe, vt nulli ſuperſint diſſentientes. Deinde lubenter audirem, quæ ſunt illæ tredecim ſectæ.*

Nobis Lutheranus non eſt, niſi qui Auguſtanæ Cõfeſſioni illi inuariatæ, quæ anno 1530. *Carolo V. exhibita, & in Formulâ Concordiæ repetita & explicata eſt, ſincero animo ſubſcribit. Quæ cùm in ſe ſit vna, nullæ inter nos ſunt ſectæ.*

Refutatio.

Primò, Nihil tale ſibi Leſſius imaginatur, neque etiam imaginari habuit opus: quia ne quidem diſcerni poteſt ex ſolâ Scripturâ, à quorum parte veritas, à quorum ſtet falſitas, priuſquam ad coactionem veniatur.

Secundò, Tredecim illæ ſectæ cenſentur hiſce

nominibus apud Iudocum Coccium lib. 8. De ſignis Eccleſiæ: 1. Antinomi: 2. Oſiandrini: 3. Stanckariani: 4. Maioriſtæ: 5. Amsdorfiani: 6. Synergiſtæ: 7. Flacciani: 8. Adiaphoriſtæ: 9. Subſtantiarij: 10. Accidentarij: 11. Pfeffingeri: 12. Muſculani: 13. Vbiquiſtæ. Vt verò etiam liberalis ſim, addam præterea ex Hiſtoriâ Florimundi Ræmundi, qui ad ducenta ferè ſcribit adnotata à Pantaleone, Funccio, & Lauatero, hæreſis nata poſt Lutherum monſtra.

Sunt *Lutherani Rigidi*, ſeu *Stoici*, quorum principes Matthias Flaccius Illyricus, Nicolaus Gallus, Merlinus, Amsdorffius, per Saxoniam ſparſi, Magdeburgi, Brunſwici, & Lubekæ.

Lutherani Molles, ſparſi per Miſniam & Franconiam, Norimbergæ, Vlmæ, &c.

Interimiſtæ duplicis generis, duobus ferè ante Lutheri mortem annis nati.

Adamitæ, Adamo Paſtore duce renati denuò poſt S. Athanaſij tempora primùm ſub Ziſcâ, deinde anno 1535. in Hollandiâ. Horum ſe conuenticula Kemnitius quoque Antuerpiæ vidiſſe memorat anno 1581. tempore rebellionis. Nudi conueniunt. Abi pudor! Scribit Alanus Dialogo 6. ex his puellam quamdam inueſtem prodiiſſe in publicum, reſpondiſſeque (cùm veſtis offerretur tegendo pudori) non aliâ ſe veſte vti velle, atque eâ quam acceperat à ſponſo ſuo Chriſto.

Orebitæ, qui æternam Chriſti filiationem negant, & Moyſis reditum expectant.

Sabbatarij, qui Dominici diei loco Sabbatum colunt; quòd huius in Scripturâ ſit mentio, nulla verò illius.

Clan-

Clancularij, qui docent, fidem corde non ore esse profitendam.

Dauidistæ, anno 1544. in Frisiâ nati, auctore Dauide Georgio Hollando, histrionis filio.

Mennonistæ, patre Mennone orti, quem sibi notum fuisse Lindanus scribit, docuerunt, Christum non esse Filium Dei.

Tritheistæ, propagatore Georgio Paulo in Lithuaniâ & Poloniâ, qui Symbolum Athanasij vocabant *Satanasij*.

Antitrinitarij, auctore Serueto, per Poloniam, Morauiam, Lithuaniam dissipati.

Antimariani, à Steinbergero Melanchthonis discipulo in Morauiâ suscitati.

Infernales, qui infernum non aliud esse docebant, quàm sepulchrum, & huc tantùm descendisse Christum.

Boquiniani deinde, à Boquino dicti, qui docebat, Christum passum non pro improbis, sed pro solis fidelibus mortuum.

Hutistæ, à quodam Ioanne Hut. Hi quotidie extremum iudicij diem fore credunt, vt Iudæi quotidie expectant suum Messiam.

Inuisibiles, ita dicti quòd assererent Ecclesiam esse inuisibilem.

Quintinistæ, à Quintino quodam Picardo sartore, qui Libertinorum primus fuit auctor.

Amoris familia, ab Henrico Nicolai Hollando instituta, mox per Angliam propagata.

Effrontes, dicti quòd frontem ad sanguinis vsque fluxum radant, ac tum oleo vngant, credentes ita se baptizari, vt testatur Erasmus.

Valentinistæ, à Valentino Gentili dicti, qui ne-

negant tres eſſe in eſſentiâ perſonas, &c.

Hofmanniſtæ, qui docent, hominem in gratiā receptū, & ſuâ culpâ in peccatum relapſum, ſaluari nō poſſe: à quodā Melchiore Hofmāno appellati.

Fraticelli, aliàs, *Ieſu Chriſti Infantes*, qui brutorum more, extinctis luminibus, corpora nullo diſcrimine miſcent.

Semilutherani, Antilutherani, Luthero-Oſiandrini, Luthero-Zvvingliani, Luthero-Caluiniani, Luthero-Papiſtæ, Mansfeldiani, Heshuſiani, Lipſenſes.

Svvenckfeldiani, dicti à Gaſpare Swenckfeld, quem Lutherus Stinckfeld ſolebat ioco appellare, omnem Scripturæ auctoritatem abrogabant.

Spirituales, ſolâ meditatione dicebant eſſe opus ad ſalutem, reiicientes omnia Sacramenta.

Anabaptiſtæ, ex Luthero item varij. *Puri*, nempe qui ſe peccato carere credunt. *Impuri*, qui polygamiâ vtuntur. *Tacentes, Separati, Precantes, Rapti, Liberi*, aliíque id genus; vt non iniuriâ admirabundus rogauerit Lutherus: *Quid hoc eſſe dicam? Vix vnum os diaboli obturo, & ecce decem ille alia aperit!*

Tertiò, Si nullus Lutheranus eſt, niſi qui ſubſcribit Auguſtanæ Confeſſioni exhibitæ Carolo V. anno 1530. igitur Lutherus ipſe non fuit Lutheranus. Nam Lutherus, præterquam quòd pluribus locis ſuprà citatis oſtenſus ſit aliter ſenſiſſe, quàm Confeſſio illa prima Auguſtana; ſolo libro De libertate Chriſtianâ ſcribit has ſex propoſitiones, omnino repugnantes articul. 6. Confeſſionis primæ Auguſtanæ. Prima eſt, *Fides ſola eſt ſalutaris & efficax vſus verbi.* Secunda, *Verbum Dei nullis operibus, ſed ſolâ fide ſuſcipi, & coli poteſt.*

Ter-

Tertia, *Fides est breuis & consummata plenitudo legis*. Quarta, *Sola fides sine operibus iustificat, liberat, & saluat*. Quinta, *Sola fides sufficit ad salutem*. Sexta, *Nulla res tam mala, quæ non in bonum mihi cooperetur, si modò credidero*. Nec Philippus Melanchthon Lutheranus fuerit, qui, Musculo teste, primam illam Augustanam Confessionem duodecies refabricauit. Nec vllus ferè iam supererit Lutheranus; quia vix vllus iam sequitur primam illam Confessionem Augustanam. Adeoque Fridericus Staphylus in Trimembri Epitome Theologiæ Lutheranicæ Wormatiæ durante Colloquio exhibitâ, inter solos Confessionistas numerat omnino sectas viginti, triúm factionum nomine dimicantes, *Rigidorum, Mollium*, & *Recalcitrantium*.

Brandij responsio.

Pag. 167. *Aio, Protestantes inter se nihil dissentire in ijs quæ ad fidei & Religionis fundamenta pertinent. Quæ Lessius producit, non sunt fundamentalia*, &c. *Anabaptistas non moramur*.

Refutatio.

Quàm inter se fraterculi illi Protestantes soleant ἀδελφίζειν & Doricè concinere, domesticis tantùm Protestantium testibus comprobabo, etiamsi id abundè præstitum sit ab Andreâ Iurgiewicio, in Bello quinti Euangelij, quod ille eruditissimè descripsit aduersus laruatam Harmoniam Geneuensem, & Consensum Sendomiriensem.

Itaque Stanckarus in Opusculis Cracouiæ editis anno 1562. Præfat. lib. De Trinitate: *Tigurini & Geneuenses Arrianam, Eutychianam, Apollinista-*

 rum,

rum, Timotheianorum, Acephalorũ, Theodosianorum, Gaianitarum, & Macarianorum hæreses pro fide Catholicâ ad vos [Poloni] *miserunt.* Infrà verò ad Stanislaum Stadnitski: *Verùm quoniam Tigurini & Geneuenses, cùm sint publici & manifesti hæretici, & non semel scriptis & epistolis suis seduxerunt Polonos tuos.*

Idem in Epilogo lib. de Trinit. & Incarnatione ita scribit de Melanchthone: *Sed quis fœdam & hæreticam illius Antichristi Septemtrionis recensere doctrinam possit? Non enim in his tantùm articulis, de Trinitate, & Mediatore; sed & de Sacramentis, & alijs quoque, impiissimè scripsit.*

Ibidem de Caluino: *Caue, Lector Christiane, & maximè vos Ministri omnes verbi Dei à libris Ioannis Caluini cauete, & præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento Baptismatis, de Præscientiâ, & Prædestinatione; quia falsam & prauam doctrinam habent.*

Tigurini Tract. 3, contra vltimam Confessionem Lutheri, edito anno 1545. *Lutherus præpotenti Deo, & omni eius honori renuntiauit, dum nos condemnatam & execrabilem vocat sectam. At ipsius videat, ne hac iracundâ & impiâ oratione suâ seipsum condemnet, hæresiarchamque se declaret.*

Ioannes Pappus Lutheranus in Responsione ad Antipappum Sturmij: *Hi ipsi errores, quos in Ecclesiarum* [Zwinglianarum & Caluinianarum] *Doctoribus reprehendimus, non ita leues sunt, quàm ipsi toti mundo persuadere conantur,* &c. *Errorem suum pertinaciter propugnando eò progressi sunt, vt non paucos neque postremos doctrinæ Christianæ articulos in dubium vocarint.*

Con-

Conrardus Schlusselburgius in Præfat. Apologiæ pro defensione libri Concordiæ: *Caluinistæ, & ipsorum patroni, existimant nos cum ipsis de rebus leuiculis disceptare: sed D. Lutherus, & nostrarum Ecclesiarum Doctores testantur, certamen hoc esse de fundamento; & res ipsa hoc loquitur*, &c. *Imò ipsimet Sacramentarij interdum fateri coguntur, hanc disputationem pertinere ad fundamentum. Sic enim Cureus in Exegesi Sacramentariâ pag.* 91. *scribit: Verè controuersia est de fundamento; videlicet de duobus articulis fidei, Primò, de Articulo qui docet in Christo vnitas esse duas naturas; Secundò, de articulo, Ascendit in cælum.*

Osiander in Confutatione Philippi scribit, *de solâ iustificatione secundùm Scripturas versari viginti diuersissimas sentẽtias inter solos Confessionistas.*

Ioannes Wigandus lib. De erroribus Georgij Maioris: *Non sunt lana, neque linũ, de quibus hic disceptatur; sed de grauissimis Christianæ fidei capitibus.*

Nicolaus Gallus in Thesibus & hypothesibus: *Sunt inter nos non de leuibus rebus dissensiones, sed de Lege & Euangelio, de iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu cærimoniarum.*

Iacobus Andreę lib. De maiestate hominis Christi: *Nõ ampliùs aut certè parũ de verbis Cœnæ litigatur, sed his ipsis fidei articulis, qui sunt de incarnatione Verbi, & sessione Christi hominis ad dexteram Dei.*

Nicolaus Selneckerus ad Psal. 131. *De publicâ discordiâ in Ecclesiâ* [Lutheranâ] *non est quòd interroges. Loquor autem non de eâ discordiâ, quæ nobis necessariò de fidei doctrinâ cum Papistis atque alijs hæreticis intercedit, sed de eâ quæ inter nos ipsos est, qui puram habere nos Euangelij doctrinam gloriamur.*

mur. Mota enim sunt certamina atque rixæ de rebus adiaphoris, de bonis operibus, de iustitiâ coram Deo, de libero arbitrio, de præsentiâ & participatione Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ, de humanitate Christi, de eius ascensione, de sessione ad dexteram Dei, de vbiquitate, deque rebus aliis; vbi rixandi atque contendendi neque finis est, neque vllus modus. Quæ omnia testimonia lubet concludere faceto carmine apud Iurgiewicium Bello Euangelico præfixo:

Ridiculum! Quid? Amicitias & fœdus inisse
Quinti Euangelij fert vaga fama greges.
Imò Gebennenses, Caluinica Lerna, Ministri
Famam putidulis hanc aluêre strophis.
Verba dabant rudibus, secum sentire Lutheri
Agmina; litigij iam superesse nihil.
Quin etiam scriptis hæc vulgauêre libellis,
Atque recompositâ nequiter Harmoniâ.
Harmoniam ingeminãt: verùm est symphonia discors,
Ac fide dispari luditur vna Fides.
Harmoniâ genitæ memorantur Amazones olim,
Pugna quibus cordi seditioque fuit:
Harmoniam Venus ac Mauors genuisse feruntur:
Illa voluptatis, litis hic auctor erat:
In Caluinilogis Venus, & malesuada voluptas,
Lis, inimicitiæ, bella, furorque fremunt.
Itis an inficias? Nimis, ah! nimis impia cunctis
Vestra tot orbigenis ausa nefanda patent:
Ausa, Lutheranis odiosa gregalibus ipsis,
Quos trahere inuitos vultis in Harmoniam.
Harmoniam at vestram cane peiùs & angue perosi
Toto auersantur pectore, voce, stylo.
En quibus elogiis illi vos, en quibus ornant
Lœdoriis: porcos vos asinosque vocant.

Estis eis calui scurræ, duplicesque latrones
Corporis atque animæ, tartareique canes.
Svvermeri quoque mendaces, mendacium & ipsum,
Momi, Epicurei, scorta, sophistæ, athei,
Teutonici Turcæ, tincti Baptismatis vndâ
Iudæi, Turcis impia secta magis;
Vndique & obsessi, suprà, infrà, antè, intus & extrà
Dæmonibus, qui vos vestraque cuncta regant.
I nunc, Harmoniam simulataque fœdera iactes
Cum Lutheri sequâ, blenna Gebenna, manu.

Et hæc omnia dissidia non pluris æstimat Brandius, quàm litem aliquam de tribus capellis aut lanâ caprinâ. Nimirum Pelagij & Cælestij hæreticorum exemplo, de quibus Augustinus lib. 2. contra Pelagium cap. 22. & 23. *Volentes hæreseos astutè inuidiam declinare, asserunt istam præter fidei periculum esse quæstionem; vt videlicet, si in eâ fuerint exorbitasse conuicti, non criminaliter, sed quasi ciuiliter errasse videantur.* Planè ita ad amussim Beza, qui dogmata duo grauissima, alterum de *manducatione reali Sacramenti*, alterum de *spirituali*, vocat duos pilos caudæ equinæ. Dogma denique *de maiestate Filij hominis*, satanæ excrementum.

Addo huic disputationi, prætermissum suprà Argumentum Consideratione octauâ, quod huiusmodi erat: *Hæretici diuersis locis de eâdem re scribentes, vix vmquam consentiunt, sed in plurimas sententias distrahuntur, quia semel à veritate recesserunt.*

Responsio prima Meisneri.

Pag. 344. *Si accusasse sufficerit, qui innocens erit?*

Refutatio.

Si negasse suffecerit, quis nocens erit?

Responsio secunda Meisneri.

Ibidem: *De triplici concordantiâ fidei iure gloriari possumus, Canonicâ, Ecclesiasticâ, intrinsecâ. Canonicâ, quia doctrina nostra in omnibus conuenit cum Canonicis Prophetarum & Apostolorum scriptis. Ecclesiasticâ, quia cum antiquis purioribus Ecclesiæ Doctoribus & sanctis Patribus conuenimus. Intrinsecâ, quia conuenimus inter nos.*

Refutatio.

Primò, De Canonicâ concordiâ suprà responsum, cùm etiam Canonicas Scripturas à Luthero & Caluino mutilatas ostendimus: tantum abest vt cum ijs eorum doctrina conueniret.

Secundò, Ecclesiastica concordia cum sanctis Patribus & Lutheranis intercedere non potest. Primò, Quia, vt ipsi fatentur, ea ipsa quæ nunc nos in Ecclesiâ Catholicâ tenemus pleraque vt fidei capita, Lutherani & Caluinistæ dicunt esse antiquorum næuos, & nostras hæreses, in iisque se à Patribus & nobis dissidere. Huiusmodi autem capita recensentur viginti à Cardinale Bellarmino lib. 4. De notis Ecclesiæ cap. 9.

Tertiò, Quia Lutherus ipse fatetur non semel, suam se doctrinam non ex libris Patrū sumpsisse, sed nunc *à Deo immediatè*, nunc *à diabolo*, nunc *à Papatu*, quem à Patribus antiquis plus nocte distare vociferatur Tom. 1. Germ. Ienensi, in Præfat. *Nullus Doctor iam inde ab Apostolicis temporibus*

bus præcipuos fidei [Lutheranicæ] *articulos tam perſpicuè ex Sacris litteris probauit, confirmauit, & fundauit, quàm ego feci.* Tom. 2. Germ. Ienenſi, De præcipuâ ſummâ mandati Dei: *Ego neminem ſcio, qui de fide & operibus rectè iudicare potuerit, exceptis Apoſtolis. In ceteris libris, quotquot ſunt, nequaquam id inuenitur.* Ioannes item Wigandus Lutheranus, in Admonitione De bonis Germaniæ, editâ 1566. pag. 20. *In confeſſo eſt, totum corpus doctrinæ cæleſtis ſimpliciter, dilucidè, propriè, dextrè erutum & traditum eſſe à Theologis Germaniæ, quale in omnium Patrum ſcriptis poſt Apoſtolos nullum inuenitur. Corpus autem doctrinæ appello ſingulorum articulorum ex Scripturis hauſtam explicationem.*

Quartò, Nec inter Lutheranos & Caluiniſtas ſimul inuenitur vlla intrinſeca mutua concordia, nec etiam inter Lutheranos ſolos, aut Caluiniſtas ſolos.

Primò, Lutherani Caluiniſtas, & Caluiniſtæ Lutheranos vt hæreticos damnant. Lutherus apud Gretſerum lib. 1. contra Goldaſtum cap. 12. *Caluiniſtæ*, inquit, *ſunt fanatici, progenies viperina, animicidæ, impij, blaſphemi, deceptores, ſanguinarij, infernales moloßi, Germanici Turcæ, à ſatanâ mißi & obſeſſi, Mahumetani baptizati, perdiabolati, transdiabolati, ſuperdiabolati.*

Caluinus iam antè à me citatus, æquè illuſtribus titulis ornat Lutheranos. Non eſt ergo mutua vlla inter Caluiniſtas & Lutheranos concordia.

Secundò, Lutherani ſeſe mutuò mutuis ſcriptis lacerant, & Caluiniſtæ Caluiniſtas damnant, etiam circa præcipua fidei ſuæ capita; adeoque ſub eodem communi Lutheranorum & Caluiniſtarum

rum nomine, diuersa habent nomina sectarum: verbi gratiâ, Lutheranorum alij sunt Antinomi, qui Legem Dei reiiciunt. Alij Osiandrini, qui docent homines solâ essentiali iustitiâ Dei iis inhabitante fieri iustos. Alij Stanckariani, qui duas Christo hypostases cum Nestorio assignãt. Alij Maioristæ, qui bona opera volunt ad salutem necessaria. Alij Amsdorfiani, qui docenr, bona opera saluti esse perniciosa. Alij Sinergitæ, qui liberam voluntati humanæ dant cum Deo cooperationem. Alij Flacciani, qui seruituti & ineuitabili necessitati mancipant voluntatem. Alij Adiaphoristæ, qui externos multos Catholicos ritus in sacro vestitu, & cereorum luminibus retinent. Alij Substantiarij, qui peccatum originis faciunt ipsam hominis substantiam. Alij Accidentarij, qui originis peccatum faciunt accidens. Alij Pfeffingeri, qui docent cum Pelagio, solius naturæ viribus hominem posse obedire Spiritui sancto. Alij Musculani, qui Christum vtraque naturâ passum esse in cruce dicunt & mortuum. Alij denique Vbiquistæ, qui humanam Christi naturam tam faciunt vbique esse quàm diuinam.

Caluinistarum verò alij Puritani, alij Brunistæ, alij Hugonottę, alij Piscatoriani, alij Arminiani, alij Gommaristæ, & id genus sectæ cõplures, quas libello De desperatâ Caluini caussâ recenset Petrus Clutsenius. Hi omnes cùm Caluinistæ sint, alij omnes Lutherani sint, singuli tamẽ vno pluribusque grauissimis fidei capitibus dissentiunt. Non habent ergo intrinsecam concordiam. Plura qui volet de Lutheranorum Caluinistarumque dissensionibus, adeat ad caput nonum libri De falsâ

Ger-

Germaniæ pace, ab Adamo nostro Contz edito, vbi dissensionum capita numerantur 288.

Quintò, Impossibile est, inter solos Caluinistas aut Lutheranos solos concordiam esse, quia ipsimet eorum primi Apostoli fidem illis tradiderunt antilogiis plenam. Ac de Luthero id constat ex Cochlæi libro, quem nominauit Lutherum Septicipitem, vbi Lutherus septies vnam eamdemque rem affirmat & negat locis propè infinitis. De Caluino constat ex Syllabo 24. antilogiarum Caluini, quem Coccius collegit lib. De notis Ecclesiæ, ex antilogiis nouem, quas item in Caluino deprehendit Becanus noster, tit. 7. qui est, *Caluinistarum*. Hinc enim necessariò fit, vt in contrarias partes abeant Caluinistæ & Lutherani, cùm sibi sit contraria ipsa eorum doctrina, & ipsius fidei articuli capitales.

Iam verò, quòd scriptis libris sese mutuò configant, orbi notissimum est. Syllabo non paruo dentatas hasce chartas complexus est Coccius lib. 8. De Ecclesiæ signis, & Adamus noster Contz in Iubilo iubilorum.

Neque valet ratio Meisneri, quã adfert pag. 351. pro hac dissensionum varietate, *Lutheranismum tantùm esse terminum, à quo, quemadmodum verã Ecclesiã, semper est id à quo deficiũt hæretici. Ex Orthodoxis exeunt quidem, Orthodoxi tamen non sunt: ideoque ipsorum apostasia non debet imputari Orthodoxiæ. & propterea dicimus cum Ioanne, Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non fuerunt.* Non, inquam, valet hæc ratio. Primò, Quia omnes antagonistæ supradicti à Lutheranis ipsis & Caluinistis pro genuinis suis fratribus habentur. Neque Meisnerus

Luthero. Multi nostrûm à Magistro Rorario, qui libros Lutheri edebat, audiuimus, aliquoties Lutherum conquestum de illâ crebrâ refusione Confessionis; atque ad ipsum Philippum dixisse: Philippe, liber iste non est tuus, sed Ecclesiæ; ideò non est tibi integrum toties mutare. Improbat ac reiicit Lutherus veterem definitionem [liberi arbitrij,] Philippus probat. Lutherus inquit, hominem in conuersione nihil posse; hic dicit, aliquo modo. Negat Lutherus in nobis esse caussam apprehensionis salutis, nisi Deus priùs fidem dederit, hic affirmat. Viuo Luthero, & in antiquis Locis rectiùs sentit, quàm in posterioribus. Superiùs aliquantò: *Philippus adeò subinde eam mutare est ausus Confessionem, vt tandem Sacramentariis fenestram aperuerit, quâ in eam irrepserunt.* Id quod ita se habere, ipsa Caluini verba ostendunt, Admonitione vltimâ ad VVestphalum, editâ anno 1557. *De Confessione Augustanâ sic respondeo, Verbulum in eâ, qualis Ratisbonæ edita fuit, non extare doctrinæ nostræ contrarium.*

Ex quibus certissimè videor mihi conficere, Primò, apud Lutheranos aut Caluinistas nullam esse posse internam concordiam, sed grauissimas doctrinæ dissensiones. Secundò, Nullam Ecclesiasticam concordiam, sed clarissimam à priscâ Ecclesiâ disiunctionem. Tertiò, Nullam Canonicam concordiam, sed ipsorum Canonum violentam mutilationem.

Responsio Brandij.

Pag. 74. *Vult Lessius scire quis se dogmatis illis nouis* [Pontificiorum] *opposuerit*, &c. *Ipsi Patres se omnibus iis opposuerunt. Credat igitur Lessius, Papo-*

Papo-Catholicam Religionem ab Apostolis non esse. Vt specimen exhibeam, vrgebo ea ipsa capita, quorum Lessius mox meminerat, ac si Papistis de iis cum veteribus probè conueniret, & de plerisque tres testes producam.

Refutatio.

Primò, Ad omnia & singula testimonia, quæ in speciem pugnare cum Catholicis videntur, rescripsit Bellarminus singulis ferè libris, è quibus supellectilem suam ferè vniuersam Brandius sibi collegit: quò redire eum iubeo, ad spolia sua redhibenda Auctori.

Secundò, Pleraque testimonia omnino nihil faciunt ad eam rem probandam, ad quam sunt adducta.

Tertiò, Plerisque locis ex quibus ea testimonia petita sunt, sancti Patres manifestissimè id affirmant, quod scribit Brandius ab iis esse pernegatum. Ita magnâ fide Patrum sententias recensendas duxit.

Quartò, Ipsa testimonia, & verba à Brandio allata, frequenter sunt testimonia confirmantia ipsam doctrinam, quam ait per illa subuerti. Dabo specimen.

Testimonium à Brandio allatum contra Missæ sacrificium.

Pag. 76. ex lib. S. Ambros. De offic. cap. 48. *Antè Agnus offerebatur, nunc Christus offertur; sed offertur quasi homo, quasi recipiēs passionem; & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat: hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem pro nobis quasi*

negant tres esse in essentiâ personas, &c.

Hofmannistæ, qui docent, hominem in gratiã receptũ, & suâ culpâ in peccatum relapsum, saluari nõ posse: à quodã Melchiore Hofmãno appellati.

Fraticelli, aliàs, *Iesu Christi Infantes*, qui brutorum more, extinctis luminibus, corpora nullo discrimine miscent.

Semilutherani, Antilutherani, Luthero-Osiandrini, Luthero-Zvvingliani, Luthero-Caluiniani, Luthero-Papistæ, Mansfeldiani, Heshusiani, Lipsenses.

Svvenckfeldiani, dicti à Gaspare Swenckfeld, quem Lutherus Stinckfeld solebat ioco appellare, omnem Scripturæ auctoritatem abrogabant.

Spirituales, solâ meditatione dicebant esse opus ad salutem, reiicientes omnia Sacramenta.

Anabaptistæ, ex Luthero item varij. *Puri*, nempe qui se peccato carere credunt. *Impuri*, qui polygamiâ vtuntur. *Tacentes, Separati, Precantes, Rapti, Liberi*, aliique id genus; vt non iniuriâ admirabundus rogauerit Lutherus: *Quid hoc esse dicam? Vix vnum os diaboli obturo, & ecce decem ille alia aperit!*

Tertiò, Si nullus Lutheranus est, nisi qui subscribit Augustanæ Confessioni exhibitæ Carolo V. anno 1530. igitur Lutherus ipse non fuit Lutheranus. Nam Lutherus, præterquam quòd pluribus locis suprà citatis ostensus sit aliter sensisse, quàm Confessio illa prima Augustana; solo libro De libertate Christianâ scribit has sex propositiones, omnino repugnantes articul. 6. Confessionis primæ Augustanæ. Prima est, *Fides sola est salutaris & efficax vsus verbi.* Secunda, *Verbum Dei nullis operibus, sed solâ fide suscipi, & coli potest.*

Ter-

Tertia, *Fides est breuis & consummata plenitudo legis*. Quarta, *Sola fides sine operibus iustificat, liberat, & saluat*. Quinta, *Sola fides sufficit ad salutem*. Sexta, *Nulla res tam mala, quæ non in bonum mihi cooperetur, si modò credidero*. Nec Philippus Melanchthon Lutheranus fuerit, qui, Musculo teste, primam illam Augustanam Confessionem duodecies refabricauit. Nec vllus ferè iam supererit Lutheranus; quia vix vllus iam sequitur primam illam Confessionem Augustanam. Adeoque Fridericus Staphylus in Trimembri Epitome Theologiæ Lutheranicæ Wormatiæ durante Colloquio exhibitâ, inter solos Confessionistas numerat omnino sectas viginti, triûm factionum nomine dimicantes, *Rigidorum, Mollium*, & *Recalcitrantium*.

Brandij responsio.

Pag. 167. *Aio, Protestantes inter se nihil dissentire in ijs quæ ad fidei & Religionis fundamenta pertinent. Quæ Lessius producit, non sunt fundamentalia*, &c. *Anabaptistas non moramur*.

Refutatio.

Quàm inter se fraterculi illi Protestantes soleant ἀδελφίζειν & Doricè concinere, domesticis tantùm Protestantium testibus comprobabo, etiamsi id abundè præstitum sit ab Andreâ Iurgiewicio, in Bello quinti Euangelij, quod ille eruditissimè descripsit aduersus laruatam Harmoniam Geneuensem, & Consensum Sendomiriensem.

Itaque Stanckarus in Opusculis Cracouiæ editis anno 1562. Præfat. lib. De Trinitate: *Tigurini & Geneuenses Arrianam, Eutychianam, Apollinista-*

 rum,

rum, Timotheianorum, Acephalorũ, Theodosianorum, Gaianitarum, & Macarianorum hæreses pro fide Catholicâ ad vos [Poloni] *miserunt.* Infrà verò ad Stanislaum Stadnitski: *Verùm quoniam Tigurini & Geneuenses, cùm sint publici & manifesti hæretici, & non semel scriptis & epistolis suis seduxerunt Polonos tuos.*

Idem in Epilogo lib. de Trinit. & Incarnatione ita scribit de Melanchthone: *Sed quis fœdam & hæreticam illius Antichristi Septemtrionis recensere doctrinam possit? Non enim in his tantùm articulis, de Trinitate, & Mediatore; sed & de Sacramentis, & alijs quoque, impiißimè scripsit.*

Ibidem de Caluino: *Caue, Lector Christiane, & maximè vos Ministri omnes verbi Dei à libris Ioannis Caluini cauete, & præsertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento Baptismatis, de Præscientiâ, & Prædestinatione; quia falsam & prauam doctrinam habent.*

Tigurini Tract. 3, contra vltimam Confessionem Lutheri, edito anno 1545. *Lutherus præpotenti Deo, & omni eius honori renuntiauit, dum nos condemnatam & execrabilem vocat sectam. At ipsius videat, ne hac iracundâ & impiâ oratione suâ seipsum condemnet, hæresiarchamque se declaret.*

Ioannes Pappus Lutheranus in Responsione ad Antipappum Sturmij: *Hi ipsi errores, quos in Ecclesiarum* [Zwinglianarum & Caluinianarum] *Doctoribus reprehendimus, non ita leues sunt, quàm ipsi toti mundo persuadere conantur,* &c. *Errorem suum pertinaciter propugnando eò progressi sunt, vt non paucos neque postremos doctrinæ Christianæ articulos in dubium vocarint.*

Con-

Conrardus Schlusselburgius in Præfat. Apologiæ pro defensione libri Concordiæ: *Caluinistæ, & ipsorum patroni, existimant nos cum ipsis de rebus leuiculis disceptare: sed D. Lutherus, & nostrarum Ecclesiarum Doctores testantur, certamen hoc esse de fundamento; & res ipsa hoc loquitur,*&c. *Imò ipsimet Sacramentarij interdum fateri coguntur, hanc disputationem pertinere ad fundamentum. Sic enim Cureus in Exegesi Sacramentariâ pag.* 91. *scribit: Verè controuersia est de fundamento; videlicet de duobus articulis fidei, Primò, de Articulo qui docet in Christo vnitas esse duas naturas; Secundò, de articulo, Ascendit in cælum.*

Osiander in Confutatione Philippi scribit, *de solâ iustificatione secundùm Scripturas versari viginti diuersissimas sentẽtias inter solos Confessionistas.*

Ioannes Wigandus lib. De erroribus Georgij Maioris: *Non sunt lana, neque linũ, de quibus hic disceptatur; sed de grauissimis Christianæ fidei capitibus.*

Nicolaus Gallus in Thesibus & hypothesibus: *Sunt inter nos non de leuibus rebus dissensiones, sed de Lege & Euangelio, de iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu carimoniarum.*

Iacobus Andreę lib. De maiestate hominis Christi: *Nõ ampliùs aut certè parũ de verbis Cœnæ litigatur, sed his ipsis fidei articulis, qui sunt de incarnatione Verbi, & sessione Christi hominis ad dexteram Dei.*

Nicolaus Selneckerus ad Psal. 131. *De publicâ discordiâ in Ecclesiâ* [Lutheranâ] *non est quòd interroges. Loquor autem non de eâ discordiâ, quæ nobis necessariò de fidei doctrinâ cum Papistis atque alijs hæreticis intercedit, sed de eâ quæ inter nos ipsos est, qui puram habere nos Euangelij doctrinam gloria-*

mur. Mota enim sunt certamina atque rixæ de rebus adiaphoris, de bonis operibus, de iustitiâ coram Deo, de libero arbitrio, de præsentiâ & participatione Corporis & Sanguinis Christi in Cœnâ, de humanitate Christi, de eius ascensione, de sessione ad dexteram Dei, de vbiquitate, deque rebus aliis; vbi rixandi atque contendendi neque finis est, neque vllus modus. Quæ omnia testimonia lubet concludere faceto carmine apud Iurgiewicium Bello Euangelico præfixo:

Ridiculum! Quid? Amicitias & fœdus iniſſe
Quinti Euangelij fert vaga fama greges.
Imò Gebennenses, Caluinica Lerna, Ministri
Famam putidulis hanc aluêre strophis.
Verba dabant rudibus, secum sentire Lutheri
Agmina; litigij iam superesse nihil.
Quin etiam scriptis hæc vulgauêre libellis,
Atque recompositâ nequiter Harmoniâ.
Harmoniam ingeminãt: verùm est symphonia discors,
Ac fide disparili luditur vna Fides.
Harmoniâ genitæ memorantur Amazones olim,
Pugna quibus cordi seditioque fuit:
Harmoniam Venus ac Mauors genuiſſe feruntur:
Illa voluptatis, litis hic auctor erat:
In Caluinilogis Venus, & malesuada voluptas,
Lis, inimicitiæ, bella, furorque fremunt.
Itis an inficias? Nimis, ah! nimis impia cunctis
Vestra tot orbigenis ausa nefanda patent:
Ausa, Lutheranis odiosa gregalibus ipsis,
Quos trahere inuitos vultis in Harmoniam.
Harmoniam at vestram cane peiùs & angue perosi.
Toto auersantur pectore, voce, stylo.
En quibus elogiis illi vos, en quibus ornant
Lœdoriis: porcos vos asinosque vocant.

Estis

Estis eis calui scurræ, duplicesque latrones
Corporis atque animæ, tartareique canes.
Suvermeri quoque mendaces, mendacium & ipsum,
Momi, Epicurei, scorta, sophistæ, athei,
Teutonici Turcæ, tincti Baptismatis vndâ
Iudæi, Turcis impia secta magis;
Vndique & obsessi, suprà, infrà, antè, intus & extrà
Dæmonibus, qui vos vestraque cuncta regant.
I nunc, Harmoniam simulataque fœdera iactes
Cum Lutheri sequâ, blenna Gebenna, manu.

Et hæc omnia dissidia non pluris æstimat Brandius, quàm litem aliquam de tribus capellis aut lanâ caprinâ. Nimirum Pelagij & Cælestij hæreticorum exemplo, de quibus Augustinus lib. 2. contra Pelagium cap. 22. & 23. *Volentes hæreseos astutè inuidiam declinare, asserunt istam præter fidei periculum esse quæstionem; vt videlicet, si in eâ fuerint exorbitasse conuicti, non criminaliter, sed quasi ciuiliter errasse videantur.* Planè ita ad amussim Beza, qui dogmata duo grauissima, alterum de *manducatione reali Sacramenti*, alterum de *spirituali*, vocat duos pilos caudæ equinæ. Dogma denique *de maiestate Filij hominis*, satanæ excrementum.

Addo huic disputationi, prætermissum suprà Argumentum Considerationе octauâ, quod huiusmodi erat: *Hæretici diuersis locis de eâdem re scribentes, vix vmquam consentiunt, sed in plurimas sententias distrahuntur, quia semel à veritate recesserunt.*

Responsio prima Meisneri.

Pag. 344. *Si accusasse sufficerit, qui innocens erit?*

Refutatio.

Si negasse suffecerit, quis nocens erit?

Responsio secunda Meisneri.

Ibidem: *De triplici concordantiâ fidei iure gloriari possumus, Canonicâ, Ecclesiasticâ, intrinsecâ. Canonicâ, quia doctrina nostra in omnibus conuenit cum Canonicis Prophetarum & Apostolorum scriptis. Ecclesiasticâ, quia cum antiquis purioribus Ecclesiæ Doctoribus & sanctis Patribus conuenimus. Intrinsecâ, quia conuenimus inter nos.*

Refutatio.

Primò, De Canonicâ concordiâ suprà responsum, cùm etiam Canonicas Scripturas à Luthero & Caluino mutilatas ostendimus: tantum abest vt cum ijs eorum doctrina conueniret.

Secundò, Ecclesiastica concordia cum sanctis Patribus & Lutheranis intercedere non potest. Primò, Quia, vt ipsi fatentur, ea ipsa quæ nunc nos in Ecclesiâ Catholicâ tenemus pleraque vt fidei capita, Lutherani & Caluinistæ dicunt esse antiquorum næuos, & nostras hæreses, in iisque se à Patribus & nobis dissidere. Huiusmodi autem capita recensentur viginti à Cardinale Bellarmino lib. 4. De notis Ecclesiæ cap. 9.

Tertiò., Quia Lutherus ipse fatetur non semel, suam se doctrinam non ex libris Patrũ sumpsisse, sed nunc *à Deo immediatè*, nunc *à diabolo*, nunc *à Papatu*, quem à Patribus antiquis plus nocte distare vociferatur Tom. 1. Germ. Ienensi, in Præfat. *Nullus Doctor iam inde ab Apostolicis temporibus*

bus præcipuos fidei [Lutheranicæ] *articulos tam perspicuè ex Sacris litteris probauit, confirmauit, & fundauit, quàm ego feci.* Tom. 2. Germ. Ienensi, De præcipuâ summâ mandati Dei: *Ego neminem scio, qui de fide & operibus rectè iudicare potuerit, exceptis Apostolis. In ceteris libris, quotquot sunt, nequaquam id inuenitur.* Ioannes item Wigandus Lutheranus, in Admonitione De bonis Germaniæ, editâ 1566. pag. 20. *In confesso est, totum corpus doctrinæ cælestis simpliciter, dilucidè, propriè, dextrè erutum & traditum esse à Theologis Germaniæ, quale in omnium Patrum scriptis post Apostolos nullum inuenitur. Corpus autem doctrinæ appello singulorum articulorum ex Scripturis haustam explicationem.*

Quartò, Nec inter Lutheranos & Caluinistas simul inuenitur vlla intrinseca mutua concordia, nec etiam inter Lutheranos solos, aut Caluinistas solos.

Primò, Lutherani Caluinistas, & Caluinistæ Lutheranos vt hereticos damnant. Lutherus apud Gretserum lib. 1. contra Goldastum cap. 12. *Caluinistæ*, inquit, *sunt fanatici, progenies viperina, animicidæ, impij, blasphemi, deceptores, sanguinarij, infernales molossi, Germanici Turcæ, à satanâ missi & obsessi, Mahumetani baptizati, perdiabolati, transdiabolati, superdiabolati.*

Caluinus iam antè à me citatus, æquè illustribus titulis ornat Lutheranos. Non est ergo mutua vlla inter Caluinistas & Lutheranos concordia.

Secundò, Lutherani sese mutuò mutuis scriptis lacerant, & Caluinistæ Caluinistas damnant, etiam circa præcipua fidei suæ capita; adeoque sub eodem communi Lutheranorum & Caluinista-

rum

rum nomine, diuersa habent nomina sectarum. verbi gratiâ, Lutheranorum alij sunt Antinomi, qui Legem Dei reiiciunt. Alij Osiandrini, qui docent homines solâ essentiali iustitiâ Dei iis inhabitante fieri iustos. Alij Stanckariani, qui duas Christo hypostases cum Nestorio assignãt. Alij Maioristæ, qui bona opera volunt ad salutem necessaria. Alij Amsdorfiani, qui docent, bona opera saluti esse perniciosa. Alij Sinergitæ, qui liberam voluntati humanæ dant cum Deo cooperationem. Alij Flacciani, qui seruituti & ineuitabili necessitati mancipant voluntatem. Alij Adiaphoristæ, qui externos multos Catholicos ritus in sacro vestitu, & cereorum luminibus retinent. Alij Substantiarij, qui peccatum originis faciunt ipsam hominis substantiam. Alij Accidentarij, qui originis peccatum faciunt accidens. Alij Pfeffingeri, qui docent cum Pelagio, solius naturæ viribus hominem posse obedire Spiritui sancto. Alij Musculani, qui Christum vtraque naturâ passum esse in cruce dicunt & mortuum. Alij denique Vbiquistæ, qui humanam Christi naturam tam faciunt vbique esse quàm diuinam.

Caluinistarum verò alij Puritani, alij Brunistæ, alij Hugonottę, alij Piscatoriani, alij Arminiani, alij Gommaristæ, & id genus sectæ cõplures, quas libello De desperatâ Caluini caussâ recenset Petrus Clutsemius. Hi omnes cùm Caluinistæ sint, alij omnes Lutherani sint, singuli tamẽ vno pluribusque grauissimis fidei capitibus dissentiunt. Non habent ergo intrinsecam concordiam. Plura qui volet de Lutheranorum Caluinistarumque dissensionibus, adeat ad caput nonum libri De falsâ

Ger-

Germaniæ pace, ab Adamo nostro Contz editi, vbi dissensionum capita numerantur 288.

Quintò, Impossibile est, inter solos Caluinistas aut Lutheranos solos concordiam esse, quia ipsimet eorum primi Apostoli fidem illis tradiderunt antilogiis plenam. Ac de Luthero id constat ex Cochlæi libro, quem nominauit Lutherum Septicipitem, vbi Lutherus septies vnam eamdemque rem affirmat & negat locis propè infinitis. De Caluino constat ex Syllabo 24. antilogiarum Caluini, quem Coccius collegit lib. De notis Ecclesiæ, ex antilogiis nouem, quas item in Caluino deprehendit Becanus noster, tit. 7. qui est, *Caluinistarum*. Hinc enim necessariò fit, vt in contrarias partes abeant Caluinistæ & Lutherani, cùm sibi sit contraria ipsa eorum doctrina, & ipsius fidei articuli capitales.

Iam verò, quòd scriptis libris sese mutuò configant, orbi notissimum est. Syllabo non paruo dentatas hasce chartas complexus est Coccius lib. 8. De Ecclesiæ signis, & Adamus noster Contz in Iubilo iubilorum.

Neque valet ratio Meisneri, quā adfert pag. 351. pro hac dissensionum varietate, *Lutheranismum tantùm esse terminum, à quo, quemadmodum verâ Ecclesiâ, semper est id à quo deficiūt hæretici. Ex Orthodoxis exeunt quidem, Orthodoxi tamen non sunt: ideoque ipsorum apostasia non debet imputari Orthodoxiæ. & propterea dicimus cum Ioanne, Ex nobis prodierunt, sed ex nobis non fuerunt.* Non, inquam, valet hæc ratio. Primò, Quia omnes antagonistæ supradicti à Lutheranis ipsis & Caluinistis pro genuinis suis fratribus habentur. Neque Meisnerus

nerus aut Brandius vel vnum ex tot dissidiorum auctoribus excipere possunt, quem negent esse Lutheranum aut Caluinistam.

Secundò, Quia omnia hæc schismata æqualiter Lutheri nomen & confessionem retinent, & à quacumque Ecclesiâ æqualiter se seiungunt, pugnantes pro vnâ Lutheranâ contra ceteras omnes.

Tertiò, Quia ipsimet Lutherani agnoscunt, hæc dissidia esse non extra, sed intra suam Ecclesiam. Ita Ioannes VVigandus lib. De erroribus Georgij Maioris: *Non sunt lana, neque linum, de quibus hîc disceptatur, sed de grauissimis doctrinæ Christianæ capitibus. Maior ingenti audaciâ gloriatur, se ne pilum quidem de doctrinâ Lutheri discessisse. Totam doctrinam Lutheri de seruo arbitrio, diabolo in cathedrâ Lutheri sedenti attribuit*. Dauid Chytræus Themat. deprauat. Confess. August. *Euangelici Doctores immaniùs ferè & truculentiùs, quàm barbari milites inter se digladiantur.* Heshusius Epistolâ De exorcismo: *Quoquò vertimus oculos, intuendo Christi cœtum*, [Lutheranicum] *nihil propemodum occurrit quàm noua Doctorum dissidia.* Oecolampadius in Æquâ responsione ad Præfationem Lutheri: *Si ad vestras dissensiones respiciendum est, certè inter vos septuaginta septem mutationes non tantùm in explicatione Scripturæ, sed etiam in quibusdam phantasiis propemodum inueniuntur.* Selneckerus in Psalm. 131. *De publicâ discordiâ in Ecclesiâ* [Lutheranâ] *non est quòd interroges. Loquor autem non de discordiâ quæ nobis necessariò de fidei doctrinâ cum Papistis atque aliis hæreticis intercedit, sed de eâ quæ inter nos ipsos est,*

qui

qui puram nos Euangelij doctrinam habere gloriamur. Rixandi atque contendendi neque finis est neque vllus modus.

Tigurini Theologi Præfatione apologeticâ ad reformatas Ecclesias, præfixâ Orthodoxo consensui, anno 1576. impresso: *Cùm Augustanæ Confessionis Theologi hactenus in multis liberè & apertè à Luthero dissiderent, nos soli inexpiabile scelus committere videamur, quòd in vno tantùm capite à Lutheri auctoritate decedamus? Tulerunt hucusque inter se discrepantes de iustificatione, de libero arbitrio, de Euangelio, de Lege & eius vsu, de Christi ad inferos descensu, de ipsius personâ, de cærimoniis, de filiorum Dei electione ad vitam æternam, & multis aliis non leuis momenti articulis, de quibus facilè transigunt, eò quòd ista omnes sese Lutheri nomine tuentur.*

Quartò, Quia nulla ex tot sectis sumpsit sibi hucusque legitimam auctoritatem collecto Concilio aliquo damnandi alteram, vt semper fecit Ecclesia Catholica, quoties abs se hæretici aliqui absistebant. Sunt ergo pares omnes, & vnius hydræ diuersa tantùm capita.

Quintò, Quia ipsa Lutheranicæ fidei Confessio duodecies ab ipso Melanchthone mutata est, fatente Musculo in Colloquio Hertzbergensi. Vnde certissimè constare potest ipsos Lutheranos inter se dissidere etiam ob dissidia propriæ suæ Confessionis. Quamobrem ita questi sunt Saxonici Theologi in Colloquio Altenburgensi: *Quàm sapè libros suos mutarit & variarit* [Philippus Melanchthon] *nimis verè Pontificij nobis obiiciunt; idque omnium maximè factum est senescente Lu-*

Luthero. Multi nostrûm à Magistro Rorario, qui libros Lutheri edebat, audiuimus, aliquoties Lutherum conquestum de illâ crebrâ refusione Confessionis; atque ad ipsum Philippum dixisse: Philippe, liber iste non est tuus, sed Ecclesiæ; ideò non est tibi integrum toties mutare. Improbat ac reiicit Lutherus veterem definitionem [liberi arbitrij,] Philippus probat. Lutherus inquit, hominem in conuersione nihil posse; hic dicit, aliquo modo. Negat Lutherus in nobis esse caussam apprehensionis salutis, nisi Deus priùs fidem dederit, hic affirmat. Viuo Luthero, & in antiquis Locis rectiùs sentit, quàm in posterioribus. Superiùs aliquantò: *Philippus adeò subinde eam mutare est ausus Confessionem, vt tandem Sacramentariis fenestram aperuerit, quâ in eam irrepserunt.* Id quod ita se habere, ipsa Caluini verba ostendunt, Admonitione vltimâ ad VVestphalum, editâ anno 1557. *De Confessione Augustanâ sic respondeo, Verbulum in eâ, qualis Ratisbonæ edita fuit, non extare doctrinæ nostræ contrarium.*

Ex quibus certissimè videor mihi conficere, Primò, apud Lutheranos aut Caluinistas nullam esse posse internam concordiam, sed grauissimas doctrinæ dissensiones. Secundò, Nullam Ecclesiasticam concordiam, sed clarissimam à priscâ Ecclesiâ disiunctionem. Tertiò, Nullam Canonicam concordiam, sed ipsorum Canonum violentam mutilationem.

Responsio Brandij.

Pag. 74. *Vult Lessius scire quis se dogmatis illis nouis* [Pontificiorum] *opposuerit*, &c. *Ipsi Patres se omnibus iis opposuerunt. Credat igitur Leßius, Papo-*

Papo-Catholicam Religionem ab Apostolis non esse. Vt specimen exhibeam, vrgebo ea ipsa capita, quorum Lessius mox meminerat, ac si Papistis de iis cum veteribus probè conueniret, & de plerisque tres testes producam.

Refutatio.

Primò, Ad omnia & singula testimonia, quæ in speciem pugnare cum Catholicis videntur, rescripsit Bellarminus singulis ferè libris, è quibus supellectilem suam ferè vniuersam Brandius sibi collegit: quò redire eum iubeo, ad spolia sua redhibenda Auctori.

Secundò, Pleraque testimonia omnino nihil faciunt ad eam rem probandam, ad quam sunt adducta.

Tertiò, Plerisque locis ex quibus ea testimonia petita sunt, sancti Patres manifestissimè id affirmant, quod scribit Brandius ab iis esse pernegatum. Ita magnâ fide Patrum sententias recensendas duxit.

Quartò, Ipsa testimonia, & verba à Brandio allata, frequenter sunt testimonia confirmantia ipsam doctrinam, quam ait per illa subuerti. Dabo specimen.

Testimonium à Brandio allatum contra Missæ sacrificium.

Pag. 76. ex lib. S. Ambros. De offic. cap. 48. *Antè Agnus offerebatur, nunc Christus offertur; sed offertur quasi homo, quasi recipiēs passionem; & offert se ipse quasi Sacerdos, vt peccata nostra dimittat: hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem pro nobis quasi*

Aduocatus interuenit. Ibidem ex August. De fide ad Petrum Diaconum, cap. 19. *Sacrificium panis & vini in fide & charitate S. Ecclesia Catholica per vniuersum orbem offerre non cessat. In istis enim carnalibus victimis figuratio fuit Carnis Christi, quam*, &c *fuerat oblaturus*, *& Sanguinis*, *quem erat effusurus*. *In isto autem sacrificio gratiarũ actio atque commemoratio est Carnis Christi*, *quam pro nobis obtulit*, *& Sanguinis*, *quem pro nobis effudit*. Quis hinc non potiùs concludat, Igitur est sacrificium; quàm, Igitur non est sacrificium? quod postremum ineptissimè conclùdit Brandius.

Contra Cælibatum.

Pag. 77. ex Ambrosio De viduis: *Laboribus & doloribus in generatione filiorum addicitur nupta*, *non vidua*, *non virgo*. *omnium autem horum libera est virgo*, &c. *Et ideò prouocatur consiliis*, *non vinculis*. Argumentatur ita hoc ex loco Brandius: Virgo ad virginitatem prouocatur consiliis, ergo prohibetur colere cælibatum.

O tribus Anticyris caput insanabile! ———

Contra Ieiunium.

Pag. 78. ex Epist. Hieronym. ad Nepotianum: *Tantum tibi ieiuniorum modum impone quantum ferre potes*. (extra præcepta nempe & stata Ecclesiastica ieiunia) *Sint tibi pura*, *casta*, *simplicia*, *moderata*, *& non superstitiosa*.

Ex libro ad Demetriadem De virginitate: *Ieiunium non perfecta virtus*, *sed ceterarum virtutum fundamentum est*, *atque sanctificatio*, *& pudicitia*. Concludit Brandius: *Igitur hisce locis Hieronymus*

iein-

ieiunia dissuadet & prohibet. Quis credat hoc cerebrum sapere?

Contra Dies festos.

Pag 80. ex August. lib. 10. De ciuit. cap. 4. *Deo beneficiorum eius, festis solemnitatibus & diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata irrepat obliuio*. Ex lib. 32. contra Faustum, cap. 12. *Ea quippe in Ecclesiâ anniuersariè celebrantur, quæ insigniter excellentia certis diebus facta sunt, vt eorum necessariam salubremque memoriam festiuitas concelebrata custodiat*. Infert Brandius: *Igitur Augustinus contra dies festos scripsit*. Potéstne maior esse cucurbita?

Contra Ecclesiæ visibilitatem.

Pag. 84. ex Augustino in Psalm. 92. *Corpus huius capitis Ecclesia est, non quæ hoc loco est, sed quæ in hoc loco, & per totum orbem terrarum; nec illa, quæ hoc tempore, sed ab ipso Abel vsque ad eos qui nascituri sunt vsque ad finem, & credituri in Christum, totus populus Sanctorum ad vnam Ecclesiam pertinentium. Ergo Ecclesia est inuisibilis*, ait Brandius. Ergo Brandius Cyclops est, aio ego.

Atque hisce solis testimoniis, nisi fallor, cuiuis etiam cordato Caluinistæ persuaderi posset, contrariam omnino esse sanctorum Patrum doctrinam, quàm Brandius conatus erat demonstrare.

Postrema Lessij Ratio, ab exemplo Scripturæ.

Scriptura sacra nusquam homines priuatos in dubiis fidei ad scrutandas Scripturas remittit, sed ad Eccle-

siam & eos qui in Ecclesiâ præsident. Sic Deuteron.17. remittuntur in ambiguis ad Sacerdotes,&c. *Ideò in Ecclesiâ posuit Deus Pastores & Doctores. Ideò voluit illam toti orbi esse conspicuam, columnam & firmamentum veritatis, vt omnes eam facilè consulere possent. Non omnibus datur spiritus intelligendi Scripturas, vt ex Apostolo constat: Non omni spiritui credendum, sed probandi spiritus si ex Deo sint,* &c. *Ex his constat, spiritum priuatum regulam credendi esse non posse.*

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 615. *Crassè mentitur Iesuita, priuatos nusquam in Scripturâ ad scrutandas Scripturas remitti. An non hoc ipsum præcipitur Isa.34. vers. 16. Ioan.5. vers.39. Luc.16. vers.30? An non Apostoli integris cœtibus, & sic etiam priuatis suas Epistolas inscripserunt, & legēdas miserunt, Rom.1. v.17. 1. Cor.1. v.1. 2. Ephes.1. v.1. item cap.2. v.3.4. Philip.1. vers.1. 1. Pet.1. v.1. 1. Ioan.2. v.12.13.14? An non Spiritus sanctus triuiali & plebeio sermonis genere ideò vti voluit, vt etiam priuati Scripturam legere & intelligere possent? An non & priuati habent opus lectione istâ? 2. Timoth.3. v.15. Ioan.20. v.31. Deuteronom.4. v.5. cap.29. v.29. Ephes.6. v.12. Deuteronom.6. vers.6. & 7. cap.11.19? An non omnibus priuatis dictum est, Cauete à falsis prophetis, Matth.7. vers.15? Probate spiritus, 1. Ioannis 4. vers.1? Quomodo autem sibi cauere, quomodo spiritus probare possent, si Scripturas vel legere non deberent, vel intelligere non possent?* &c.

Mox addit Meisnerus terna Chrysostomi testimonia, quibus plebem hortatur ad legenda Biblia

Biblia, vtpote aperta & clara, quæ ex Bellarmino ſublegit lib. 2. De verbo Dei, cap. vlt. vbi & ad ea reſpondetur. Libro verò ſeq. cap. 1. ex eodem Chryſoſtomo adfertur locus, quo ait, *Scripturas magnâ egere ſcrutandi diligentiâ* : & cap. 2. *pro obſcurioribus Scripturæ locis adeundum eſſe ad Doctores.*

Pag. 617. *Tandem ad dictum Deuter. 17. v. 8. breuiter reſpondeo, Primò, Agitur ibi de rebus Politicis potiſſimùm. Secundò, Deſcribitur ſummũ Synedrium Iudaicum, in quo coniunctim & Sacerdotes & Iudices Politici. Tertiò, Norma iudicij conſtituitur Lex diuina, ſicuti dicitur verſ. 10. Quidquid docuerint te iuxta Legem.*

Brandius pag. 170. *Quod Leſſius ait, nuſquam homines priuatos in dubio fidei ad Scripturas remitti,* &c. *miror quomodo id viro Theologiam profitenti excidere potuerit; cùm Petrus quibuſuis fidelibus,* &c. *attentionem, imò adhæſionem ad Propheticum illum ſermonem præceperit. Neque iuuat Leſſium illud Deuteron. 17. verſ. 8. Illic enim homines non tantùm ad Sacerdotes, ſed etiam ad Iudicem remittuntur. Tum id præcipitur de ijs quæ ad iudicium, non quæ ad fidei cognitionem pertinent,* &c. *Contrà Iſaias cap. 8. verſ. 20. ſingulos quoſque ad Legem & teſtimonium ablegauit.*

Refutatio.

Primò, Ex nullo omnium illorum locorum ritè inferri poteſt, Igitur priuatus quiſpiam remiſſus eſt vmquam ad ſcrutandam Scripturam pro dirimendâ controuerſiâ de fide.

Nam apud Iſa. cap. 34. iubentur librum Domi-

ni legere, vt videant an non verè euenerint vaticinia vastitatis prædictæ. Ioan. 5. iubentur scrutari Scripturas, sed iam à Christo explicatas. Christus enim (quod Iudæi legendo Scripturas non obseruauerant) Scripturas de se loqui explicarat. Lucæ 16. iubentur fratres Epulonis Moysem & Prophetas audire, non autem legere: audire verò possunt etiam ex Concionatore.

Epistola ad Romanos à Paulo Græcè scripta est. Si igitur etiam ad idiotas, vt vult Meisnerus, scripta est, quomodo sine interprete & Doctore intelligeretur? cùm certum sit, idiotas Romanos non intellexisse Epistolam Græcam.

Prætereà in Epistolis Pauli ipse Petrus secundæ cap. vltimo asserit, *quædam esse intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauant.* Quomodo Paulus voluisset ea legi sine Doctore?

Neque verum est, Spiritum sanctum triuiali sermone vbique vsum esse in Scripturâ: quia & ipse Meisnerus pag. 597. ad probandam Scripturæ diuinitatem, pro quinto κριτηρίῳ adfert *styli singularitatem*. Quomodo igitur triuialis est, si adeò singularis est? Cothurnum Meisnerus soccatus Scripturæ detrahit, ipse cothurno mutabilior.

Nec 2. Timoth. 3. nec Iob 20. nec Deuteron. 4. nec 6. aut 29. nec ad Ephes. 6. vlla fit mentio lectionis Bibliorum. Timotheus verò cùm Episcopus fuerit, ineptè vt priuatus à Meisnero producitur.

Neque sequitur, priuatos iuberi ad Bibliorū lectionem adire, quia iubentur Matth. 7. pseudoprophetas vitare. Dicuntur enim ibidem pseudoprophetę cognoscendi ex operibus, non ex Scripturis.

Multò autem ineptior est hæc consequentia:

Pro-

Probate spiritus si ex Deo sunt. 1. Ioan. 4. Igitur legere debetis Scripturas. Quis non rideat?

Denique, Neque Meisneri neque Brandij ad 17. Deuteron. responsionem (quam à Brentio acceperunt) valere quidquam, demonstrauit Bellarminus lib. 3. De verbo Dei, cap. 4.

Interrogationes quædam Meisneri aduersus ratiocinationem Lessij, totidem interrogationibus oppositis solutæ.

Prima Meisneri interrogatio.

PAG. 592. *Quòd si nostri caussâ plerosque Religionis articulos scribi iussit Spiritus sanctus, quî fieri potuit, vt omitteret reliquos? Et cùm tam multa in nostram vtilitatem scripta sint, quorum tamen notitia non est de simplici necessitate; num putabimus tam incogitantem fuisse sanctum Spiritum, vt maximè necessaria omitteret, & minùs necessaria dictaret? Absit à Deo tanta vel imprudentia vel inuidia. Perfecta est doctrina Domini, lucerna lucens in caliginoso loco, 2. Petri 1. vers. 19. &c.*

Solutio.

Si nostri caussâ Spiritus sanctus Apostolo Paulo dictauit Epistolam ad Laodicenses; Salomoni tria millia parabolas, & quinque millia carmina, aliaque item multa Prophetarum oracula, quæ interiisse scribit Chrysostomus; cur ea passus est interire? An imprudentiâ? an inuidiâ? Si nostri caussâ voluit Spiritus sanctus nihil in Scripturâ omitti quod erat necessarium ad salutem, cur igitur non

instinxit Apostolis eam mentem, vt saltem Symbolum suum literis commendarent, quod viuâ tantùm voce eos tradidisse scribit Irenæus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Leo, Ruffinus, & B. Maximus?

Quid opus erat omnia scitu necessaria, vt Sacramentorum administrandorum ritus, literis commendari, cùm ob quotidianam eorum exercitationem possent perpetuò integrè conseruari? Quasi verò vernaculæ linguæ Grammaticâ aliquâ sit opus, vbi lingua ea quotidie vsurpatur.

Cur magis fuit opus post aduentum Christi omnia scitu necessaria perscribi, quàm bis mille annis ab Adamo vsque ad Moysem, cùm nullum omnino extitit scriptum?

Quid opus fuit omnia perscribi? An non suffecit ad salutem Stephano Traditio sola etiam post Christum, quando nulla adhuc noui Testamenti Scriptura extabat?

Quomodo omnia scitu necessaria constare possunt ex Scripturâ, cùm ex ipsâ Scripturâ constare non possit, etsi millies ab eâ id affirmaretur, Scripturam esse verbum Dei? Non enim mihi constat Alcoranum esse verbum Dei, quia seipsum dicit esse verbum Dei: tamen prima ac fundamentalis maximeque necessaria doctrina est, Scripturam esse verbum Dei. At certò constare non potest, nisi solâ Traditione, quæ nisi hac in parte habeatur pro verbo Dei, arundineum est fundamentum vniuersæ fidei nostræ.

Denique Scriptura, etsi sæpè obscura, cur non possit vocari lucerna lucens, cùm & luna tota, sæpè nobis obscura, rectè tamen vocetur à lucendo luna,

luna, & lucerna noctis? Sicuti enim dum videtur luna nos illuminat, ita & Scriptura dum intelligitur nos etiã illuminat. Nec aliter sanè Propheticus sermo, qui ferè semper obscurus est, à Petro vocari potuit lucerna lucens, nisi quia illuminat dum intelligitur, non autem semper per se facit vt intelligatur.

Secunda Meisneri interrogatio.

Pag. 599. *Quando discipulus ex libro præceptorum suorũ, aut subditus ex literis Magistratus sui cognoscit quid statuendũ aut agendum sit, num ideò ipsum ex priuato iudicio sic statuere & agere concludi debet?*

Solutio.

An non agerent & discipulus & subditus ex priuato iudicio, si ambo iussi, ille librum, hic literas, cum aliis cõmunicare, id non fecissent, sed suo arbitratu rem literis libróve prçceptam peregisśet?

An Scriptura plerisque locis non iubet adiri iudices, Sacerdotes, seniores, pro sui explicatione, Deuter. 17. Ecclesiastę 12. Aggæi 2. Malach. 2? &c.

Tertia Meisneri interrogatio.

Pag. 600. *Scriptura nihil aliud est, quàm Epistola Magni Regis regum, & Domini dominantium,* &c. *Epistolæ proprium est perspicuè loqui. Quid prodessent subdito literæ Ducis longè absentis si sensus non ex ipsis verbis influeret, sed viuâ tantùm scribentis voce innotesceret?*

Solutio.

Cur ergo ad Romanos etiam idiotas Paulus scripsit Græcè? Cur Apostoli, qui omnes dono

linguarũ fuere prædíti, fidei documenta & Euangelia non ſcripſere omnibus linguis, cùm ea ſcripſerint vt ab omnibus Gentibus intelligerentur? Imò cur Deus Scripturam vniuerſam, quæ eius Epiſtola eſt ad omnes Gentes, primò tantùm Hebraicè, deinde Græcè, denique poſt tot annos Latinè ſcribi iuſſit? Cur non omnibus linguis?

Quarta Meiſneri interrogatio.

Pag.601. *Si in cauſsis fidei tantùm audiendus Pontifex, cur nos legeremus Scripturam?*

Solutio.

Primò, Si in cauſſis Forenſibus (vbi Leges ambiguæ ſunt) tantùm audiendus iudex, cur legeremus Codicem aut Pandectas?

Secundò, Quis Catholicus negat adeundam eſſe Scripturam, Traditionem, Eccleſiam? Quis dicit audiendum Pontificem ſolum?

Quinta Meiſneri interrogatio.

Pag.604. *Vult per Scripturam te* [Deus] *alloqui, vt verum agnoſcas, & poteſt clariſsimè loqui, vt quiuis intelligat: quam ergo ob cauſſam de Scripturæ perſpicuitate adeò ambigis?*

Solutio.

Primò, Si tam perſpicuæ ſunt Scripturæ, cur à Patribus Synodi Dordracenæ tot diebus dimicatum, an dicendum eſſet in poſterum, *Pater noſter qui es*; an verò, *Pater noſter tu es*? quæ verba tamen videntur clara.

Secundò, Si tam perſpicuæ ſunt Scripturæ, cur ergo

ergo Meisnerus dubitat de perspicuitate istarum? Aggæi 2. *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Interroga Sacerdotes Legem.* Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.* 2. Paral. cap. 19. *Vbicumque quæstio est de Lege, de mandato, de cærimoniis, de iustificationibus* [ô vos Sacerdotes] *ostendite eis, vt non peccent in Dominum.* An hîc non remittuntur clarissimè priuati ad Sacerdotes?

Sexta Meisneri interrogatio.

Pag. 604. vers. vlt. *Monent* [Papistæ] *homines ne priuato iudicio nitantur, & ipsi tamen tantùm ad priuatum Papæ iudicium abducunt. O mei Christiani, aperite aliquando oculos!*

Solutio.

O Meisnere, aperi tandem aliquando oculos, & vide, obsecro, an Pontifex sit persona priuata!

O Lutherani aperite oculos, & videte, an non doceant Catholici omnes, pro verò Scripturæ intellectu adeundum esse verbum Dei, traditum, vel scriptum, & secundùm hanc normam debere à Pontifice decidi omnem quæstionem.

Septima Meisneri interrogatio.

Pag. 607. *Quid fiet, si de ipso Ecclesiæ intellectu controuersia inciderit? Vnde probabunt, Ecclesiæ intellectum esse verum ac genuinum? Ex Scripturis, inquiunt. Ex quibus? Ex Matth. 18. Dic Ecclesiæ. ex 1. Tim. 3. v. 15. Columna & firmamentũ, &c. Quæro igitur, an horum dictorum veram sententiam percipiant, seposito Ecclesiæ intellectu, an non? Si prius; se-*

qui-

quitur Scripturam posse intelligi etiam citra Ecclesiæ iudicium: si posterius; inepta erit probatio, idem enim ex eodem probabitur.

Solutio.

Primò, Inter Catholicos nulla vmquam controuersia esse potest de recto intellectu rerum ab Ecclesiâ definitarum, nisi fortè de verbis ipsius definitionis, pro quorum sensu redeundum potiùs ad Ecclesiam, quàm Scripturam magistrum mutum.

Secundò, Quid fiet, si de spiritus illius priuati intellectu controuersia inciderit? Vnde probabunt Caluinistæ & Lutherani, intellectum priuati illius spiritus esse verum & genuinum? Ex Scripturis, inquiunt, Ioan. 10. vers. 17. *Oues meæ vocem meam audiunt*. Quæro igitur, an huius dicti veram sententiam percipiant, seposito spiritus illius intellectu, an non? Si prius; sequitur, Scripturam intelligi posse citra spiritus illius iudicium: si posterius; inepta erit probatio, idem enim ex eodem probabitur.

Tertiò, Quis circulus est, Ecclesiam probare ex Scripturâ, & Scripturam ex Ecclesiâ, apud Caluinistas & Lutheranos, qui Scripturam admittunt, etiamsi Ecclesiam reiiciant? Circulus sanè esset, si reiicerent vtramque, & alteram nihilominùs ex alterâ apud eosdem probaremus.

Adi, Meisnere, ad acutissimum libellum Becani nostri De circulo Caluinistico, aduersus Paræum: filum Thesei isthic inuenies, vt hoc labyrintho euadas.

Dua-

Duodecima Lessij Ratio, ex absurdo.

Si aliqua ex illis Religionibus esset vera Christi Religio, sequeretur, omnes Catholicos, qui à temporibus Apostolorum hactenus extiterunt, damnatos esse: quia iuxta harum Religionum primarium dogma, caruerunt fide iustificante, ac proinde iustitiâ coram Deo,&c. Hanc autem fidem constat orbi ignotam fuisse vsque ad tempora Lutheri. Lutherus enim gloriatur, quòd veram rationem iustificationis à veteribus obscuratam mundo patefecerit. Idem constat ex omnium veterum scriptis. Primò, Quia præter fidem Christi requirunt internam voluntatis mutationem, & propositum seruandi totam Legem. Secundò, Quia damnant illam securitatem salutis,&c. Vnde fidem illam specialem, quâ quis credit certò se esse iustum, omnes reijciunt vt meram præsumptionem.

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag.621. *Eamdem doctrinam & fidem docuerunt antiqui Patres & Doctores Ecclesiæ, vti demonstrauit Kemnit. Part.2. Locorum, & Part.1. Examinis.* Mox adfert testimonia aliquot sanctorum Patrum.

Brandius pag.172. *Quasi verò vlli Catholici orthodoxi, seu veteres seu recentes, professione alij essent aut fuissent, quàm Protestantes hodie.* Deinde ad probandam illam salutis ex fide speciali certitudinem, laudant ambo testes aliquot Patres: illudque addit Brandius pag.174. *Si quid inter veterum & orthodoxè Catholicorum scripta pro Lessij sententiâ inuenitur, id illis ab aliis assutum est.*

Re-

Refutatio.

Primò, Contraria omnia à SS. Patribus fuisse credita, & Lutheranorum Caluinistarumque dogmata à priscis hæreticis accepta, iam sæpius à me demonstratum est.

Secundò, Loca omnia Patrum à Kemnitio, Meisnero, & Brandio allata, explicauit Bellarminus lib. 1. De iustific. cap. 25. contrariis etiam eorumdem Patrum testimoniis adscriptis.

Tertiò, Desperationis impudentiæque perfugium est, dicere, *assutum esse scriptis SS. Patrum, quidquid in ijs est quod Lessio fauet.* Ita dicam in vicem, consutis dolis assutum esse, quidquid in ijs pro Caluinistarum sententiâ inueniri Brandius dicit.

Decima Lessij Consideratio, & totius Consultationis conclusio.

ILLA *Religio amplectenda est in vitâ, quam in horâ mortis nos tenuisse vellemus, & cuius iustam rationem cùm ante tribunal Christi stabimus, reddere poterimus.*

Atqui talis est Religio Catholica. Primò, Quia plurimi, etsi hæreticè vixerint, quando tamen moriendum est, cupiunt mori Catholici. Secundò, Quia quisque tunc optat se plurima opera bona fecisse, & magno studio peccata omnia vitasse: ad quorum vtrumque inducit fortiter Catholica Religio, ad neutrum Religio Lutherana & Caluiniana; sed potiùs ad bonorum operum contemptum, & vitæ licentiam. Tertiò, Quia Reli-

Religio Catholica habet multa remedia, quæ in tremendo illo transitu non sunt contemnenda, &c. *quibus alia carent.*

Facilè item rationem sui facti summo Iudici reddituri sunt sectatores Catholicæ Religionis. Nam ego, verbi gratiâ, interrogatus à Deo, cur Catholicã potiùs sectatus sim quàm Caluinianam? Respondebo, Quia Catholica docet à rebus terrenis animum auocare & transferre ad amorem cælestium: docet carnem domare, & Dei timore configere, bonis operibus insistere, &c. *& omnem peccandi licentiam præscindere. Catholicam tenui, quia in hac video plurimos sapientiâ, sanctitate, miraculis, & prophetiæ spiritu toto mundo illustres, quos impossibile est in tanto negotio fuisse deceptos. Quia huic video singulis sæculis à Deo per miracula plurima testimonium perhiberi,* &c. *Ad hanc facta est hactenus & fit adhuc Gentium conuersio. In hac summa Doctorum omnibus sæculis circa fidei capita concordia. In hac successio perpetua, & ministrorum cum Apostolis connexio. Contraria omnia in nouis istis Religionibus deprehendi. Nulla igitur fuit mihi ratio ab hac Religione discedendi.*

E contrario tu verò qui aliam aliquam Religionem sectatus es, quam, obsecro, facti tui rationem reddere poteris, quando in illo tremendo iudicio interrogaberis? Respondebis fortasse, Catholicam deserui, quia putabam eam plenam esse idololatriâ, superstitionibus, & Traditionibus humanis. Putabam in eâ præsidere Antichristum, & Catholicos suis non Christi meritis niti.

At hæc ignorantia non te excusabit; quia facilè veritatem cognoscere potuisses. Nam quâ probabilitate aut specie veritatis in animum inducere potuisti, eam Religionem tantis erroribus esse obnoxiam, quam vide-

videbas & tot sapientiâ & sanctitate vitæ illustrissimis viris tot annorum centuriis cultam? quam tot miraculis & martyriis confirmatam? quam toto orbe diffusam? in quâ & summa Doctorum concordia, & clara cum Apostolis connexio? Quomodo fieri potest, vt tot sæculis nemo Doctorum, nemo Sanctorum hos errores notauerit?

Rursum quomodo potuisti in animum inducere, eam esse veram Christi Religionem, quæ Deum auctorem & impulsorem omnium scelerum statuit? quæ hominibus arbitrij libertatem eripit? quæ studium bonorum operum impedit, & portam sceleribus omnibus non minùs quàm atheismus aperit? quæ antiquas & damnatas hæreses plurimas ab orco reuocat? cuius auctores nullâ morum sanctimoniâ commendati, nullis miraculis clari, sed homines voluptatibus dediti, terrenarum rerum cupidi, ambitiosi, maledici, seditiosi, apostasiâ & sacrilegis nuptiis vel præposterâ libidine infames, incredibili doctrinæ inconstantiâ?

Responsio vtriusque.

Meisnerus pag. 625. *Contrà plerique cupiunt mori, & proculdubiò moriuntur Lutherani.*

Brandius pag. 175. *Quid si errent iudicio? homines sunt, etiam moribundi. Tum quoque in horâ mortis pœnituit multos esse Papistas.*

Ad cetera non aliter respondent, quàm compendiò repetendo omnia præcedentis Libri responsa, quæ iam demonstratum est hoc toto Apologetico, esse ex mendaciis fraudibusque consuta.

Refutatio.

Iam quidem, cùm nondum se in ius illud æternitatis

nitatis vocatos vident Meiſnerus & Brandius, procliue illis fuit inſtar Lucianorum *tremenda omnia* ſcurrilibus iocis excutere. At quando mors iniecerit manum, vt ſiſtant vadimonium, credo, id orabunt poſſe deſerere. Quot enim ex omni hiſtoriâ nominare poſſum Lutheranos aut Caluinianos (qui Catholicis aliquando fuerant myſteriis initiati) quos delectauerit mori potuiſſe Lutheranos aut Caluinianos? Imò niſi ipſoſmet obſtinauerit cæca quædam peruicacia reiiciendæ veritatis, dubitare non poſſum, quin (quod Melanchthonem ſuæ matri morientem reſpondiſſe ferunt) ipſi aliquando moribundi ſint dicturi, *ſuam quidem Religionem videri plauſibilem, ſed Catholicam multò eſſe ſecuriorem.* *Ita Morus lib. 2. De Miſsâ.*

Si quidem in grauiſſimo ſalutis negotio non deceret magis grauem eſſe quàm feſtiuum, equidem oſtenderem ex facetiſſimis Caluiniſtarum priuilegiis à Becano noſtro vulgatis, quàm iucundum commodumque ſit, viuere & mori Caluinianum potiùs quàm Orthodoxum. *Franc. Montan. De verâ defenſione. Ramundus lib. 2. cap. 9.* At certè vt fleam etiam aduerſariorum meorum calamitatem, propius mihi eſt, quàm vt eorum irrideam cæcitatem. Voueo igitur precorque, vti ſecum habitent aliquamdiu, cogitentque an ex animi ſententiâ hæc dicta ſint, an verò non aliud ipſi ſtatuant credantque in animo ſuo; & Epicureorum inſtar, aliud ſedendo domi, aliud foris ſtando dicant; domi deos eſſe negent, foris aras eis ſtatuant. *Plutarchus.*

FINIS.

ORDO ET INDEX HORVM LIBRORVM.

LIBER PRIMVS:

Argu-

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

CAPVT VIII.

CAPVT IX.

LIBER SECVNDVS:

Re-

vera

LIBER TERTIVS:

Re-

Prima

Ar-


Argu-

Prima

Bran-

Do-

 Con-





ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XX.


LABORE. ET. CONSTANTIA.

